THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA
JUXTA MENTEM
D. THOMÆ AQUINATIS
AD USUM DISCIPULORUM
EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS
ACCOMMODATA
PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
Bononienſem, Ordinis Prædicatorum, in Patria Univerſitate
Controverſiarum Fidei Profeſſorem
NUNC
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

TOMUS III. IN PRIMAM SECUNDÆ PARTIS
ORDINE NONUS
De Divina Gratia; de Juſtificatione Peccatoris; & de Merito Juſti.



BONONIÆ M.D.CC.XXX.
Ex Typographia Bononienſi Sancti THOMÆ AQUINATIS.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

CATALOGUS

Eorum, quæ hic Tertius Tomus in Primam Secundæ, ordine Nonus, complectitur.

TRACTATUS DE DIVINA GRATIA.

QUÆSTIO PRIMA.

De Neceſſitate Gratiæ Divinæ.

DUBIUM PRIMUM.

Variæ Gratiæ Actualis Acceptiones, ac ejus Præcipui Hoſtes.

§. I. *Quid Nomine Gratiæ veniat.* pag. 1.
§. II. *Gratiæ Hoſtes Præcipui.* 2.

DUBIUM SECUNDUM.

An ad cognoſcendas Veritates Supernaturales, & Fidei ſit Neceſſaria Gratia?

§. I. *Aliqua Notatu digna.* 4.
§. II. *Aſſertiones Catholicæ.* 5.
§. III. *Argumenta Contraria.* 9.

Digitized by Google

DUBIUM TERTIUM.

An ad cognoſcendas Veritates Naturales Homo Lapſus egeat Speciali Gratiâ.

§. I.	*Exponitur Dubium.*	11.
§. II.	*Duæ Priores Reſolutiones.*	12.
§. III.	*Aliæ Reſolutiones.*	17.
§. IV.	*Objectiones contra has duas Reſolutiones.*	20.

DUBIUM QUARTUM.

An poſſit Homo Lapſus velle, & facere Bonum, ſive Juſtus, ſive Peccator ſit, ſive Infidelis?

§. I.	*Quædam Prænotantur.*	23.
§. II.	*Reſolutio contra Pelagium.*	24.
§. III.	*Reſolutio contra Lutherum, & Calvinum.*	25.
§. IV.	*Reſolutio contra Bajum.*	29.
§. V.	*Reſolutio contra Janſenium.*	33.

DUBIUM QUINTUM.

An, ut Homo Lapſus poſſit facere Opus bonum Morale indigeat Speciali Gratiâ per Chriſtum: an verò ſufficiat Auxilium ordinis Naturalis?

§. I.	*Rejicitur Opinio Vazquez, & Gregorii.*	37.
§. II.	*Reſolutio Noſtra.*	40.

DUBIUM SEXTUM.

An Homo Lapſus poſſit ſinè Speciali Gratiâ Deum ſuper omnia diligere?

§. I.	*Aliqua Prænotantur.*	43.
§. II.	*Auxilium neceſſarium in Statu Naturæ Integræ, & Puræ.*	44.
§. III.	*Auxilium neceſſarium in Statu Naturæ Corruptæ.*	45.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. *An tale Auxilium ſit Naturalis ordinis, an verò Supernaturale?* 50.

DUBIUM SEPTIMUM.

An ſit neceſſaria Gratia ad Obſervantiam totius Legis Naturæ?

§. I. *Aliqua Supponuntur.* 53.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 54.
§. III. *Qualis Gratia requiratur ad Obſervantiam totius Legis Naturalis.* 60.
§. IV. *Quid dicendum de Statu Naturæ Integræ?* 63.
§. V. *Quid dicendum de Præceptis Supernaturalibus, ſive quoad Subſtantiam, ſive quoad Modum?* 64.
§. VI. *Sintne aliqua Præcepta, quæ nec per Dei Gratiam impleri poſſint in hac Vitâ?* 67.

DUBIUM OCTAVUM.

An ſit neceſſaria Gratia ad Victoriam Tentationum?

§. I. *Aliqua Supponuntur.* 68.
§. II. *Prima Reſolutio.* 69.
§. III. *Poſterior Reſolutio.* 72.

DUBIUM NONUM.

An ad diu vitanda omnia Peccata Mortalia, quæ ſunt contra Legem Naturæ, requiratur Specialis Gratia?

§. I. *Aliqua Supponuntur.* 74.
§. II. *Reſolutiones.* 75.
§. III. *Contrariorum Rationes.* 77.

DU-

DUBIUM DECIMUM.

An ut Homo Lapſus vitare poſſit omnia Peccata Venialia, indigeat Gratiâ, & Quali?

§. I.	*Aliqua Præſupponuntur.*	80.
§. II.	*Reſolutiones.*	81.
§. III.	*Contraria Fundamenta.*	85.

DUBIUM UNDECIMUM.

De Neceſſitate Gratiæ ad ſe Præparandum ad Gratiam.

§. I.	*Errores, & Opiniones.*	89.
§. II.	*Reſolutiones.*	91.
§. III.	*Contra præfatas Aſſertiones Militantia.*	93.

DUBIUM DUODECIMUM.

An Qui jam conſecutus eſt Gratiam Habitualem, indigeat ulteriori Gratiæ Auxilio ad Benè operandum, & Quo?

§. I.	*Doctrina D. Thomæ.*	95.
§. II.	*Reſolutiones.*	96.
§. III.	*Contrariorum Rationes.*	99.

DUBIUM TERTIUMDECIMUM.

An Homo in Gratia conſtitutus indigeat Auxilio Speciali Gratiæ ad Perſeverandum Finaliter?

§. I.	*Aliqua Præmittuntur.*	101.
§. II.	*Reſolutiones.*	102.
§. III.	*Contrariæ Rationes.*	105.
§. IV.	*De Gratia in Statu Naturæ Integræ ad Perſeverandum requiſitâ.*	111.
§. V.	*Quorumdam Reſolutio circa Donum Perſeverantiæ.*	113.

QUÆ.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Diviſione Gratiæ Actualis.

DUBIUM PRIMUM.

Quid ſit Gratia Gratis data, & Quotuplex.

§. I. *Reſolutio Prioris Partis.* 115.
§. II. *Reſolutio Poſterioris Partis.* 117.

DUBIUM SECUNDUM.

De Diviſione Gratiæ Actualis in Operantem, & Cooperantem

§. I. *Diviſio Statuitur, & Probatur.* 120.
§. II. *Aliqua Reſolvuntur.* 122.

DUBIUM TERTIUM.

Duæ aliæ Diviſiones Gratiæ Actualis.

§. I. *De Gratia Præveniente, & Subſequente.* 124.
§. II. *De Gratia Excitante, & Adjuvante.* 125.

DUBIUM QUARTUM.

De Gratia Sufficiente, & Efficaci.

§. I. *Quo ſenſu Gratia dicatur Sufficiens.* 127.
§. II. *Ea, quæ obſtant, Refelluntur.* 130.

DUBIUM QUINTUM.

Unde Gratia ſuam habeat Efficaciam.

§. I. *Aliqua Præmittuntur.* 134.
§. II. *Gratiam non eſſe Efficacem ſolùm ab Extrinſeco.* 135.
§. III. *Examinantur Nova quædam Opinio de Æquilibrio Virium ad Libertatem Indifferentiæ Neceſſario.* 139.

QUÆ.

QUÆSTIO TERTIA.

De Gratia Habituali.

DUBIUM PRIMUM.

An Gratia Habitualis ſit Donum Intrinſecum Animæ?

§. I. *Pauca Supponuntur.* 143.
§. II. *Catholica Aſſertio.* 144.
§. III. *Objectionum Solutio.* 146.

DUBIUM SECUNDUM.

An Gratia Habitualis ſit Accidens, an Qualitas, & an in Specie Habitus?

§. I. *Gratia non eſt Subſtantia, ſed Accidens.* 149.
§. II. *Gratia eſt Qualitas habens eſſe permanens, & per modum Habitus.* 150.

DUBIUM TERTIUM.

An Gratia ſit Supernaturalis, & Participatio Formalis Divinæ Naturæ.

§. I. *Reſolutio Primæ Partis.* 153.
§. II. *Reſolutio Secundæ Partis.* 154.
§. III. *Aliqua contra Præfata.* 156.

DUBIUM QUARTUM.

An Gratia conſtituat Hominem Filium Dei Adoptivum?

§. I. *Quædam Præmittuntur.* 158.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 159.
§. III. *Rationes Contrariæ.* 160.
§. IV. *Aliqua Quæſita Reſolvuntur.* 163.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM QUINTUM.

Utrum Gratia Habitualis ſit realiter idem cum Caritate?

§. I. *Reſolutio.* 165.
§. II. *Argumenta Contraria.* 168.
§. III. *Quomodo Virtutes effluant à Gratia.* 170.

DUBIUM SEXTUM.

In quo, ut in Sbjecto Immediato, ſit Gratia Habitualis?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 172.
§. II. *Rationes Contrariæ.* 173.
§. III. *An Creatura Irrationalis ſit Subjectum capax Gratiæ?* 175.

DUBIUM SEPTIMUM

Utrum ſolus Deus ſit Cauſa Principalis Gratiæ?

§. I. *Certa præmittuntur.* 177.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 178.
§. III. *Contrariæ Rationes.* 180.

DUBIUM OCTAVUM.

An Deus ſit Cauſa Gratiæ per Creationem?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 184.
§. II. *Rationes Scotiſtarum.* 185.

DUBIUM NONUM.

An Homo Viator poſſit certò ſcire, ſe eſſe in Gratia, tali Certitudine, ut nequeat ei ſubeſſe falſum?

§. I. *Varia præmittuntur.* 187.
§. II. *Aſſertio Catholica contra Sectarios.* 188.
§. III. *Sectariorum Fundamenta.* 191.
§. IV. *Examinantur Doctorum Catholicorum Sententiæ.* 194.
§. V. *An, ſecluſâ Revelatione, poſſit Homo Viator eſſe certus de ſua Prædeſtinatione?* 198.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE JUSTIFICATIONE PECCATORIS.
QUÆSTIO PRIMA.
De Eſſentia Juſtificationis.

DUBIUM PRIMUM.
Utrum Juſtificatio Impii ſit Remiſſio Peccatorum?

§. I.	*Explicatur Juſtificationis Notio.*	201.
§. II.	*Reſolutio Dubii.*	204.

DUBIUM SECUNDUM.
An in Juſtificatione Impii Peccata ſic remittantur, ut verè auferantur, & deleantur?

§. I.	*Catholica Veritas contra Sectarios.*	ibid.
§. II.	*Hæreticorum Fundamenta.*	206.

DUBIUM TERTIUM.
An Juſtificatio fiat per ſolam Juſtitiam Chriſti nobis Imputatam, an per Juſtitiam Intrinſecam?

§. I.	*Sectariorum Error.*	209.
§. II.	*Aſſertio Catholica.*	ibid.
§. III.	*Sectariorum Fundamenta.*	211.

DUBIUM QUARTUM.
An ſola Gratia Habitualis ſit Cauſa Formalis Juſtificans?

§. I.	*Aliqua Prænotantur.*	213.
§. II.	*Ponitur Reſolutio.*	214.
§. III.	*Rationes Vazquez.*	215.
§. IV.	*Quid dicendum ſit de Potentia Dei Abſolutâ?*	218.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM QUINTUM.

An poſſit Homo à Peccato mundari ſolâ Extrinſecâ Dei Condonatione, abſque ullâ ſui Intrinſecâ Mutatione?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 219.
§. II. *Argumenta Contraria.* 220.
§. III. *Quomodo remittatur Peccatum Veniale.* 223.

DUBIUM SEXTUM.

An poſſit Remitti unum Peccatum Mortale, non remiſſis omnibus?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 224.
§. II. *Rationes Contrariæ.* 225.

DUBIUM SEPTIMUM.

An Gratia ex Natura rei opponatur cum Peccato Mortali?

§. I. *Reſolvitur Dubium.* 227.
§. II. *Contraria Fundamenta.* 228.

DUBIUM OCTAVUM.

An de Potentia Dei Abſolutâ fieri poſſit, ut ſibi coexiſtant in eodem Subjecto Peccatum, & Gratia?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 230.
§. II. *Solvuntur Rationes Contrariæ.* 231.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Diſpoſitionibus ad Juſtificationem.

DUBIUM PRIMUM.

An Homo Adultus per Motum Liberi Arbitrii ſe diſponere debeat ad Gratiam Juſtificantem?

§. I.	*Explicatur Dubium.*	224.
§. II.	*Veritas Catholica.*	2 5.
§. III.	*Contraria Fundamenta.*	236.

DUBIUM SECUNDUM.

An ad Juſtificationem requiratur Motus Fidei; & quænam debeat eſſe hæc Fides?

§. I.	*Reſolutio Prioris Partis: Fidem requiri.*	237.
§. II.	*Errores Hæreticorum circa Fidem ad Juſtificationem neceſſariam.*	238.
§. III.	*Fides non eſt Fiducia.*	239.
§. IV.	*An Fides Juſtificans ſit Notitia, an Aſſenſus?*	241.
§. V.	*Quodnam ſit Fidei Juſtificantis Objectum.*	242.

DUBIUM TERTIUM.

An Fides ſola ſufficiat ad Juſtificationem?

§. I.	*Reſolutio Dubii.*	244.
§. II.	*Acatholicorum Fundamenta.*	245.

DUBIUM QUARTUM.

De Cæteris Diſpoſitionibus ad Juſtificationem.

§. I.	*De Timore.*	247.
§. II.	*De Spe Veniæ, & incboatâ Dei Dilectione.*	248.
§. III.	*De Dilectione Dei.*	ibid.
§. IV.	*De Odio, ac Deteſtatione Peccati.*	249.

§. V.

§. V. *De Propoſitio ſuſcipiendi Baptiſmum, vel Pœnitentiæ Sacramentum, Vitæ Emendandæ, & Obſervantiæ Præceptorum.* 250.
§. VI. *De Ultima Diſpoſitione ad Juſtificationem, à quo Principio ſit.* ibid.
§. VII. *An Juſtificatio ſit maximum Opus Dei; & an Miraculoſum?* 252.

TRACTATUS
DE MERITO JUSTI.
QUÆSTIO PRIMA.

De Eſſentia, Diviſione, & Exiſtentia Meriti.

DUBIUM PRIMUM.

Quid, & Quotuplex ſit Meritum.

§. I. *Eſſentia Meriti.* 253.
§. II. *Quotuplex ſit Meritum.* 254.

DUBIUM SECUNDUM.

An Homo Juſtus poſſit aliquid à Deo Mereri de Condigno?

§. I. *Catholica Veritas contra Sectarios.* 255.
§. II. *Sectariorum Argumenta.* 259.

DUBIUM TERTIUM.

An Retributio Vitæ Æternæ pro Meritis ſit Actus Juſtitiæ, & cujus?

§. I. *Reſolutiones Dubii.* 261.
§. II. *Solutio Objectionum.* 264.

§. III.

§. III. *Aliqua ex Dictis Colliguntur*. 266.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Conditionibus Requiſitis ad Meritum.

DUBIUM PRIMUM.

An Actus Meritorius debeat eſſe Liber, & quâ Libertate?

§. I. *Reſolutio Prior*. 268.
§. II. *Poſteriores Reſolutiones*. 269.

DUBIUM SECUNDUM.

An Actus Meritorius debeat eſſe Bonus, & in Obſequium Dei?

§. I. *Reſolvitur Prior Pars*. 270.
§. II. *Reſolvitur Pars Poſterior*. 271.

DUBIUM TERTIUM.

An ad Meritum Requiratur Status Viæ, & Status Gratiæ?

§. I. *Reſolvitur Prima Pars*. 272.
§. II. *Reſolvitur Secunda Pars*. 273.
§. III. *Rejiciuntur quæ Militant contra Secundam Aſſertionem*. 274.

DUBIUM QUARTUM.

An Meritum ſpectet ad Caritatem; & quomodo ad illud debeat Caritas influere?

§. I. *Reſolvitur Prima Pars*. 276.
§. II. *Ex dictis Aliqua Inferuntur*. 278.
§. III. *Quale ſit Imperium Caritatis ad Meritum Requiſitum*. 279.

DU-

DUBIUM QUINTUM.

An ad Meritum Hominis coram Deo requiratur Divina Ordinatio, promiſſio, & Pactum?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 281.
§. II. *Solutio Objectionum.* 283.

QUÆSTIO TERTIA.

De his, quæ Cadunt ſub Merito.

DUBIUM PRIMUM.

An Homo poſſit Mereri primam Gratiam, ſive Auxiliantem, ſive Juſtificantem ſibi, vel aliis?

§. I. *Reſolvitur de Gratia Actuali.* 284.
§. II. *Reſolvitur de prima Gratia Juſtificante.* 285.
§. III. *Reſolvitur de Merito primæ Gratiæ Alteri.* 287.

DUBIUM SECUNDUM.

An poſſit Homo ſibi Mereri, ut Reparetur poſt Lapſum?

§. I. *Reſolvitur quoad Meritum de Condigno.* 288.
§. II. *Reſolvitur de Merito Congrui.* 289.

DUBIUM TERTIUM.

An Homo Juſtus poſſit ſibi Mereri Augmentum Gratiæ, & Caritatis; & hoc de Condigno?

§. I. *Reſolutio Catholica.* 290.
§. II. *Objectionum Solutio.* 291.
§. III. *Duo Quæſita Reſolvuntur.* 292.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM IV. ET ULTIMUM.

Utrum Homo poſſit Perſeverantiam Mereri?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 294.
§. II. *Objectiones Solvuntur.* 295.

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitanâ Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cardinali Jacobo Boncompagno, Epiſcopo Albanenſi, Archiepiſcopo Bononiæ, ac Sacri Romani Imperii Principe.

Die 3. Septembris. 1730.

Attentâ præmiſsâ Relatione

IMPRIMATUR.

Fr. Paulus Hieronymus Gallaratus Inquiſitor Generalis Sancti Officii Bononiæ.

THEO-

THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ.

TRACTATUS DE DIVINA GRATIA.

Quia per legem admonemur quidem, quid agere debeamus; non tamen juvamur, ut id, quod agere debemus, impleamus: poſtquam de legibus actum eſt, ait D. Thom. 1. 2. q. 109. *Conſequenter conſiderandum eſt de exteriori principio humanorum actuum, ſcilicet, de Deo, prout ab ipſo per gratiam adjuvamur ad rectè agendum.* Vocat autem gratiam principium exterius; non quòd gratia intrinſecè non inſit, & homini non inhæreat: ſed quia Deus, qui eſt gratiæ largitor, principium exterius eſt, ideſt, extra hominem eſt, nec illi per ſeipſum ineſt, aut inhæret. In præſenti ergo Tractatu, primò: conſiderabitur cum eodem S. Doctore *De neceſſitate gratiæ*. Secundò: *De gratia quantùm ad ejus eſſentiam*. Tertiò: *De ejus diviſione*.

QUÆSTIO I.

De Neceſſitate Gratiæ Divinæ.

Gratia alia eſt actualis, alia habitualis. Hìc de gratia actuali ſpecialiter agemus, quæ eſt donum actuale à Deo deſcendens, quo creatura rationalis adjuvatur ad omnes ſuas operationes perficiendas; maximè eas, quæ ejus vires excedunt, quæque ad ejus æternam ſalutem ordinem habent. De hujus ergo neceſſitate ſpecialiter agimus.

DUBIUM I.

Variæ Gratiæ Actualis Acceptiones, ac ejus præcipui Hoſtes.

§. I.

Quid Nomine Gratiæ veniat.

1. Nomine gratiæ ſignificantur dona à Deo gratis, & liberaliter creaturæ rationali collata. Quia verò hujuſmodi dona triplicis generis ſunt; ideo triplex eſt gratiæ acceptio. Primò ergo accipitur gratia largè, & impropriè: & hoc modo nomine gratiæ ſignificatur quodcumque beneficium à Deo nobis gratis, & liberaliter conceſſum; ſive ad naturam pertineat, ſive ſupra naturam ſit. Ita ſumitur à D. Hieronymo *Epiſt.* 139. (nunc inter Criticas) *ad Cyprianum*, dum ait: *Homo à principio conditionis ſuæ Deo utitur adjutore: & quàm illius ſit gratiæ, quòd creatus eſt, illinſque miſericordiæ, quòd ſubſiſtit, & vivit &c.* Et à S. Auguſtino, quando *Epiſt.* 95. *modò* 177. ſcribit: *Quâdam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati ſumus, ut nonnihil eſſemus; nec ita eſſemus aliquid, ut cadaver, quod non vivit, aut arbor, quæ non ſentit, aut pecus, quod non intelligit; ſed homines, qui & eſſemus, & viveremus, & ſentiremus, & intelligeremus: & de hoc tanto beneficio Creatori noſtro gratias agere valeamus: unde meritò & iſta gratia dici poteſt; quia non præcedentium aliquorum bonorum operum merito, ſed gratuitâ Dei bonitate donata eſt.* Gratiam in hac acceptione nemo negavit unquam: imò ipſe gratiæ hoſtis in-

fenſiſſimus Pelagius hac gratiæ acceptione Patres Concilii Palæſtini fefellit, ut notat S. Auguſt. Epiſt. citatâ. Dum enim videbatur concedere neceſſitatem gratiæ ad opera ſalutaria; nomine gratiæ nil aliud intelligebat, niſi beneficium creationis, vel liberum arbitrium gratis à Deo uobis conceſſum. Unde idem S. Auguſt. *Serm.* 11. *de Verb. Apoſt.* modò *Serm.* 26. *c.* 7. inducit Pelagianum ita loquentem: *Hoc ipſo, quia liberum arbitrium hominis defendo, & dico, quia liberum arbitrium ſufficiens eſt, ut juſtus ſim, non ſinè gratiâ Dei.* Sed Auguſtino ipſum interrogante: *Expone ergo nobis, o doctor, quam dicas gratiam?* Reſpondet: *Cum dico... liberum hominis arbitrium; vide quia hominis dico.* Quid deinde? *Hominem quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit, & homini Deus liberum donavit arbitrium; quidquid poteſt homo de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, niſi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio?*

Nec in hoc erravit Pelagius: ſed in eo, quòd hac ſolâ gratiâ contentus, quâ homines ſumus; aliam gratiam verè talem, quâ Chriſtiani ſumus, & quâ ſupra naturam elevamur, negaret.

Quòd ſi dixeris: nomen gratiæ opponi debito, ac per conſequens non poſſe inter gratias recenſeri dona naturalia, cùm illa videantur eſſe debita.

Reſpondetur ex D. Thom. 1. 2. *q.* 111. *a.* 1. *ad* 2. Duplex eſſe debitum. Unum ex merito proveniens, quod refertur ad perſonam, cui propter ſua merita aliquid debetur. Alterum ſecundùm conditionem naturæ: puta ſi dicamus, debitum eſſe homini, quòd habeat intellectum, voluntatem, & alia ad naturam humanam pertinentia. Dona igitur naturalia, etſi non careant hoc ſecundo debito, carent tamen primo: non enim ex merito hominis eſt, quòd ſit, quòd ſit homo, & quòd habeat ea, quæ conveniunt homini.

II. Secundò accipitur gratia magis ſtrictè, prout dicit aliquod donum, non quidem ordinem naturalem prorſus excedens; ſed tamen naturæ ex vi creationis, & conſervationis indebitum. Tale fuit donum integritatis naturalis primo homini conceſſum: & talia in ſtatu naturæ lapſæ ſunt quædam auxilia intra ordinem naturæ ſpecialia; quæ Deus confert aliquibus ad aliqua opera ordinis naturalis difficilia, & relatè ad naturam lapſam indebita.

III. Tertiò demum accipitur gratia maximè propriè pro beneficio ſupra totum naturæ debitum, nobis per Chriſtum exhibito; quo diſponimur, & ordinamur ad facienda opera meritoria, ut oportet, ad vitam æternam conſequendam. Et hæc eſt propriè, ac theologicè gratiæ acceptio, de qua in hoc Tractatu præcipuè acturi ſumus: quamvis de gratia etiam in ſecunda acceptione mentionem aliquando facturi ſimus.

§. II.

Gratiæ Hoſtes Præcipui.

IV. PRimus, qui contra gratiam in apertum erupit, fuit Pelagius Monachus, anno 412. qui hæreſi Pelagianæ nomen dedit. Hujus Perſonam, hæreſis progreſſum, variosque ejuſdem ſtatus abundè deſcripſimus *Tom.* 4. *in* 1. *P. de Prædeſtinatione Qu.* 3. *Dub.* 1. § 1. Unde illuc meum Candidatum remitto. Ut rem paucis verbis concludam: Pelagius initio ſuæ hæreſis omnem omnino gratiam negavit; ſolamque naturam rationalem cum libero arbitrio nomine gratiæ, ut nuper dicebamus, eſſe gratiam ſufficientem ad quodcumque bonum opus ad vitam æternam conducens aſſerebat. Deinde aliqualem gratiam à natura diſtinctam muſſitare cæpit: ſed hanc non aliud eſſe, quàm legem, doctrinam, & Chriſti exemplum; gratiam, nempe, merè externam. Poſtea gratiam aliquam internam viſus eſt fateri, in ſola tamen illumi-

natio-

Digitized by Google

nationē intellectus ſitam: & hac, nullo alio poſito, voluntatem ſuis viribus poſſe ad omne opus bonum, etiam ut oportet ad vitam æternam. Tandem gratiam ad velle bonum confeſſus eſt, & quidem ſupernaturalem: ſed hanc non neceſſariam, ſed ſolum utilem, & ad majorem operandi facilitatem afferebat: & hanc humanis meritis impetrari poſſe. Damnatus tamen cum ſuo errore fuit Pelagius in Concilio Carthaginenſi, anno 412. in Dioſpolitano, anno 415. in Carthag. & Milevitano, 416. in plenario totius Africæ, anno 417. in Epheſino 1. anno 431. ac Demum finaliter proſcriptus à Summis Pontificibus Innocentio I. Zozimo, Bonifacio, Xiſto, à Leone Magno, à Gelaſio, & Hormiſdâ in ſua *ad Poſſeſſorem* Epiſtolâ.

V. Victo Pelagio, ejuſquē hæreſi, altera ſurrexit; quæ, quia Pelagianæ appendix, & ramuſculus fuit, Semipelagiana dicta eſt. Ortum habuit 1. in Africa, ſpecialiter in Monaſterio Adrumetino, occaſione acceptâ ex iis, quæ S. Auguſtinus ſcripſerat contra Pelagianos. Cùm enim S. Doctor gratiæ Divinæ neceſſitatem, ac vim ad opera ſalutaria mirè extuliſſet; quidam ex doctrina ejuſdem exiſtimarunt, ſequi fatalem neceſſitatem, ac proinde inutiles eſſe correptiones. Quidam verò Auguſtini doctrinam temperare volentes, dixerunt: non aliter poſſe liberum arbitrium cum gratia conciliari, niſi dicendo, progreſſum quidem in bonis operibus ex gratia eſſe; initium tamen, maximè fidei, ſeu deſiderium credendi ex nobis eſſe, non ex gratia, nec Dei donum.

VI. Error hic ex Africa transfretavit in Gallias, maximè Maſſiliam (unde poſtea Semipelagiani Galli Maſſilienſes dicti ſunt) ubi plures Patronos, hoſque viros doctrinâ inſignes, nactus eſt, Caſſianum, Fauſtum Regienſem, Gennadium, alioſque. Horum error erat: initium aliquod juſtitiæ, ac ſalutis eſſe à nobis, nimirum, fidem, ac voluntatem aliquam ſalutis obtinendæ; & hæc præcedere opera gratiæ, ſicut deſiderium ſanitatis obtinendæ præcedit operam medici. Ita exponebat Hilarius *Epiſt. ad Auguſt.* Dicebant inſuper: Deum ſincerâ voluntate velle omnium ſalutem; nec ſpeciali voluntate, ac conſilio magis velle ſalutem unius, quàm alterius; nec Chriſtum Paſſionis ſuæ fructum uni magis, quàm alteri applicare. Ita S. Proſper *Carmine de Ingratis c.* 13. Semipelagianorum hiſtoriam, alioſque eorumdem errores recenſuimus citato *Tomo* 4. *in* 1. *P. Q.* 3. *de Prædeſt. Dub.* 1. §. 2.

VII. Hactenus illos retulimus, qui libero arbitrio nimiùm deferentes, gratiæ divinæ detraxerunt. Modò ad aliud extremum oppoſitum accedendo placet eos afferre; qui gratiam ſic ſtatuerunt, ut libero arbitrio locum non relinquerent. Primi inter hos fuerunt ex Monaſterio Adrumetino aliqui, tempore S. Auguſtini; qui S. Doctoris doctrinam de gratia malè intelligentes, per eam liberum arbitrium opprimi dicebant: quos ſecuti ſunt alii, Prædeſtinatiani dicti (de quibus, an revera fuerint, reſolvimus *Tom.* 4. *in* 1. *P. Q.* 2. *de Prædeſtinat. Dub.* 1. §. 2.) de quorum ſchola ſeculo 9. fuiſſe traditur Gotteſchalcus quidam, natione Germanus, profeſſione Monachus.

VIII. Hunc errorem, inter alios quamplures, excitavit Martinus Lutherus. Dum enim aſſerebat, per peccatum originale extinctum fuiſſe in nobis liberum arbitrium ad bonum, & manſiſſe unicè determinatum ad malum; ac proinde liberum arbitrium ad bonum in nobis eſſe rem de ſolo titulo, ſeu titulum ſine re: ex hoc deducebat, omnem noſtram intellectionem eſſe errorem, omnem noſtrum affectum eſſe peccaminoſum, omnem noſtram actionem peccatum. Hinc proſequebatur dicens: liberum arbitrium nihil agere, ſed merè paſſivè ſe habere, recipiendo actum à Deo in ipſo productum. Opera autem bona, non

ex nobis prodire, ſed extrinſecâ applicatione Paſſionis, & meritis Chriſti unicè in nobis fieri, ſeu nobis imputari: ac proinde injuriam facere Redemtori, qui contenderet benè agère, ac pœnitentiam aſſumere; cum ſufficiat credere, ſibi eſſe remiſſa peccata per imputationem externam meritorum Chriſti. Quæ omnia anathemate confixit Tridentinum *Seſs. 6. Can. 4. 5. 11. &c.*

IX. Calvinus verò, eſtò non tantâ impudentiâ, ut Lutherus, diceret, liberum arbitrium ad bonum à nobis eſſe penitùs ſublatum, reverà tamen ſolùm arbitrii nomen admiſit: dum aſſeruit, illud ſub gratia poſitum non liberâ electione agere, ſed neceſſitate, & à gratiâ Dei moveri, ſicut equus à ſeſſore movetur.

X. Ex his colligitur: Pelagium, Lutherum, & Calvinum ſuas hæreſes ex eodem hoc principio intuliſſe, nempe: Liberum arbitrium cum præveniente, & efficaci gratia Dei conſiſtere non poſſe. Ex hoc autem principio oppoſitas concluſiones deduxerunt. Pelagius enim, & Pelagiani, ac Semipelagiani ſic arguebant: Datur in homine liberum arbitrium; ergo non datur gratia Dei præveniens, & efficax. Ubi ex antecedente de fide certo deduxerunt conſequens hæreticum. Lutherus verò, & Calvinus ſic diſcurrebant: Datur efficax, & præveniens Dei gratia ſecundum Scripturas, & Auguſtinum; ergo non eſt in homine liberum arbitrium. Unde & iſti ex principio ſecundùm fidem certo, & oppoſito conſequenti hæretico Pelagii, inferebant oppoſitum antecedentis catholici, quo Pelagius dixerat, in nobis eſſe liberum arbitrium.

XI. In hoc erraverunt etiam Bajus, cujus, inter alias, damnavit propoſitiones 39. 66. & 67. anno 1567. S. Pius V. & Janſenius, cujus propoſitiones proſcriptæ fuerunt ab Innocentio X. anno 1653. Alexandro VII. 1656. Innocentio XII. & Clemente XI. Hi enim in ſtatu naturæ lapſæ ſolam libertatem à coactione, non verò libertatem indifferentiæ, ſeu à neceſſitate admiſerunt.

XII. Catholici ergo ſtudium eſſe debet, ut ab hæreticis recedat; gratiæ neceſſitatem ad opera bona aſſerere contra Pelagium: liberum arbitrium ad bonum non eſſe extinctum per peccatum originale, contra Lutherum. Quod oſtendimus *Tom. 6. in 1. p. Quæſt. 10. de Effectibus peccati Origin. Dub. 2. §. 2.* Et contra Calvinum, Bajum, & Janſenium, liberum arbitrium in præſenti ſtatu gaudere libertate, nedum à coactione, ſed & à neceſſitate, ſeu indifferentiæ. Quod oſtenſum à nobis eſt *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de Act. human. q. 2. de Voluntario libero. Dub. 1. §. 3.* & *Dub. 2. §. 1.* his igitur prænotatis, ad propoſitam quæſtionem accedamus.

DUBIUM II.

An ad cognoſcendas Veritates Supernaturales, & Fidei ſit neceſſaria Gratia?

§. I.

Aliqua notatu digna.

I. NOto primo: veritatem aliquam tripliciter dici poſſe ſupernaturalem. Uno modo ex parte objecti tantùm, non autem ex parte rationis ſub qua, ſeu motivi aſſentiendi, quod eſt divina revelatio: ſicut ſi aliquis moveatur ad credendum myſterium Trinitatis ex aliquo motivo humano, non quia Deus illud revelavit. Alio modo poteſt eſſe ſupernaturalis ex parte motivi aſſentiendi, non verò ex parte rei creditæ; ut quando credimus aliquod naturale, quia Deus illud revelavit: quomodo credimus, Abraham habuiſſe duos filios (quæ eſt veritas naturalis) quia Deus hoc nobis revelavit in S. Scriptura. Tertiò denique modo poteſt veritas aliqua eſſe ſupernaturalis utroque modo; ita ut & res credita, & moti-

Digitized by Google

motivum credendi ſupernaturalia ſint: ut dum credimus, Deum eſſe trinum, & unum, quia Deus dixit.

II. Noto ſecundò: ad cognoſcendas veritates ſupernaturales duo requiri. Unum ex parte objecti, ſcilicet, quòd proponatur, ſeu reveletur: alterum ex parte intellectus, ut ſcilicet ei aſſentiatur; & ex parte voluntatis, quæ moveat intellectum ad aſſentiendum. Primùm nemo unquam negavit, nec Pelagius ipſe, ſaltem in ſecundo ſuæ hæreſis ſtatu. Imò hanc unicam gratiam ſufficere dicebat ad credendum; nempe, quòd Deus rem credendam exteriùs homini revelet, ſeu proponat. Secundum negavit Pelagius: & quamvis in tertio ſuæ hæreſis ſtatu gratiam aliquam internæ illuſtrationis admiſerit in intellectu; ulteriorem tamen gratiam internam in voluntate, ſaltem tanquam neceſſariam, conſtanter negavit.

III. Noto tertiò: in fide tria conſiderari poſſe; cogitatio de myſteriis, quæ per fidem creduntur; affectus, ſeu imperfectum deſiderium fidei; & ipſe actus fidei, ſeu aſſenſus. Pelagiani docebant: ſive ad cogitationem de myſteriis fidei, ſive ad affectum credendi, ſive etiam ad ipſummet fidei actum, homini lapſo ſatis eſſe externam revelationem cum interiori mentis illuminatione. Semipelagiani, iî præſertim, de quibus Proſper, & Hilarius ad Auguſtinum ſcripſerunt, fatebantur quidem, ipſum fidei actum à Deo eſſe per gratiam datam etiam voluntati: ſed contendebant, Deum in nobis per gratiam non operari primam cogitationem, & primum deſiderium, ſeu velleitatem credendi; ſed hæc eſſe à nobis: & in hoc ſenſu dicebant, initium fidei à nobis eſſe.

*** ✠ ***

§. II.

Aſſertiones Catholicæ.

IV. Dico primò. Quando veritas, eſtò in ſe ſit ſupernaturalis, attingitur tamen ob motivum merè naturale; ſuppoſitâ revelatione, & propoſitione poteſt viribus naturæ attingi. Probatur. Nam veritates illæ, ut motivo merè naturali attinguntur, ſunt quidem ſupernaturales in ſe, & materialiter, non tamen formaliter, & in ratione objecti; quia objectum in ratione talis formaliter conſideratur ex motivo, ſub quo attingitur: ſic Deus, etiam ut unus, in ſe ſupernaturalis eſt; ut tamen naturali diſcurſu à Philoſopho unitas Dei demonſtratur, in ratione objecti, naturalis eſt.

Propterea hæreticus, qui articulos, quos credit, non quia Deus eos revelavit, ad credendum movetur, aliàs omnes alios crederet; ſed quia ſuo proprio judicio, & pertinaci ſuæ voluntatis ſuperbiâ, ac proinde motivo merè naturali, ad eos, præ aliis, credendos movetur: quamvis eos firmiſſimè credat, non tamen fide ſupernaturali, & divinâ, nec gratiæ auxilio eos credit, ſed fide prorſus humanâ, ut in *Tract. de Fide* docemur à D. Th. 2. 2. *q.* 5. *a.* 3.

Eâdem ratione, qui ad credendum unicè moveretur ex auctoritate eorum, qui fidei myſteria proponunt, & prædicant, vel aliquo ſigno viſo, nec altiùs cogitatione aſſurgeret; fide tantùm humanâ, & motivo naturali crederet, nec crederet ſicut oportet ad ſalutem. Ut ergo quis credat fide ſupernaturali divinâ, & ut oportet; neceſſe eſt, ut fidei articulos firmiſſimè amplectatur propter auctoritatem Dei revelantis, & ex affectu pietatis erga Deum, quo, nempe, Deo ſe ſubjicit volens; indubitatè ſuſcipiat omnia, quæ ipſe revelat, quamvis humanam rationem longè ſuperent. Hinc

V. Multò minus Fide ſupernaturali,

li, & divinâ crederet, qui ex pravo affectu, puta, regnandi, vel alio quovis malo fine ad credendum præcipuè moveretur. Et hoc primò: quia affectus credendi eſt donum Dei: id autem de affectu pravo dici non poteſt, cùm ſit peccatum. Secundò: affectus credendi eſt initium bonæ voluntatis: pravus affectus è contra eſt initium malæ voluntatis. Tertiò: credens ex affectu pravo ſe habet, ſicut qui propter vanam gloriam eleemoſynam largitur; ergo ſicut in eo non eſt vera miſericordiæ virtus, quia finis vanæ gloriæ imperat eleemoſynam: ita nec in eo, in quo pravi affectus, & finis imperant fidem.

VI. Dico ſecundò. Ad actum fidei divinæ, ſive ad aſſentiendum veritatibus ſupernaturalibus, ut oportet; ſive ſint ſupernaturales tam ex parte objecti, quàm ex parte motivi; ſive tantum ex parte motivi, requiritur gratia interna per Chriſtum. Eſt veritas de fide, ſtabilita contra Pelagianos in pluribus Conciliis; præſertim Arauſicano ſecundo, anno 529. *Canon.* 6. *&* 7. & noviſſimè in Tridentin. *Seſſion.* 6. *Canon.* 3. his verbis: *Si quis dixerit, ſinè præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicuti oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

VII. In oppoſito errore aliquando ſe fuiſſe, nimirum, ad credendum ſufficere prædicationem veritatis, neque aliud Dei donum requiri, ingenuè, ac humiliter fatetur S. Auguſtinus *l. de Prædeſt. SS. c.* 3. dicens: *Neque enim fidem putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur, quod poſceremus utiliter; niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis: ut autem prædicato nobis Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant, ante Epiſcopatum meum ſcripta* (nimirum, expoſitio quarumdam propoſit. ex Epiſt. ad Romanos.)

VIII. Ad deponendum autem ſuum antiquum præfatum errorem dicit ibidem, motum ſe fuiſſe ex dicto S. Cypriani l. 3. Teſtimoniorum ad Quirinum: *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.* Quod oſtendit ex Apoſtolo 1. *Cor.* 4. v. 7. dicente: *Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quibus S. Auguſtinus ſubjungit: *Quo præcipuè teſtimonio etiam ipſe convictus ſum, cùm ſimiliter errarem; putans fidem, quâ in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona quibus temperanter, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo.*

IX. Hanc veritatem *Cap.* 2. præcedente probaverat Sanctus Doctor ex illo ad Philippenſ. 1. v. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut credatis in eum; verum etiam, ut patiamini pro eo.* Super quæ, ait: *Utrumque oſtendit Dei donum, quia utrumque dixit eſſe donatum. Nec ait, ut pleniùs, & perfectiùs credatis: ſed ut credatis in eum.* Rurſus ex illo 1. Cor. 7. v. 25. *Miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis. Non ait, quia fidelis eram. Fidelis ergo datur quidem; ſed datum eſt etiam, ut eſſet fidelis.* Alia S. Script. teſtimonia adducemus infra.

X. Probatur autem hoc diſcurſu. Elicere actum fidei, prout oportet, quatuor modis intelligi poteſt. Primò: ita ut per illum impleatur præceptum, quo actus fidei præcipitur. Secundò: ut ille actus ad juſtificationem conferat. Tertiò: ut fiat ex pio in Deum revelantem affectu. Quartò: ut ille actus ſit ita certus ex parte credentis, ut ita credens paratus ſit mortem ſubire pro veritate, quam credit. Atqui gratia eſt ſimpliciter neceſſaria ad eliciendum actum fidei, prout oportet, quocumque ex dictis quatuor modis hæ voces, *prout oportet*, ſumantur; ergo &c.

Minor

Minor pro primo modo prob. Dum præcipitur actus fidei, præcipitur actus, qui ſit ſupernaturalis; is enim eſt actus fidei, ut oportet: ſed actus fidei, qui ſit ſupernaturalis, non poteſt elici ſinè gratiâ: natura enim per ſeipſam non poteſt ad ea, quæ ſupra ipſam ſunt, ejuſque proportionem excedunt; ergo &c. Unde D. Tho. *hâc q.* 109. *a.* 1. docet, quòd *unaquæque forma indita rebus creatis à Deo habet efficaciam reſpectu alicujus actus determinati, in quem poteſt ſecundùm ſuam proprietatem; ultra tamen non poteſt, niſi per aliquam formam ſuperadditam: ſicut aqua non poteſt calefacere, niſi calefacta ab igne. Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, ſcilicet, ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quadam intelligibilia cognoſcenda; ad ea ſcilicet in quorum notitiam per ſenſibilia poſſumus devenire. Altiora verò intelligibilia intellectus humanus cognoſcere non poteſt, niſi fortiori lumine perficiatur, ſicut lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, inquantùm eſt naturæ ſuperadditum.*

Ad actum fidei ſecundo modo eſſe neceſſariam gratiam, oſtenſum eſt ſuperiùs ex Tridentino *Seſ.* 6. *Can.* 3.

Eſſe etiam neceſſariam ad actum fidei tertio modo, ideſt, ut quis ex pio in Deum affectu credat, probatur. Nam pius ille in Deum affectus eſt initium bonæ voluntatis: at initium bonæ voluntatis non eſt à nobis, ſed à Dei gratia, ut infra oſtendemus: *Deus eſt enim qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*, (ajebat Philippenſibus Paulus c. 2. v. 13.)

Tandem Gratiam eſſe neceſſariam ad eliciendum actum fidei cum tanta certitudine, ut homo paratus ſit pro fide mortem obire, conſtat. Tùm ex Paulo ad Philipp. 1. v. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm, ut credatis in eum, verùm etiam, ut patiamini pro eo.* Tùm quia: paratum eſſe mori pro Chriſto, ejuſque fide, eſt actus ardentiſſimæ caritatis in Deum, juxta illud Jo. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Tùm demum: quia tanta certitudo de myſteriis, quæ cum ratione naturali plerumque in ſpeciem pugnant, & de quibus, cùm ſint fidei, haberi nequit demonſtratio, non aliunde, quàm ex Dei adjutorio haberi poteſt.

XI. Dico tertiò. Ad eliciendum fidei actum, ut oportet, non ſolum neceſſaria eſt gratia interna illuſtrans intellectum, ſed & movens voluntatem. Hoc quovis tempore pertinaciter negavit Pelagius, ut vidimus: conſtat tamen ex dictis. Nam homo non movetur ad credendum, ut oportet, niſi ex pio affectu erga Deum: iſta autem pia affectio, & bona voluntas, cùm ſit ſupernaturalis, quia de objecto ſupernaturali, non poteſt naſci ex nobis. Rurſus; intellectus quamvis illuſtratus non procedet ad credendum, niſi moveatur à voluntate: voluntas autem propriis viribus movere non poteſt ad actum fidei ſupernaturalem.

XII. Dico quartò. Etiam ad initium credendi, ſicut oportet, hoc eſt, ad cogitationem, & deſiderium vel tenuiſſimum habendæ fidei, vera, & efficax gratia actualis per Chriſtum ſimpliciter, & abſolutè requiritur. Eſt contra Semipelagianos. Et probatur primò ex illo 2. *Corinth.* 3. *v.* 5. ubi poſtquam dixit: Fiduciam nos habere per Chriſtum ad Deum, ſubjungit: *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Super quæ D. Tho. ibi *Lect.* 1. ait: *Cauſa autem hujus fiduciæ eſt, quia quidquid ego facio, etiam ipſum principium operis, Deo attribuo. Et ideo dicit:* Non quòd ſimus ſufficientes cogitare, *ſaltem non dicere, vel implere. Nam in quolibet proceſſu operis primò eſt aſſenſus, qui ſit cogitando; deinde collatio per verbum, & poſtmodum impletio per opus: unde fit, ut ſic nec cogitare quis à ſe habeat, ſed à Deo: non eſt dubium*

bium quòd non ſolùm perfectio operis boni eſt à Deo, ſed etiam inchoatio : Philipp. 1. Qui cæpit in vobis opus bonum &c. *Et hoc eſt contra Pelagianos dicentes, quòd inchoatio boni operis eſt ex nobis, ſed perfectio eſt à Deo..... Sed ex hoc ne videatur tollere libertatem arbitrii, dicit :* A nobis, quaſi ex nobis. *Quaſi dicat : poſſumus quidem aliquid facere, quod eſt liberi arbitrii ; ſed hoc, quod facio, non eſt ex me, ſed à Deo, qui hoc ipſum poſſe confert ; ut ſic & libertatem hominis defendat, cum dicit :* A nobis, *ideſt, à noſtra parte : & divinam gratiam commendet, cum dicit :* Quaſi ex nobis, *ſcilicet, procedat, ſed à Deo.* Ita S. Tho. Et S Auguſt. l. de Dono perſeverantiæ c. 13. *Cogitantes* (inquit) *credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus : quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum non ſumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

XIII. Præcipuè verò *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 2. relatis Apoſtoli verbis prælaudatis, ſubjungit : *Attendant hic & verba iſta perpendant, qui putant, ex nobis eſſe fidei captum, & ex Deo eſſe fidei ſupplementum. Quis enim non videat, priùs eſſe cogitare, quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, niſi priùs cogitaverit eſſe credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes antevolent ; moxque illa ita ſequatur, ut quaſi conjunctiſſima comitetur : neceſſe eſt tamen, ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur..... Quod ergo pertinet ad religionem, atque pietatem (de qua loquebatur Apoſtolus) ſi non ſumus idonei cogitare aliquid, quaſi ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt ; profectò non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobis metipſis, quod ſinè cogitatione non poſſumus ; ſed ſufficientia noſtra, qua credere incipiamus, ex Deo eſt.*

XIV. Probatur ſecundò. Si nos ex nobis daremus Deo bonam credendi voluntatem, & ſubinde Deus daret nobis fidem ; nos priùs daremus Deo de noſtro, & Deus retribueret nobis de ſuo : atqui Paulus clamans oppoſitum ait, Roman. 11. v. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Hinc S. Auguſt. *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 2. concludit : *En ipſum igitur initium fidei noſtræ, ex quo, niſi ex ipſo eſt? Neque enim, hoc excepto, ex ipſo ſunt cætera ; ſed ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

Si dicas, hoc ipſum deſiderium credendi eſſe etiam à Deo, qui prior dedit nobis voluntatem, quam ſubinde nos ipſi offerimus. — Sed contra. Poſitâ hac reſponſione, eſtò voluntas, quæ poteſt eſſe bona, & mala, prout ſcilicet dicit liberum arbitrium potens flecti ad bonum, & ad malum, ſit in nobis à Deo ; prima tamen voluntas bona, quæ, nempe, eſt initium fidei, erit in nobis ex nobis, non ex Deo ; ergo aliquid erit in nobis, quod non erit ex Deo, contra illud Pauli 1. Cor. 4. 7. *Quid enim habes, quod non accepiſti?* Imò cum melior ſit voluntas bona, quàm voluntas potens eſſe bona, & mala ; id, quod melius eſt, erit ex nobis, quod verò minus bonum eſt, erit ex Deo. Ita diſcurrit S. Auguſt. *lib. 2. de Peccat. merit. c.* 18. his verbis : *Nam ſi nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe vel bona, vel mala, bona verò voluntas ex nobis eſt : melius eſt id, quod à nobis, quàm quod ab illo eſt.*

XV. Probatur tertiò. Si illud primum fidei deſiderium, & initium ſit à nobis, ejuſque intuitu Deus conferat nobis fidem ; jam fides ſecundùm merita noſtra dabitur, nempe, ſecundùm illum bonum affectum, & inchoatam credendi voluntatem : ſed hoc damnatum fuit in Pelagio ; ergo &c. Hoc argumentum urget S. Auguſtin. *lib. de Prædeſt. SS. c.* 2. dicens : *Quis autem dicat, eum, qui jam cæpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti cætera*

dican-

dicantur addi retributione divinâ; ac per hoc gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari: quod objectum ſibi Pelagius, ne damnaretur, ipſe damnavit.

XVI. Prob. tandem auctoritate Concilii Arauſicani II. *Can.* 5. ubi ita ſtatuitur: *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, & ad generationem ſacri Baptiſmatis pervenimus, non per gratiæ donum, ideſt, per inſpirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit; Apoſtolicis documentis adverſarius approbatur, Beato Paulo dicente:* Confidimus, quia qui cæpit in vobis bonum opus, perficiet uſque in diem Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Et illud:* Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm, ut in eum credatis, ſed etiam, ut pro illo patiamini. *Et*: Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt. *Qui enim fidem, quâ in Deum credimus, dicit eſſe naturalem; omnes eos, qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodo fideles eſſe definiunt.* Videatur etiam *Can.* 6. & 7. Conferantur ea, quæ diximus *Tom.* 4. *in* 1. *p. Qu.* 3. *de Cauſis Prædeſt. Dub.* 1. §. 3.

§. III.

Argumenta contraria.

XVII. Contra primam aſſertionem nihil occurrit ſpeciale. Contra ſecundam verò objici poteſt. Intellectus propriis viribus attingere poteſt quidquid intra ejus objectum ſpecificativum continetur: ſed veritates ſupernaturales fidei continentur intra objectum ſpecificativum intellectus humani, quod claudit omne verum; ergo &c.

XVIII. Reſpondeo, majorem eſſe veram de objecto proportionato potentiæ; non verò de objecto excedente facultatem potentiæ. Veritates autem ſupernaturales licèt contineantur intra ſpheram eſſentialem objecti ſpecificativi intellectus humani, quod eſt omne verum; excedunt tamen ejus naturalem facultatem, & proportionem, cùm ſint altioris, & ordinis diverſi. Quemadmodum lux Solis, eſtò contineatur intra objectum ſpecificativum viſus, quod eſt corpus lucidum, vel coloratum: quia tamen ob nimium ejus ſplendorem excedit naturalem facultatem, & proportionem viſus, ab eo nequit videri, niſi ſpeciali aliqua virtute roboretur.

XIX. Objicies ſecundò contra tertiam aſſertionem. Si ad credendum requiritur gratia ex parte voluntatis, ſicut requiritur ex parte intellectus; jam ſicut in intellectu, præter auxilium actuale, ponitur habitus ſupernaturalis fidei: ita in voluntate deberet, præter gratiam actualem, poni habitus ſupernaturalis; quo, ſicut intellectus, ita, & ipſa permanenter inclinaretur ad imperandum actum fidei: atqui hoc videtur abſurdum. Nam ille habitus in voluntate nec eſſet virtus theologica, ut patet, nec moralis infuſa; virtutes enim morales infuſæ amittuntur per peccatum mortale, ſicut ipſa gratia, à qua emanant: habitus autem ille perſeveraret in peccatore, ſicut & fides, quæ in eo manet, informis tamen.

XX. Reſponderi ſolet dupliciter. Primò, neg. maj. Sicut enim ad opera artis efficienda ponitur habitus in ſolo intellectu, quamvis ad opus artis efficiendum debeat à voluntate moveri: ita ad aſſentiendum myſteriis revelatis poni debet habitus in intellectu, qui immediatè elicit aſſenſum; in voluntate autem, quæ ſolùm movet ad aſſenſum, nihil habituale, & permanens poni debet, ſed ſolùm actuale auxilium hic, & nunc eam elevans.

Secundò, datâ maj. nego min. Nec enim neceſſe eſt, ut ille habitus poſitus in voluntate, ſit directè, & propriè virtus theologica, vel moralis infuſa; ſed reductivè pertinet ad virtutem theo-

theologicam fidei, tanquam via, & diſpoſitio ad ipſam. Sed de hoc dicetur in *Tract. de Fide*.

XXI. Objicies tertiò contra quartam aſſertionem. Apoſtolus dicit quidem, gratiam non eſſe ex operibus, non tamen dicit, gratiam non eſſe ex fide; ergo eſtò dici non poſſit, quòd opera præcedant gratiam, non eſt cur fides, ſaltem inchoata, præcedere non poſſit gratiam, & ſinè gratiâ haberi.

XXII. Reſpondetur, co. ant. neg. conſ. Nam opera poſſunt eſſe ſinè gratia, & ante gratiam, quia naturalia ſunt; non tamen fides, quia ſupernaturalis eſt, & ad juſtificationem perducit. Et hoc indicavit Paulus ipſe *ad Galat.* 2. *v.* 16. dum ait: *Et nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis*. Et S. Auguſt. l. de Prædeſt. SS. c. 7. *Ex fide autem ideo dicit juſtificari hominem, non ex operibus: quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus juſtè vivitur. Nam dicit etiam ipſe:* Gratiâ ſalvi facti eſtis, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt (Epheſ. 2. v. 8.) *ideſt, & quod dixi per fidem*, non ex vobis, *ſed Dei donum eſt etiam fides*. Cætera argumenta inveniet Studioſus propoſita, & ſoluta ſupracitato *Tom.* 4. *Q.* 3 *de Cauſ. Prædeſtin. Dub.* 1. §. 4.

XXIII. Quæres tamen: An & quomodo fides ſit primum Dei donum, & prima gratia; ſeu an, & quomodo fides ſit primus effectus gratiæ?

Suppono, in fide quatuor conſiderari poſſe. Primò: cogitationes de fide amplectendâ. Secundò: voluntas audiendi Evangelium ex deſiderio ſalutis. Tertiò: bonus in Evangelium auditum affectus. Quartò tandem: ipſe actus fidei, ſeu aſſenſus, & conſenſio voluntatis auditis, & revelatis in Evangelio. Cogitationem antecedere fidem, ſuperius oſtendimus ex S. Auguſt. *l. de Prædeſt. SS. c.* 2. Voluntas audiendi Evangelium ex deſiderio propriæ ſalutis eluxit in Proconſule Sergio, antequam fidem amplecteretur. *Hic* (inquit Lucas Act. 13. v. 7.) *accerſitis Barnabâ, & Paulo, deſiderabat audire verbum Dei*. De affectu verò credulitatis in Evangelium auditum teſtatur Arauſicanum II. *Can.* 5. ſuperiùs allato.

XXIV. Reſpondeo ergo: ſi ſumatur fides pro aſſenſu, quem intellectus motus à voluntate præbet revelatis, non eſt primus effectus gratiæ; ſi nomine effectus intelligatur omne id, quod eſt à gratia: conſenſum enim, & aſſenſum revelatis præcedunt cogitationes de amplectenda fide, voluntas audiendi Evangelium, bonus in Evangelium auditum affectus: quæ omnia effectus gratiæ, & Dei dona eſſe, contra Semipelagianos oſtendimus. Quapropter inter Queſnelianas propoſitiones à Clemente XI. proſcriptas, eſt hæc num. 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum*. Videantur quæ diximus *Tom.* 3. *in* 1. *p. Q.* 2. *de Volunt. Dei dub.* 3. §. 6. *num.* 50. Si verò fides ſumatur in eſſe completo, & prout claudit omnes præfatos actus, ſic dici poteſt primus effectus gratiæ, & radix, ac fundamentum iuſtificationis, & cæterorum donorum, ac meritorum: non enim Deus hominem movet ad aliarum virtutum ſupernaturalium actus, niſi priùs ei fidem tribuerit. Quare S. Auguſtinus Ep. 105. modò 194. ad Sixtum c. 2. *Reſtat igitur*, (inquit) *ut ipſam fidem, unde omnis juſtitia ſumit initium .... non humano, quod iſti extollunt, tribuamus arbitrio: nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque ſunt merita: ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram, ideſt, ſinè meritis cogitamus .... opera quippe bona fiunt ab homine; fides autem fit in homine, ſinè quâ illa à nullo fiunt homine*. Et Conc. Trident. Seſſ. 6. cap. 8. *Fides* (inquit) *eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſinè quâ impoſſibile eſt placere Deo &c.*

DU-

Digitized by Google

DUBIUM III.

An ad cognoſcendas Veritates Naturales Homo lapſus egeat ſpeciali Gratiâ?

§. I.

Exponitur dubium.

I. Loquimur hìc, & loquemur in ſequentibus de homine in ſtatu lapſus; in quem ſcilicet peccato Adami delapſus plura contraxit vulnera, inter quæ vulnus ignorantiæ in intellectu, ut oſtendimus *Tom. 5. in 1. p. Qu. 10. de Effect. Peccati Origin. Dub. 1.*

II. Veritates inſuper naturales, ſeu naturali lumine cognoſcibiles, aliæ ſunt ſpeculativæ, aliæ practicæ. Speculativæ ſunt, quæ unicè movent ad ſui cognitionem, & in ea faciunt ſiſtere intellectum. Practicæ ſunt, quæ ulteriùs, vel movent, vel dirigunt intellectum ad operationem. De utriſque ſermo erit.

III. Veritates inſuper præfatæ ſumi poſſunt, vel diviſivè, vel collectivè. Poſſe omnes cognoſcere diviſivè, eſt poſſe omnes ſigillatim, ſeu ſingulas ſejunctim attingere; ita ut nulla in particulari offeratur, quam non poſſit cognoſcere. Poſſe autem omnes cognoſcere collectivè, eſt poſſe cognoſcere omnes conjunctim, totam collectionem veritatum ita abſorbendo; ut nulla ex his ſuperſit, quæ non cognoſcatur. Sicut poſſe comedere diviſivè omnia poma, quæ ſunt in caniſtro, eſt poſſe comedere ſingula; ita ut nullum ſit in caniſtro pomum, quod non poſſit comedi: poſſe autem omnia collectivè comedere, eſt poſſe omnia ſic comedere; ut nullum remaneat in caniſtro pomum, quod non comedatur.

IV. Præterea: Veritates naturales, aliæ ſunt naturales ex parte luminis tantùm, non ex parte objecti: ſicut Deum eſſe unum, intellectivum &c. ex parte objecti divinæ, & ſupernaturales veritates in ſeipſis ſunt; ex parte luminis tamen ſunt naturales: quia ratione connexionis, quam habent cum ratione naturali, per lumen naturale cognoſci poſſunt. Aliæ ſunt naturales ex parte objecti, ſed non ex parte luminis; quarum ſcilicet notitiam per ſenſus, ſeu per ſenſibilia habere non poſſumus: quales ſunt cogitationes, & ſecreta cordium, dum non manifeſtantur exteriùs: futura contingentia, & etiam præterita, quæ ſui veſtigium non reliquerunt: ſimiliter quot arenæ ſint in mari, quot lapilli in flumine: veritates de Angelis demonſtrabiles, quæ non cadunt ſub ſenſu: & infinitæ aliæ, quæ de rebus poſſibilibus formari poſſunt. Aliæ tandem ſunt naturales tàm ex parte objecti, quàm ex parte luminis; ut ſunt omnes illæ, quæ non ſolùm quoad entitatem ſunt naturales, ſed ad quarum cognitionem beneficio ſenſuum mediatè, vel immediatè poſſumus devenire. De veritatibus ergo primi, & tertii generis præſens Dubium procedit: nam de veritatibus ſecundi generis, nullus ambigere poteſt, quin ad eas cognoſcendas ſpecialis gratia requiratur.

V. Circa nomen gratiæ obſervo, poſſe dupliciter accipi. Primò: generaliter pro omni eo, quod eſt indebitum, ſive ſit intra, ſive ſupra totum naturæ ordinem. Secundò: ſpecialiter pro eo, quod eſt indebitum tanquam excedens totum naturæ ordinem. Et hæc eſt gratia, de qua olim Controverſia fuit inter Auguſtinum, & Catholicos ex una parte, & Semipelagianos, ac Pelagianos ex altera. Modò de hac non loquimur, ſed de gratia, ſeu auxilio, quòd licèt non ſit toti naturæ indebitum, quia intra ordinem naturæ contentum; ſit tamen indebitum huic, vel illi, in hac vel illâ circumſtantiâ.

VI. Hinc aliis terminis diſtingui ſolet Dei auxilium, ſeu concurſus ad operandum: nempe, in auxilium generale,

rale, & auxilium ſpeciale. Primum eſt illud, quod Deus dat in ordine ad aliquem actum naturæ debitum, ac ejus viribus proportionatum: unde idem eſt auxilium generale, & auxilium debitum ſecundùm providentiam generalem, quâ Deus diſtribuit unicuique, quæ ſuæ naturæ conveniunt. Secundùm eſt illud, quod datur ad aliquid indebitum; vel ſupra debitum naturæ, aut abſolutè, vel in talibus circumſtantiis poſitæ: unde idem eſt auxilium ſpeciale, ac indebitum; quod eſt effectus providentiæ ſpecialis, quâ Deus interdum facit, ut natura ultra ordinarias vires agat. Quærimus ergo: an ad cognoſcendas veritates naturales, quarum notitia humano ingenio comparari poteſt, omnes, ſive diviſivè, ſive collectivè, ſive ſpeculativas, ſive practicas neceſſaria ſit gratia, ſeu auxilium ſpeciale: an verò ſufficiat auxilium generale, & debitum vi creationis, & conſervationis naturæ.

VII. Suppono duplicem ſolere diſtingui potentiam. Unam phyſicam, quæ attenditur penes commenſurationem ad actum, abſtrahendo à difficultatibus, impedimentis, occupationibus &c. Alteram moralem, quæ non ſolùm attenditur ſecundùm commenſurationem ad actum, vel objectum; ſed ulteriùs dicit carentiam omnium impedimentorum, quæ poſſent eam prohibere, ne exeat in actum, vel ſaltem ne ita promtè, & expeditè. Sit exemplum: homo ſanus, & liber à compedibus habet potentiam phyſicam, & moralem ad ambulandum: ſed homo, qui vel laborat podagrâ, vel compedibus detinetur, phyſicè quidem potens eſt ad ambulandum, non tamen moraliter, quia non eſt liber ab impedimentis.

VIII. In hac Controverſia quatuor ſunt opiniones. Prima aſſerit, veritatem naturalem, quæ aliquo modo movet affectum ad rectè vivendum, non poſſe cognoſci ſinè auxilio gratiæ per Chriſtum: quæ verò non movet ad virtutem, poſſe quidem cognoſci ſinè auxilio gratiæ per Chriſtum, non tamen ſinè auxilio gratiæ Dei. Ita Vazquez.

Secunda opinio eſt, poſſe quidem hominem lapſum ſinè ſpeciali auxilio cognoſcere multas veritates naturales tàm ſpeculativas, quàm practicas, non tamen omnes etiam diviſivè; cùm ſint aliquæ admodum abſtruſæ, & difficiles. Ita Monteſino, Granado, & alii.

Tertia opinio cenſet, hominem lapſum ſolo concurſu generali poſſe omnem veritatem ſpeculativam cognoſcere non ſolum diviſivè, ſed etiam collectivè. Quæ opinio tribui ſolet Durando, Cajetano, & Medinæ.

Quarta tandem exiſtimat, hominem lapſum poſſe quidem ſolo concurſu generali cognoſcere omnes veritates naturales, ſive ſpeculativas, ſive practicas diviſivè, non tamen collectivè ſumtas. Hæc eſt communis inter Thomiſtas. Noſtram ergo opinionem ſequentibus aperiemus.

§. II.

Duæ Priores Reſolutiones.

IX. Dico primò. Homo non poteſt ullam veritatem, ſive ſpeculativam, ſive practicam, ſive naturalem, ſive aliam actu cognoſcere ſinè divino auxilio, ſaltem generali, quo Deus unamquamque cauſam movet ad agendum. Ita S. Doctor *hâc q.* 109. *a.* 1. concludens: *Sic igitur dicendum eſt, quòd ad cognitionem cujuſcumque veri homo indiget auxilio divino, ut intellectus à Deo moveatur ad ſuum actum.* Cujus rationem his verbis præmiſerat: *Omnes motus tàm corporales, quàm ſpirituales reducuntur in primum movens ſimpliciter, quod eſt Deus. Et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo.* Ne verò quis exiſtimet, Deum movere creaturam per hoc præcisè, quòd ei dedit, ac in ea conſer-

vat

vat virtutem motricem, addit: *Sic igitur actio intellectus, & cujuſcumque entis creati dependet à Deo quantùm ad duo. Uno modo, inquantùm ab eo habet perfectionem, ſive formam, per quam agit: alio modo, inquantùm ab ipſo movetur ad agendum.* Et ne quis timeat, tali motione ſibi auferri libertatem, dixerat: *Quæ quidem motio eſt ſecundùm ſuæ providentiæ ordinem, non ſecundùm neceſſitatem naturæ, ſicut motio corporis cœleſtis.* Deus enim cauſis, quas voluit agere neceſſariò, aptavit formam determinatam ad unum; iis autem, quas voluit agere liberè, formam indidit indifferentem. Cùmque moveat omnes, ut agant convenienter ad formam, & naturam, quam eis dedit; ſic ſe gerit, ut dum movet cauſas neceſſarias, faciat, ut agant neceſſariò: dum verò movet liberas, faciat, ut liberè agant, & contingenter. Operatur enim in unoquoque ſecundùm ejus proprietatem, ut alibi docuimus, ex eodem 1. *p. q.* 83. *a.* 1. *ad* 3. Videri etiam poteſt *Lect.* 1. *in c.* 3. 2. *ad Cor.* 1. 2. *q.* 51. *a.* 4. *ad* 2. *Opuſc.* 3. *c.* 129. *Opuſc.* 2. *contra Græcos c.* 10. Sed de hoc jam ſermonem habuimus *in* 1. *p.* & *in hâc* 1. 2. *de Voluntario libero*, & iterum ſermo redibit de efficacia Gratiæ.

X. Dico ſecundò. Homo in ſtatu naturæ lapſæ poteſt aliquas veritates naturales ſive ſpeculativas, ſive practicas, etiam ſi ad bonum honeſtum moveant, cognoſcere abſque auxilio gratiæ per Chriſtum; imò abſque ſpeciali auxilio gratiæ. Eſt contra Vazquez. Prob. maximè de veritatibus ſpeculativis, ratione D. Thom. hîc *a.* 1. Unaquæque forma, indita rebus creatis à Deo, ex ſe habet efficaciam reſpectu alicujus actus determinati, in quem poteſt ſecundùm ſuam proprietatem; ſicut ignis ex ſe habet vi ſuæ formæ efficaciam ad calefaciendum, viſus ad videndum colores, auditus ad audiendum ſonos: ſed intellectus humanus habet ſibi inditum lumen intellectuale, de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia percipienda, ea maximè, ad quorum notitiam ex ſenſibilibus poteſt devenire; ergo quemadmodum applicato combuſtibili, ſolo concurſu generali, ignis poteſt comburere, applicato per lucem colore viſus videre, & applicato ſono auris audire, & hoc abſque additione alicujus extranei, & indebiti: ita quoque intellectus applicato ſibi intelligibili proportionato, ſolo concurſu generali &c.

XI. Reſpondent Adverſarii, duplex inter intellectum, & alias potentias eſſe diſcrimen. Unum, quòd potentiæ naturales non ſunt ullo vulnere ſauciatæ, ſicut intellectus; qui per peccatum originale manſit obnubilatus, & vulnere ignorantiæ læſus: alterum, quòd aliæ formæ, & potentiæ naturales non ſunt indifferentes, ſed determinatæ ad ſua objecta, & actus: ignis ad calefaciendum, viſus ad videndum colores, auditus ad audiendum ſonum. At intellectus non eſt determinatus ad verum, ſed indifferens ad verum, & falſum: unde concurſus Dei ad verum non eſt illi debitus.

XII. Sed contra primò. D. Thomas laudato *art.* 1. dicit, Intellectum hominis lapſi ad cognoſcendum indigere tantùm auxilio Dei moventis, quod generali ratione requiritur ad hoc, ut unaquæque cauſa agat: ſed hoc eſt auxilium, ſeu concurſus generalis; ergo &c.

Secundò. Lumen naturale intellectus, eſtò per peccatum originale fuerit attenuatum, non fuit tamen totaliter extinctum; ergo cum ſolo concurſu generali Dei poteſt aliquas veritates, ſaltem ex clarioribus, noſcere. Conſ. prob. Nam lumen attenuatum, etſi non intenſè, poteſt tamen lucere: & homo ægrotus poteſt aliquos paſſus incedere, etſi non tot, quot homo ſanus: & viſus, licèt læſus, dummodò non ſit prorsùs extinctus, abſque ſpeciali confortatione videre poteſt aliqua maximè viſibilia.

Tertiò. Eſtò intellectus ſit indifferens

rens ad verum, & falſum, ex ſua tamen inclinatione tendit ad verum ſibi proportionatum; unde falſitas eſt contra naturam intellectus: ſed cuique potentiæ debitus eſt concurſus ad terminum proportionatum ſuæ inclinationi naturali; unde gravibus debitus eſt deſcenſus, & levibus aſcenſus; ergo intellectui debitus eſt concurſus ad verum, & conſequenter, ut verum cognoſcat, non eget gratiâ ſpeciali.

XIII. Probatur ſecundò etiam de veritatibus moralibus. Philoſophi Gentiles in diſciplinis tàm phyſicis, quàm moralibus plures veritates abſtruſiſſimas, aliaſque moribus componendis aptiſſimas, ut ex Ariſtotelis, Platonis, Socratis, Senecæ, & aliorum libris colligere eſt, penetrarunt, ac docuerunt: atqui eas veritates non penetrarunt ex auxilio gratiæ per Chriſtum: nam, prima gratia per Chriſtum eſt primus motus ad fidem, ut ſupra dicebamus, qui motus Gentilibus illis, qui de Chriſto nihil audierunt, nunquam conceſſus fuit. Secundò. Gratia per Chriſtum non datur, niſi in ordine ad ſalutem: neque enim Chriſtus mortuus eſt, ut humanarum diſciplinarum, quæ nihil ad ſalutem conferunt, cognitionem homini lapſo mereretur. Unde S. Auguſt. *Ep.* 105. modò 194. *ad Sixtum c.* 2. ut Pelagium impugnaret, qui cùm in Concilio Dioſpolitano gratiam confeſſus fuiſſet, & interrogatus, quid nomine gratiæ intelligeret, dixiſſet, gratiam ipſam humanam eſſe naturam: *Abjiciatur* (inquit) *à Chriſtianorum cordibus iſta fallacia: nam omnino non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, quâ creati ſumus, & homines eſſemus: ſed quâ juſtificati, cùm mali homines eſſemus. Iſta eſt enim gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Eâdem ergo ratione nec mortuus eſt Chriſtus, ut Philoſophi eſſemus, nec ut veritates naturales cognoſceremus.

XIV. Probatur tertiò, Hominem lapſum ſinè gratiâ per Chriſtum, & ſinè auxilio indebito poſſe cognoſcere aliquas veritates morales, licèt ad bonum honeſtum moveant. Primò. Nam principia communiſſima moralitatis, ut: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum*, quis, niſi rationis ſit impos, ſtatim non cognoſcit? Deinde veritates, quæ in Decalogo continentur, per ſe movent ad bonum honeſtum. Vix enim fieri poteſt, ut quis de hac veritate: *Parentes ſunt honorandi*, ſeriò cogitet, quin ad pietatem erga parentes excitetur: atqui hæc, & aliæ veritates Decalogi ſinè gratiâ per Chriſtum etiam ab homine lapſo cognoſci poſſunt. Cùm enim Decalogi præcepta ſint concluſiones ex primis moralibus principiis immediatè deductæ; quis adeò hebes eſt, ut iis cognitis iſtas deducere non poſſit? Si Gentiles olim multa opera ex objecto bona, & honeſta operati ſunt, & nunc operantur ſinè auxilio gratiæ per Chriſtum; cur ſinè eodem auxilio eas veritates cognoſcere non potuerunt, quarum cognitio ad ea opera ex objecto bona, & honeſta movere poterat?

XV. Dices tamen primò contra hanc ſecundam aſſertionem. Humana mens non poteſt intelligere aliquid, niſi cogitando, ut ait Auguſt. *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 7. ſed Apoſtolus dicit 2. ad Corint. 3. v. 5. *Non quòd ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt;* ergo homo non poteſt &c.

XVI. Reſpondeo ad min. quòd vel Apoſtolus loquitur de cogitatione merè naturali: & ſic ait, non eſſe ſufficientes &c. quia *ſemper indigemus divino auxilio ad cogitandum quodcumque, inquantùm ipſum movet ad agendum*. Ita D. Tho. hoc *a.* 1. *ad* 3. Vel loquitur de cogitatione pertinente ad pietatem, religionem, & fidem: & ſic, ait S. Auguſt. l. de Prædeſt. SS. c. 2. *Profectò non ſumus idonei credere aliquid, quaſi ex nobis metipſis, quod ſinè cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipiamus, ex Deo eſt.* Et hæc intelligentia, quam

præ-

præfato textui adhibet etiam S. Thomas in 2. *diſt.* 28. *qu.* 1. *a.* 1. *ad* 1. mentem Apoſtoli magis aſſequitur, ut Dub. præced. & nos oſtendimus.

XVII. Dices ſecundò. Concilium Milevitanum c. 4. *Utrumque*, ait, *Dei donum eſt, ſcire quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus*; ergo ſaltem ad veritates morales, quæ nos excitant ad honeſtè agendum, cognoſcendas, gratia per Chriſtum neceſſaria eſt. Rurſus: Arauſicanum II. expreſsè ait: *Divini muneris eſt, cum rectè cogitamus*. Et ne quis rectam cogitationem ad ſolam ſupernaturalem reſtringat, *Can.* 22. dicit: *Nemo habet de ſuo, niſi peccatum, & mendacium*.

XVIII. Reſpondeo, Concilium Milevitanum loqui de cognitione eorum, quæ agere debemus ad ſalutem: & ad hæc dicit, eſſe neceſſariam non ſolùm gratiam illuſtrationis in intellectu, quam Pelagius admittebat; ſed gratiam actionis in voluntate, quam Pelagius negabat, ut jam vidimus. Quare utrumque ſtatuit Dei donum eſſe: & *ſcire quid agere debeamus*, quæ eſt gratia in intellectu; & *diligere, ut faciamus*, quæ eſt gratia actionis in voluntate. Unde Concilium Milevitanum loquitur de cognitione, quæ ad juſtificationem conferat, non autem de cognitione merè naturali, quæ nullo modo ad fidem, aut juſtificationem conducat; qualem habuerunt etiam Gentiles, & de quâ unicè loquimur in præſenti.

Concilium verò Arauſicanum II. in eodem ſenſu loquitur, quo Concilium Milevitanum. Agebat enim contra Semipelagianos, qui, ut vidimus, initium ſalutis, nempe, cogitare de ſalute, dicebant eſſe ex nobis. Quod, ut evertat, dicit: *Divini muneris eſt, cum rectè cogitamus*, hoc eſt, ut oportet ad ſalutem, vel ad præcavendum à peccatis; addit enim: *Et pedes noſtros à falſitate, & injuſtitiâ continemus*. Inſuper ſe loqui de cogitatione, ut oportet ad ſalutem, explicaverat *Can.* 7. dicens: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit.... poſſe confirmat.... hæretico fallitur ſpiritu.*

Quod verò dicitur: *Nemo habet de ſuo, niſi peccatum, & mendacium*; non facit ſenſum, quòd homo viribus propriis non poſſit, niſi in peccatum, & mendacium: ſed quòd quidquid peccati, & mendacii eſt in homine, ab homine ſit, non à Deo, ſive fonte juſtitiæ, ſive auctore naturæ. Quemadmodum enim, ſi quis in locum tenebroſum inferret lucem, quâ illatâ, locus ille maneret ex parte illuminatus, & ex parte obſcurus, & tenebroſus; dici deberet, quòd quidquid habet lucis, & claritatis habet ab eo, qui lucem intulit; quod verò eſſet obſcuritatis, haberet à ſe, ſeu ex defectu majoris luminis, quod illi deeſt: ita homo ex nihilo ortus, & rurſus ex peccato originali obtenebratus, quidquid habet veritatis, ſapientiæ, virtutis, & ſanctitatis, habet à Deo, ſive ut largitore gratiæ, ſive ut auctore naturæ mentem illuſtrante, & voluntatem confortante: quidquid verò defectus habet, ſive in cognoſcendo, aut volendo, habet à ſe, veluti reliquias ſui nihil, & contagionis ex Adamo contractæ. Unde S. Auguſt. *l. de Nat. & gratia c.* 3. ait: *Omnia quidem bona, quæ habet* (homo) *in formatione, vita, ſenſibus, mente, à ſummo Deo habet Creatore, & artifice ſuo: vitium verò, quod iſta naturalia bona contenebrat, ut illuminatione, & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum eſt; ſed ex originali peccato, quod commiſſum eſt libero arbitrio.*

XIX. Sed inſtabis. Si ex originali peccato vitium etiam in mentem contractum eſt; ergo nihil abſque illuſtratione Dei cognoſcere poterit, & conſequenter ſinè gratiâ.

XX. Reſpondeo ex D. Thom. *hoc a.* 1. *ad* 2. diſt. conſ. Illuſtratione, quæ ſit applicatio luminis, con. conſ. Quæ ſit nova collatio luminis, ſubdiſt. ad ea, quæ vires naturalis luminis excè-

dunt,

dunt, conc. conſ. Ad ea, quæ naturali lumini ſunt proportionata, nego conſ. *Sol intelligibilis* (inquit S. Doct.) *qui eſt Deus, illuſtrat interiùs. Unde ipſum lumen naturale animæ inditum eſt illuſtratio Dei, quâ illuſtramur ab ipſo ad cognoſcendum ea, quæ pertinent ad naturalem cognitionem: & ad hoc non requiritur alia illuſtratio, ſed ſolùm ad illa, quæ naturalem cognitionem excedunt.*

XXI. Sed replicabis. S. Thomas excludit quidem ad cognoſcendum verum naturale aliam illuſtrationem dantem lumen habituale, non tamen aliam illuſtrationem, per modum gratiæ actualis; ergo &c.

Reſpondeo, neg. ant. Nam D. Thom. ad cognoſcendum verum naturale, ultra lumen naturale à Deo inditum, id ſolùm requirit, quod requirit unaquæque cauſa ad agendum actum ſuæ virtuti proportionatum: ſed unaquæque cauſa ad agendum, aliud auxilium non requirit, quàm generale, ſeu motionem ad agendum; ergo idem dici debet de natura humanâ. Aliàs, ut ipſe docet in 2. diſt. 28. q. 1. a. 5. *Aliis imperfectior eſſet, ſi non ſibi ſufficeret in naturalibus operationibus. Et ideo dicendum eſt, quòd hæc vera, ſinè omni lumine gratiæ ſuperaddito, per lumen naturale intellectus agentis cognoſci poſſunt.*

XXII. Dices ſecundò. Ea, quæ Gentiles Philoſophi de Deo cognoverunt, ad Rom. 1. v. 19. *Deus..... illis manifeſtavit*; ergo non ſinè gratiâ potuerunt illa cognoſcere. Unde Auguſtinus *Epiſt.* 120. modò 140. *ad Honoratum c.* 35. ait: *Ne hoc quidem nobis eſſe tribuendum, quòd nos ſcimus Deum: ſed eam quoque ſcientiam illius miſericordiæ tribuamus.*

XXIII. Reſpondeo, neg. conſ. Quæ Philoſophi Gentiles cognoverunt de Deo, Deus illis manifeſtavit, non per aliquam ſpecialem revelationem; ſed præſentando eorum naturali lumini ſpecies rerum creatarum, quæ ſeipſis manuducunt ad cognitionem ſui Creatoris, ut idem Apoſtol. ibi dicit v. 20. Unde D. Thomas in 2. *diſt.* 28. *qu.* 1. *a.* 5. *ad* 2. de iſtis Philoſophis loquens: *Pro tanto* (inquit) *dicitur eis Deus revelaſſe; quia naturalem rationem eis dedit, & creaturas condidit, in quibus majeſtas Creatoris cognoſci poterat; & non per aliquod lumen gratiæ naturali lumini ſuperadditum.*

S. Auguſtinus autem ibi loquitur non de cognitione Dei naturali, ſed ſupernaturali: explicat enim illud Matth. 25. *Neſcio vos.* Perinde, ac ſi diceretur: *Neſcitis me, quando de vobis magis eligiſtis confidere, quàm de me.*

XXIV. Dices tertiò. Veritatum naturalium notitiam rectè petimus à Deo; ergo donum Dei eſt, quod ex gratia nobis datur.

XXV. Reſpondeo, neg. conſ. Poſſumus enim pro auxilio generali Deum orare, & de eo obtento ipſi gratias agere, quando habet aliquid contingentiæ, & fallibilitatis: nam ob talem contingentiam rationem habet beneficii, non ſpecialis, quia debitum eſt; ſed generalis, quia ex parte eventus contingens eſt. Hac ratione oramus Deum, pro pluvia, ſerenitate, frugibus terræ &c. & illis obtentis gratias agimus illi; quia licèt regulariter pertineant ad providentiam generalem, tamen contingentiam, & fallibilitatem habent ex parte eventus: qui eventus cùm contineatur in manu Dei, qui operatur omnia in omnibus, etiam ea, quæ naturæ debita ſunt; in manu ejus eſt etiam cognitio noſtra, quamvis debita, & ideo ab ipſo petenda. — Addo: quòd etſi non ſtatuamus neceſſariam gratiam ad habendam cognitionem naturalium abſolutè; eam tamen neceſſariam concedimus, ad cognitionem faciliùs obtinendam, vel ut ipsâ utamur, prout expedit ad ſalutem. Et ſub hac ratione ſcientiam à Deo petimus, & à Deo petebat Salomon, *Sap.* 9.

XXVI. Dices quartò. Homini per peccatum inflictum eſt vulnus ignoran-

rantiæ, quod ſanari non poteſt, niſi per gratiam Chriſti; ergo ſinè iſtâ non poteſt ſaltem veritates practicas cognoſcere.

Confirmatur. Ex cognitione veri moralis naſcitur prudentia: at ſinè gratiâ Chriſti non poteſt homo eſſe prudens: quia prudentia abſque virtutibus moralibus eſſe non poteſt, hæ autem abſque gratia Chriſti haberi nequeunt; ergo &c.

XXVII. Reſpondeo, neg. conſeq. Nam vulnus ignorantiæ non verè, ac perfectè ſanatur ex hoc, quòd homo aliquas veritates etiam morales cognoſcat, niſi lumine fidei illuſtretur; fides autem non datur, niſi ex meritis Chriſti.

XXVIII. Ad Confirm. nego maj. Nam vera, & perfecta prudentia non oritur ex qualibet cognitione veritatis moralis; ſed tantùm ex ea, quâ de omnibus agibilibus rectè judicari poteſt: ſic autem judicare nemo poteſt ſinè gratiâ ſpeciali. Ratio eſt: quia prudentia circa omnia agibilia, etiam quoad ſubſtantiam, & quoad officium ſumta, ſupponit appetitum circa omnia rectum, & ordinatum; intellectus enim judicat pro variis voluntatis affectibus: ſinè autem ſpeciali gratiâ per Chriſtum appetitus non poteſt eſſe circa omnia rectus. Hinc licèt Philoſopho perſuaſum ſit, Deum eſſe ſuper omnia diligendum, non eſſe tentationi conſentiendum: ſinè gratiâ tamen non judicat, hìc, & nunc Deum ſuper omnia diligendum eſſe, ac tentationi non conſentiendum. Nam judicium illud ſemper eſt conjunctum cum praxi: includit enim imperium, quo voluntas agere jubetur id, quod intellectus judicat, hìc & nunc eſſe faciendum.

XXIX. Dices quintò. Homo per peccatum factus eſt cæcus, ideoque à Gregorio Magno *Homil.* 11. *in Evang.* figuratur in illo cæco, cui Dominus, *Lucæ* 18. viſum reſtituit: at cæcus propriis viribus nihil poteſt videre; ergo &c.

XXX. Reſpondeo, hominem per peccatum factum quidem eſſe omnino cæcum, quoad veritates ordinis ſupernaturalis, & quæ conferunt ad ſalutem; quia fuit privatus lumine fidei, & ſcientiæ, quod Deus primis Parentibus infuderat: non tamen fuiſſe factum omnino cæcum, quoad veritates naturales, ita ut privatus fuerit lumine naturalis rationis. Alioquin homo lapſus nec prima quidem principia naturalia, nimirum: *Totum eſt majus ſua parte*: *Bonum eſt faciendum*, *malum eſt fugiendum*, propriis viribus poſſet cognoſcere, quod nemo dixerit.

§. III.

Alia Reſolutiones.

XXXI. Dico tertiò. Homo in ſtatu naturę lapſę poteſt ſinè gratiâ cognoſcere ſingulas veritates naturales, tàm ſpeculativas, quàm practicas: hoc eſt, nulla ex præfatis veritatibus eſt, quam cum ſolo auxilio generali Dei non poſſit cognoſcere; quod eſt, poſſe cognoſcere omnes diviſivè.

Aſſertio hæc intelligi debet primò de veritatibus naturalibus, ad quas homo per ſenſum, & ſenſibilia poteſt pervenire. Si enim veritates aliquæ naturales ſint adeo latentes, ut ad eas per ſenſus homo nec ſtudio, ac labore poſſit pervenire, de his præſens aſſertio non procedit. Secundò debet intelligi non de omnibus hominibus etiam rudibus, & hebetis ingenii; multi enim ait D. Tho. 1. *contra Gentes c.* 4. propter complexionis indiſpoſitionem naturaliter ſunt indiſpoſiti ad ſciendum; multi vel otio, vel pigritiâ, vel curâ rei familiaris diſtrahuntur: ſed de aliis excellenti ingenio præditis, qui ſtudio, & contemplationi rerum naturalium vacant. Hi enim ſinè ſpeciali gratiâ proprio ſtudio, inquiſitione, induſtriâ, inventione, vel aliorum magiſterio quamlibet veritatem poſſunt cognitione diviſivè aſſequi.

Quoad veritates etiam naturales practicas obſervandum eſt, eas eſſe in duplici differentia: quædam enim pertinent ad artes, & dirigunt factionem: quædam, dictæ morales, dirigunt humanas actiones. Iſtarum autem aliquæ ſpectant ad Philoſopiam moralem; ſuntque vel principia moralitatis, vel concluſiones ex iis deductæ. Aliæ ſpectant ad prudentiam, & dictant, quid hìc, & nunc agendum ſit. Dum ergo dicimus, intellectum hominis lapſi poſſe ſinè ſpeciali gratiâ cognoſcere omnes veritates naturales, etiam practicas, diviſivè; non loquimur de vero practico ad prudentiam ſpectante: quia verum practicum ad prudentiam ſpectans eſt illud, quod hìc, & nunc agendum eſt, ſecundùm conformitatem ad apetitum rectum, ut nuper dicebamus: & hoc, ſaltem in ſingulis occaſionibus, ſinè ſpeciali gratiâ haberi non poteſt. Sed loquimur de veritatibus practicis, ſive artificialibus, ſive etiam moralibus, ad Philoſophiam moralem ſpectantibus, à qua conſiderantur ſolùm in univerſali: & etiamſi ſumantur in particulari, dum tamen proponantur ſolùm indifferenter voluntati, de iis eadem ratio videtur eſſe, ac de ſpeculativis.

XXXII. Aſſertio igitur ſic explicata prob. primò. Ex pluribus hominibus in actu primo expeditis, & potentibus tàm phyſicè, quàm moraliter quamlibet veritatem diviſivè cognoſcere, non eſt ſpecialis gratia, quòd alicui ſaltem illorum detur auxilium ad quamlibet diviſivè cognoſcendam: cauſæ enim ſufficienti, & expeditæ ad actum ſibi connaturalem debetur concurſus ad agendum; ita ut ad nullum actum ei ſpecialis gratia fiat: ſicut igni debetur concurſus ad comburrendum quodcumque combuſtibile ſibi aplicatum: atqui ex providentia generali Dei conditi ſunt plures homines expediti phyſicè, & moraliter ad quamlibet veritatem diviſivè ſtudio, & induſtriâ cognoſcendam; ergo alicui illorum dari auxilium ad quamlibet veritatem diviſivè cognoſcendam, ſpecialis gratia non eſt. Min. probatur. Ex vi enim providentiæ generalis quovis tempore creari homines excellentis ingenii, fortes, integræ ſanitatis, longioris vitæ, & contemplationi deditos, pertinet ad perfectionem humanæ naturæ: & hoc nedum inter Chriſtianos, ſed etiam inter Gentiles; quorum aliqui ſtudioſiſſimi fuere, & talis ingenii, ut quamlibet veritatem indagantes, eam aſſequerentur, taliſque valetudinis, ut uſque ad decrepitam ſenectam ſanitate integri pervenerint.

XXXIII. Probatur ſecundò, præcipuè de veritatibus moralibus in generali, vel etiam in ſingulari indifferenter tamen propoſitis. Nam eadem ratio eſt de veritatibus moralibus in univerſali cognoſcendis, ac de veritatibus ſpeculabilibus; cùm omnes, vel ſint prima principia, quæ ex ipſis terminis innoteſcunt, ut iſta: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris: Deus eſt colendus: Bonum eſt faciendum, malum vitandum:* vel ſunt concluſiones ex primis principiis immediatè, vel mediatè deductæ, ut ſunt præcepta legis naturæ; ideoque ſunt viribus naturæ proportionatæ, ut nulla poſſit occurrere in eis cognoſcendis difficultas viribus nativis inſuperabilis; ergo quæmadmodum ſingulæ veritates ſpeculabiles, ita & ſingulæ veritates morales in univerſali poſſunt ſolo concurſu generalis providentiæ diviſivè cognoſci.

De veritatibus etiam moralibus in ſingulari, indifferenter tamen propoſitis, probatur. Nam cognitio indifferenter proponens verum practicum in ſingulari, vel conſtituit, vel eſt unum ex neceſſariò requiſitis, ad conſtituendum liberum arbitrium; ut oſtendimus *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de Act. Human. Q. 2. de Voluntario libero Dub. 4. §. 1.* ſed liberum arbitrium non eſt ſpecialis gratia homini; ergo neque cognitio indifferenter e proponens objectum: cui enim non eſt ſpecialis

cialis gratia conſtitutum, neque debet eſſe ſpecialis gratia id, quod ad ejus conſtitutionem neceſſariò requiritur. Min. quoque eſt certa: quia liberum arbitrium ſpectat ad conſtitutionem naturæ humanæ inquantùm rationalis.

Confirmatur primò. Pelagius admittebat liberum arbitrium ad bonum, & cogitationes, quibus ſufficienter ei bonum proponeretur: & tamen à Patribus reprehenditur, tanquam non admittens ſpecialem gratiam ad bonum requiſitam; ergo liberum arbitrium cum cognitione indifferenti ſpecialis gratia non eſt.

Confirmatur ſecundò. Sicut, ut oculus videat, requiritur concurſus ſpeciei, & objecti eum conſtituens in actu primo; ita, ut voluntas ſit facultas ad liberè operandum expedita, neceſſariò requirit cognitionem indifferenter proponentem objectum: ſed ex quo debitus eſt homini viſus, debitus eſt etiam concurſus ſpeciei, & occurſus objectorum; ergo ex quo debitum ſit homini liberum arbitrium, debita eſt ei cognitio indifferenter proponens bonum, & malum.

XXXIV. Dixi: debitam eſſe cognitionem, ſeu judicium indifferenter proponens bonum, & malum. Quòd ſi loquamur de judicio practico dictante, hìc, & nunc eſſe proſequendum bonum, & inclinante voluntatem ad illud; eſtò concedam, poſſe illud formari ab homine lapſo ſinè ſpeciali gratiâ in aliquo caſu: non tamen concedam poſſe formari in omni, etiam diviſivè. Et ratio eſt: tùm quia tale judicium infert in voluntate actum bonum; ergo eodem modo loqui debemus de illo, ac de actu bono: ſed voluntas ſinè ſpeciali gratiâ poteſt quidem aliquod opus bonum facere, ut dicemus, non tamen omne adhuc diviſivè; non enim ſinè ſpeciali gratiâ opus bonum facere poteſt in præſentia gravis tentationis, aut aliud opus valdè difficile; ergo &c.

Tùm etiam: quia tale judicium reſpicit verum practicum ad prudentiam ſpectans: ſed, ut ſupra dictum eſt, non poteſt homo lapſus ſinè ſpeciali gratiâ formare dictamen rectum ad prudentiam ſpectans, ſaltem in omni caſu; ergo &c.

XXXV. Dico qnartò. Homo lapſus eſt impotens ſinè gratiâ ſpeciali ad cognoſcendas omnes veritates naturales, ſive ſpeculativas, ſive morales, etiam in univerſali, collectivè: nimirum, totam earum collectionem ſic abſorbendo, ut nulla remaneat cognoſcenda. Hanc veritatem demonſtrant inſuperabilia impedimenta, quæ reddunt hominem lapſum ad hoc impotentem. Primò. Vita brevior, quàm ut ſatis ſit ad tot tantarum, ac ferè infinitarum veritatum notitiam comparandam. Secundò. Acumen ingenii, quod ob debilia ſenſuum organa continuo labore prorsùs obtunditur, juxta illud Sap. 9. v. 15. *Corpus enim, quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Hinc nimio ſtudio addicti contrahunt ægritudines, quibus plerumque ſpeculationi efficiuntur inepti. Tertiò. Quia nemo unquam, poſt Adami lapſum, omnium omnino veritatum naturalium cognitionem, quantâcumque diligentiâ, quantocumque ſtudio aſſecutus eſt. Imò neque omnes, qui ab Adamo uſque ad præſens floruerunt, omnes omnino veritates naturales deprehendiſſe, indicant plurimæ veritates, quæ retroactis ſeculis incognitæ, noſtris ſeculis innotuerunt; ergo omnium veritatum collectivè ſumtarum cognitio eſt homini lapſo impoſſibilis.

XXXVI. Quæres primò: Qualis ſit impotentia in homine lapſo ad totam collectionem veritatum naturalium cognoſcendam?

Reſpondeo, in quodam ſenſu dici poſſe ſolùm moralem, & in alio phyſicam. Solùm moralem: quia non eſt ex defectu virtutis, imò in intellectu ſupponitur virtus ſufficiens ad totam collectionem; quia intellectus agens

potens eſt ex omnibus ſpecies formare, & intellectus poſſibilis eas recipere: ſed oritur præcisè ex impedimentis ſupra enumeratis, quæ obſtant, ne intellectus poſſit totam ſuam virtutem explicare. Dici etiam poteſt impotentia phyſica; quatenus in homine nulla datur potentia phyſica ad hæc impedimenta ſuperanda: ſicut homo ligatus habens vires ad ambulandum, ſed non valens abjicere à ſe ligamina, dicitur phyſicè impotens ad ambulandum.

XXXVII. Quæres ſecundò: Qualis gratia requireretur ad hanc impotentiam vincendam?

Reſpondeo, gratiam, quæ requireretur, non fore quidem quoad ſubſtantiam ſupernaturalem; fore tamen ſupernaturalem quoad modum, non abſolutè, ſed relatè ad hominem lapſum. Non fore ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, videtur certum. Nam hæc requiritur ſolùm ad id, quod ſubſtantialiter excedit vires naturæ creatæ, & creabilis: talis autem non eſt collectio omnium veritatum naturalium. Fore tamen ſupernaturalem quoad modum, patet: quia modus, quo homini darentur ſpecies, & ſcientia omnium veritatum naturalium collectivè, eſſet ſupra debitum, & exigentiam naturæ humanæ lapſæ. Fore verò ſupernaturalem quoad modum relatè ſolùm ad hominem, non abſolutè, probatur. Quia cognitio omnium veritatum naturalium, quæ ex ſenſibilibus haberi poteſt, etiam collectivè, non eſt ſupra exigentiam, imò eſt debita naturæ Angeli; ergo licèt ſit ſupernaturalis quoad modum reſpectu naturæ hominis, ob impedimenta, quæ in eo ſunt, non tamen abſolutè: ad hoc enim oporteret, ut talis modus excederet, non ſolum naturam, & exigentiam hominis, ſed cujuſcumque naturæ creatæ, & creabilis.

XXXVIII. Quæres tertiò: An hujuſmodi gratia requiſita ad cognitionem omnium veritatum naturalium collectivè, ſit gratia ſolùm Dei Conditoris; an verò ſit gratia Chriſti Redemtoris, & conferenda ex ejus meritis?

Cenſent aliqui, fore gratiam Dei Conditoris, non Chriſti Redemtoris, moti ex Auguſt. *Ep.* 105. modò 194. *ad Sixtum*. Et ex PP. Africanis *Ep.* 95. modò 177. *ad Innocentium*, dicentibus, gratiam per Chriſtum eſſe illam, ad quam nobis procurandam Chriſtus mortuus eſt: atqui non eſt mortuus, ut homines, aut Philoſophi eſſemus, ſed ut eſſemus juſti; ergo &c.

Veriùs tamen, & communiùs cenſent alii, gratiam illam fore per Chriſtum, & ex ejus meritis. Quia quibus daretur, daretur, vel ut ipſi ad pietatem reducerentur; vel ut alios reducerent ad ſalutem. Quod colligere licet in Salomone, & aliis, quibus ſcientia conceſſa eſt, vel ob propriam, aut aliorum ſalutem, vel ad Eccleſiæ ædificationem. Quo pacto dici poteſt, Ariſtoteli, & aliis ſimilibus, ſi qui ſunt, ex Chriſti gratia fuiſſe datam plurium veritatum cognitionem ad bonum Eccleſiæ, & profectum fidelium: cùm eorum doctrinis Eccleſia, & PP. uſi fuerint ad veritates fidei cum Philoſophia conciliandas.

Neque verum eſt, ea ſola cadere ſub meritis Chriſti, propter quæ Chriſtus eſt mortuus. Nam Chriſtus meruit ſui nominis exaltationem, ſui corporis gloriam, illuminationes, & gaudia accidentalia Angelorum: & tamen propter iſta mortuus non eſt, ſed ſolùm propter nos homines, & propter noſtram ſalutem.

§. IV.

Objectiones contra has duas Reſolutiones.

XXXIX. Contra tertiam aſſertionem objici poteſt primò. In homine lapſo multa ſunt impedimenta, tùm extrinſeca, tùm intrinſeca: debilitas humani ingenii, pigritia, tedium laboris, brevitas vitæ, & alia, quæ ſicut obſtant cognitioni

tioni omnium veritatum naturalium collectivè, ita & ſingularum diviſivè. Eo vel maximè, quòd Ariſtoteles 2. *Metaph. c.* 5. docet, quòd intellectus noſter ſe habet ad manifeſtiſſima naturæ, ſicut occulus noctuæ ad lumen ſolis. Et experientia teſtatur, plures etiam excellentis ingenii erga eandem veritatem, poſt longum ſtudium, & laborem veritatem non inveniſſe: cujus ſignum eſt varietas opinionum, quâ diviſi ſunt, imò errores, in quos pro lapſi ſunt. Niſi ergo adſit gratia & auxilium indebitum, non poteſt homo lapſus ſingulas veritates cognoſcere.

XL. Reſpondeo, prææallata impedimenta officere quidem, ne homo lapſus abſque gratiâ cognoſcere poſſit omnes veritates naturales collectivè; & rurſus, ne quilibet homo poſſit etiam ſingulas diviſivè cognoſcere: non tamen, ne in tota ſpecie humana dari poſſit aliquis homo excellentis ingenii, complexione fortis, à curis omnibus abſtractus, qui ſolo concurſu generali Dei quamcumque veritatem, cui ſe applicaverit, aſſequi poſſit: in quo ſenſu procedit noſtra aſſertio. — Neque id negat Ariſtoteles. Ut enim exponit D. Thom. ibi, *per manifeſtiſſima natura* non intelligit veritates ex ſenſibilibus cognoſcibiles, de quibus loquimur; ſed ſubſtantias immateriales, ut Deum, & Angelos, quas, cùm ſint remotæ à ſenſibus, non poteſt homo quidditativè, ac perfectè cognoſcere: unde niſi confortetur, ſe habet ad eas ſicut noctua ad lumen Solis — Varietates autem opinionum ſolùm arguunt, multos aliquas veritates non fuiſſe aſſecutos, non tamen nullum: & dato etiam nullum fuiſſe adhuc aſſecutum; non ſequitur, alios non fuiſſe aſſecuturos, ſi majori indagine eas conarentur penetrare.

XLI. Objicies ſecundò contra eandem. Voluntas non poteſt ad omne opus bonum, etiam diviſivè, abſque ſpeciali gratia, ut dicemus; ergo neque intellectus: quia ſicut voluntas per peccatum manſit infirma; ita intellectus vulnus ignorantiæ contraxit.

Confirmatur primò. Non eſt ratio, quare intra ordinem naturæ detur opus bonum adeo difficile, ut ad illud egeat voluntas ſpeciali auxilio; & in linea veri non detur veritas aliqua adeo difficilis, ut ad ejus cognitionem requiratur ſpecialis gratia: præſertim quia, ut ait D. Thom. 1. *Contra Gentes c.* 4. aliquæ ſunt veritates valdè difficiles, & ad quarum cognitionem ordinatur totius Philoſophiæ conſideratio.

Confirmatur ſecundò. Deus in ratione boni non magis excedit voluntatem humanam, quàm verum divinum, intellectum creatum. Et ſicut graves tentationes reddunt opus morale difficile: ita cognitio veri redditur difficilis ex ſtudio, labore, accedente tædio, pigritiâ, & diſtractione ad alia.

XLII. Reſpondeo, negando conſequ. Duplex enim aſſignari ſolet diſparitas. Primà: quòd per peccatum gravius fuit infixum vulnus voluntati in ordine ad bonum, quàm intellectui in ordine ad verum, præſertim ſpeculabile. Nam voluntas manſit averſa ab ultimo fine, qui eſt primum principium in moralibus: at intellectus circa prima principia ſpeculabilia manſit illæſus. Ut autem docet S. Tho. Q. 3. *de Malo a.* 13. qui errat circa prima principia, difficiliùs poteſt reduci, quàm qui errat ſolùm circa concluſiones; quia hic poteſt reduci ad veritatem per principia, in quibus non errat.

Secundà diſparitas eſt (& fortè melior) quòd intellectus ſpeculativus non eſt principium movens alias potentias, ſed perficit ſuum opus intra ſe: & quamvis ad illud utatur ſenſibus, iſti non impediunt, ſed potiùs juvant intellectum, tanquam miniſtri ad intelligendum. At voluntas eſt principium movens cæteras potentias, à quibus ſæpè rebellionem patitur, & reſiſtentiam: appetitus enim ſenſitivus ſæpè rebellis voluntatis imperium infirmat, ut in gravi tentatione contingit; ideoque

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

que ita difficilem reddit actum voluntatis, ut niſi adſit ſpecialis gratia, illum producere nequeat.

XLIII. Ad primam Conf. ratio eſt jam aſſignata. Nam à bono rationis diligendo ſenſibilia, ratione rebellionis appetitus, conantur retrahère voluntatem: at à vero cognoſcendo non retrahunt, ſed potiùs ad illud manuducunt intellectum. Hinc dilectio ſummi boni eſt inter opera difficillimum, cognitio autem ſummi veri potiùs eſt facillima; quia ſenſibilia eam potiùs promovent, quàm impediant. Et quæcumque veritates in ſe difficiles beneficio ſenſuum, ſtudio, ac labore ſuperari poſſunt.

XLIV. Ad ſecundam Confirm. dico, Deum in ratione boni à voluntate proſequibilis (eſtò non in ratione entis) magis excedere voluntatem humanam, quàm in ratione veri ab intellectu attingibilis: quia à proſecutione Dei ſummi boni ſenſibilia retrahunt voluntatem, ab attingentia vero Dei ſummi veri non retrahunt, ſed ad eam potiùs manuducunt. Difficultates autem retrahentes à ſtudio ob laborem, tædium &c. non ſunt in intellectu ad cognoſcendum, ſed in voluntate ad applicandum intellectum: unde ſequitur, quòd auxilium ſpeciale poni debeat in voluntate, non in intellectu.

XLV. Objicies tertiò contra eandem. Auxilium ad cognoſcendum quodlibet verum diviſivè non eſt debitum; ergo eſt ſpeciale. Ant. prob. Intellectui Petri non eſt debitum auxilium ad cognoſcendum potiùs ſpeculabile, quàm fabrile: intellectus enim Petri eſt indifferens ad contemplanda ſpeculabilia, & fabrilia; ergo auxilium ad contemplandum determinatè ſpeculabilia non eſt ei debitum.

XLVI. Reſpondeo, diſt. ant. Non eſt debitum huic individuo determinatè, conc. antec. Non eſt debitum ſpeciei humanæ, nego antec. Ad probationem autem aſſumtam eodem modo reſpondeo. Certum eſt ergo, quòd non eſt debitum titulo creationis, ut Petrus applicetur potiùs ad ſpeculabile, quàm ad fabrile: & ideo reſpectu illius dici poteſt gratia, orta tamen ex creatione, quòd applicetur potiùs ad ſpeculabile. Cæterùm reſpectu totius ſpeciei humanæ debitum eſt: quia titulo creationis debetur naturæ humanæ, ut aliquod ejus individuum, vagè ſumptum, vacet contemplationi ſpeculabilium. Sicut quòd Petrus ſit acuti ingenii, ſit agilis ſtaturæ, favor eſt Petro; non tamen eſt favor, ſed debitum ſpeciei humanæ.

XLVII. Objicies primò contra quartam aſſertionem pro Cajetano. Vulnus ignorantiæ, ex peccato originali contractum, non afficit intellectum ſpeculativum; ergo homo in ſtatu naturæ lapſæ ſinè ſpeciali auxilio poteſt omnes veritates naturales ſpeculabiles collectivè cognoſcere. Probat ant. ex D. Tho. 1. 2. *qu.* 85. *a.* 3. ubi enumerans potentias, quæ per peccatum remanſerunt vulneratæ, aſſerit, unam eſſe Rationem in qua eſt prudentia: ſed Ratio, in qua eſt prudentia eſt, Ratio pratica, non ſpeculativa; ergo &c.

XLVIII. Reſpondeo, neg. ant. ad probat. dico, S. Thomam ibi ſolùm velle, quòd vulnus ex peccato relictum, ſit in Ratione practica, in qua eſt prudentia, præcipuè & principaliter; non verò, quòd unicè in illa ſit: ita ut nec mediatè Ratio ſpeculativa ſit vulnerata. Quare citato loco dicit: *Per peccatum, & Ratio hebetatur, præcipuè in agendis.* Videantur quæ diximus *Tom. 6. in* 1. *p. Qu.* 10. *Dub.* 1. *§.* 2. ubi vulnera ex peccato originali in intellectu relicta deſcripſimus.

XLIX. Objicies ſecundò contra eandem. Quælibet cauſa cum ſolo auxilio generali poteſt exire in actum ſuæ virtuti proportionatum: ſed cognitio omnium veritatum naturalium, etiam collectivè ſumtarum, eſt actus proportionatus lumini naturali intellectus hominis etiam lapſi; cùm non ſolùm ſingulæ, ſed tota earum collectio contineatur ſub ente per ſenſibilia cognoſcibi-

ſcibili, quod eſt objectum proportionatum intellectus humani; ergo &c.

Si reſpondeas, maj. veram eſſe de actu proportionato proportione tàm phyſicâ, quàm morali; non verò de actu proportionato proportione quidem phyſicâ, ſed non morali. In ſtatu autem naturæ lapſæ, dato, quòd collectio veritatum naturalium ſit proportionata proportione phyſicâ; non tamen eſt proportionata proportione morali, propter impedimenta ſupra relata, quibus quaſi ligatur, ne exeat in actum circa illam.

L. Replicabis. Non obſtantibus illis impedimentis, poteſt homo lapſus ſingulas veritates naturales diviſivè cognoſcere; ergo & omnes collectivè. Conſ. prob. Quia à ſingulis enumeratis ad omnes ſimul valet conſequentia; ut ſi dicatur: hic homo eſt riſibilis, ille eſt reſibilis, ille &c. ergo omnes homines ſimul ſunt riſibiles.

Explicatur. Supponamus, veritates naturales eſſe centum: homo valens attingere omnes diviſivè abſque ſpeciali gratiâ, poterit, verbi gratia, attingere nonaginta novem veritates; ergo poterit attingere centeſimam; ergo omnes collectivè.

LI. Reſpondeo, conced. antecedens negand. conſequentiam. Ad prob. dico, quòd modus arguendi à ſingulis ad omnia ſimul eſt bonus, quando conſequens eodem modo ſumitur ac antecedens; ſecus ſi ſumatur diverſo modo. Ut ſi dicerem: hic equus diviſivè, & ſeparatim ſumtus non poteſt trahere currum, nec ille; ergo neque omnes collectivè, & ſimul ſumti non valeret: quia procederetur à ſenſu diviſivo ad collectivum. Ita in caſu: quamvis hæc conſequentia ſit bona: poteſt intellectus hanc veritatem diviſivè ab alia cognoſcere, & iſtam, & illam; ergo poteſt omnes diviſivè: non tamen valet: poteſt intellectus hanc, & illam diviſivè cognoſcere; ergo omnes collectivè, eadem ratione: valet tamen in caſu allato, ratione materiæ, quia arguitur in materia neceſſaria.

Ad explicationem dico, eam non benè percipere ſenſum diviſivum, & collectivum. Senſus enim diviſivus ſtat in hoc (quoad præſens) quòd poſſit quis quamlibet earum veritatum attingere; ut nulla ſit inter eas, quæ non poſſit attingi. Senſus verò collectivus ſtat in hoc, quòd poſſit quis omnes illas attingere, ut nullam relinquat, quam non attingat, non quidem ſimul, ſed ſucceſſivè. Sit exemplum: dentur plures racemi in caniſtro: dicetur quis poſſe omnes illos racemos diviſivè comedere; quia inter illos nullus eſt racemus, quem non poſſit comedere: dicetur autem poſſe omnes illos comedere collectivè, ſi eos omnes comedat, ut ex eis nec unum relinquat, quem non comedat, eſtò ſucceſſivè. Patet ergo, quòd præfata explicatio confundit ſenſum diviſivum cum collectivo ſucceſſivo.

LII. Sed dices. Intellectus cùm ſit potentia ſpiritualis, quò plures veritates cognoſcit, eò potentior ſit ad cognoſcendas alias; ergo tandem poterit ad omnium collectionem devenire.

Reſpondeo, neg. conſ. Eſtò enim intellectus, qui plura cognoſcit, eò fiat ad alia cognoſcenda potentior in ſeipſo; attamen in ſibi adjunctis, & inſervientibus, puta ſenſibus, debilitatur, & fatigatur: ac ſubinde, ob tale impedimentum, non poteſt omnium collectionem attingere.

DUBIUM IV.

An poſſit Homo lapſus velle, & facere Bonum, ſive Juſtus, ſive Peccator ſit, ſive Infidelis?

§. I.

Quædam prænotantur.

I. HOmo in triplici ſtatu conſiderari poteſt. Vel in ſtatu puræ naturæ, in quo quidem non fuit, ſed à Deo condi potuit.

tuit. In ſtatu innocentiæ originalis, in quo fuit Adam ante peccatum, & fuiſſent omnes ejus Poſteri, ſi non peccaſſet, violando præceptum. In ſtatu naturæ lapſæ, ſeu corruptæ, in quem cecidit Adam peccando, & in quem cum ipſo omnis ejus poſteritas prolapſa eſt.

II. Homo lapſus poteſt eſſe vel juſtus habens gratiam juſtificantem; vel injuſtus carens gratiâ juſtificante, ſed habens fidem ſupernaturalem: vel infidelis carens gratiâ, & inſuper fide. De homine in hoc triplici ſtatu quærimus: an poſſit facere opus bonum morale, & honeſtum?

III. Opus autem bonum aliud eſt bonum, & honeſtum bonitate ſolùm, & honeſtate morali: & eſt illud, quod verſatur circa materiam convenientem & nullâ circumſtantiâ vitiatur, ſed procedit ex dictamine rectæ rationis: veluti cum Infidelis quiſpiam, naturali honeſtate motus, reveretur patrem, reddit depoſitum, tuetur innocentem &c. Aliud eſt opus bonum ad ſalutem: eſtque illud, quod habet non ſolùm omnes circumſtantias requiſitas, ut ſupra, ad opus bonum morale, ſed inſuper confert ad æternam ſalutem: eſtque à ſpeciali auxilio Spiritus Sancti, ſive inhabitantis ſive moventis. Ejuſmodi ſunt illa bona opera, quæ per inhabitantem Spiritus Sancti gratiam fiunt ab hominibus juſtificatis; & etiam illa, quæ, Spiritu Sancto cor movente, ad juſtificationem diſponunt; ut credere, ſperare, diligere, de peccatis pœnitere.

IV. In hac materia plures errarunt. Pelagius, de quo ſupra, voluit, omne opus bonum etiam ſalutare, & ut oportet ad ſalutem, fieri poſſe ſinè gratiâ Dei per Chriſtum, ſaltem afficiente voluntatem. Lutherus, & Calvinus, nullum opus in ſe bonum ab homine lapſo fieri poſſe dixerunt; ſed omnia opera, etiam hominis juſtificati, eſſe in ſe immunditias, & veluti pannum menſtruatæ, & ſolùm ex meritis Chriſti non imputari. Michael Bajus exiſtimavit, ad omne opus bonum morale requiri gratiam habitualem, & imperium Caritatis: ac ſubinde omnia opera, quæ fiunt à peccatore eſſe abominationes, & peccata. Janſenius autem aſſeruit, ad omne opus bonum moraliter gratiam fidei eſſe neceſſariam: ex quo intulit, omnia opera Infidelium eſſe peccata, & omnes eorum virtutes, vitia. Hoc proponit tanquam indubitatam S. Auguſtini doctrinam l. 3. de Statu naturæ lapſæ c. 14. *Nullum videlicet opus bonum, ne quidem moraliter, ab humano arbitrio fieri poſſe, niſi per gratiam, non quamlibet, ſed fidei, liberetur: ut proinde ante fidem non ſit ei liberum, à peccato, dum hìc, & nunc agere meditatur, abſtinere; ſed quòcumque ſeſe verterit, quâdam humanis viribus inſolubili peccandi neceſſitate teneatur.*

V. Omnes tamen Doctores verè Catholici, quamvis concorditer ſtent contra Pelagium, Lutherum, & Calvinum, Bajum, & Janſenium, diffident tamen in hoc: quòd quidam ad omne opus bonum morale eliciendum requirant gratiam quamdam actualem ſpecialem, & theologicam collatam ex meritis Chriſti. Ita Vazquez cum aliquibus aliis. Quidam verò admittunt, ſinè gratiâ ſpeciali, cum ſolo auxilio Dei moventis, hominem lapſum poſſe aliquod opus bonum moraliter efficere. Ita communiùs ſentiunt S. Thomæ diſcipuli, modo tamen inferius explicando. Priùs igitur hoc Dubio errores eliminabimus: opiniones verò Catholicorum in ſequenti diſcuciemus.

§. II.

Reſolutio contra Pelagium.

VI. DIco. Nullum bonum ſalutare, & conducens ad vitam æternam fieri, vel haberi poteſt abſque gratiâ actuali ſpeciali per Chriſtum datâ. Dico *fieri* vel *haberi*: quia non ſolùm actiones, quæ fiunt à nobis, ſed etiam habitus virtutum infuſarum,

quæ

quæ etſi non fiant à nobis, habentur tamen, à dono Dei gratuito per Chriſtum deſcendunt.

VII. Probatur primò. Quia Chriſtus, Joan. 14. *v. 6.* univerſaliter dicit: *Ego ſum via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, niſi per me:* atqui per quodlibet opus ad ſalutem pertinens itur ad Patrem; ergo illud fieri, aut haberi non poteſt, niſi per Chriſtum, ejus ſcilicet gratiam.

Rurſus: Joann. 15. v. 5. *Sinè me* (inquit) *nihil poteſtis facere;* loqui autem Chriſtum de opere conducente ad ſalutem, quod per Chriſti gratiam fieri debeat, ex contextu liquet. Ibi enim ſeipſum comparat viti, & diſcipulos palmitibus; qui, ſi in vera vite Chriſto manſerint, multum fructum afferent: fructum utique ſalutis, qui manat à Chriſto, & quem à diſcipulis ſuis ipſe requirit. Super quæ S. Aug. *Tract. 81. in Joan.* ait: *Ne quiſquam putarit, ſaltem parvum aliquem fructum poſſe à ſemetipſo palmitem ferre; cùm dixiſſet:* Hic fert fructum multum, *non ait: quia ſinè me parum, ſive multum, ſed:* Nihil poteſtis facere. *Sive ergo parum, ſive multum, ſinè illo fieri non poteſt, ſinè quo nihil fieri poteſt. Quia etſi parum adtulerit palmes, eum purgat agricola, ut plus afferat: tamen niſi in vite manſerit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à ſemetipſo non poteſt ferre.*

Tertiò: ex locis ſupra relatis *Dub.* 2. §. 2. quibus oſtenſum eſt, ſinè gratia Dei per Chriſtum nec poſſe nos cogitare, deſiderare prout oportet ad ſalutem, tam ex Scripturis, quàm ex Auguſtino, & Concilio Arauſicano II. non enim inutiliter repetenda ſunt. Solùm addo eundem S. Auguſt. *lib. de Gratia Chriſti* ita ſcribentem: *Gratiam Dei, quâ caritas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur qui vult veraciter confiteri; ut omnino nihil boni ſinè illâ, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet.*

VIII. Ratio autem eſt: quia nulla creatura habet naturalem facultatem, ut per ſe, ſeu ſuis naturalibus viribus elevetur ad gradum naturæ altioris; ergo non poteſt propriis viribus, abſque auxilio divinæ gratiæ, tendere ad finem ſupernaturalem: cum ergo ad eum tendat per opera ſupernaturalia, non poteſt ea facere abſque gratiæ auxilio. Alioquin, ut benè diſcurrit Paulus, *Galat. 2. v. 21.* Si homo poteſt per opera moralia legis ad juſtitiam tendere; *Ergo gratis Chriſtus mortuus eſt:* quia non ob aliam cauſam Chriſtus eſt mortuus, niſi propter noſtram juſtificationem — Addo: quòd omne opus ad ſalutem pertinens, vel eſt diſpoſitio ad gratiam, vel eſt meritorium vitæ æternæ: ſed homo non poteſt facere opera diſponentia ad gratiam, ſinè gratiâ Spiritus Sancti moventis, nec opera meritoria vitæ æternæ ſinè gratia Spiritus Sancti inhabitantis, ut infra oſtendetur; ergo &c.

Pelagianorum argumenta ſolvimus *Tom. 4. in 1. p. Qu. 3. de Cauſ. Prædeſt. Dub. 1. §. 4.* quæ Studioſus videre poterit.

§. III.

Reſolutio contra Lutherum, & Calvinum.

IX. Dico. Neque omnia Juſtorum opera ſunt peccata, neque omnis actio humana eſt mala in ſe. Probatur primò ex Trident. à quo anathemate feritur, Seſs. 6. Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quâcumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare.* Et Can. 25. *Si quis in quolibet bono opere Juſtum, ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter: atque ideo pœnas æternas mereri; tantùmque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem.*

X. Multa ſunt, quæ adversùs hunc errorem à Theologis Polæmicis adducuntur ex Scripturis, & PP. nos brevitati ſtudentes aliqua ſubjiciemus. Primò ergo probatur ex Job. 1. v. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Job, & erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Quod Deus ipſe confirmavit, *v.* 8. dum ad Satan converſus dixit: *Nunquid conſiderasti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Quomodo autem dicere potuiſſet Deus, Job eſſe virum rectum, recedentem à malo, timentem Deum, ſi in omni opere ſuo peccaſſet mortaliter? Aut ergo Deus falſum dixit; aut (quod verum eſt) falſum dicunt Lutherus, & Calvinus. Imò Satan ipſe potuiſſet Deum redarguere, dicens: non eſt verum, quòd Job ſit vir rectus, ſit timens te, recedat à malo, cùm continuò peccet; ſed tu non imputas ei peccata, quæ facit.

XI. Secundò. David ad Deum loquens, de ſemetipſo, *Pſal.* 7. *v.* 10. dicit: *Judica me, Domine, ſecundùm justitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.* Pſal. 16. v. 1. *Exaudi, Domine, juſtitiam meam.* v. 3. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* v. 15. *Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo.* Pſal. 17. v. 24. *Et ero immaculatus cum eo.* v. 25. *Et retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus.*

An hæc tantâ fiduciâ dixiſſet David, ſi ſciviſſet, omnia ſua opera eſſe coram Deo injuſtitias? Mentitus eſſet, dum ait, Deum in corde, per ipſum probato, non inveniſſe iniquitatem, cùm nihil aliud in eo inveniſſet, niſi iniquitatem; ſi verum eſſet, quod dicunt Lutherus, & Calvinus. Accedit: quòd ipſe Deus, 3. *Reg.* 14. *v.* 8. increpans Jeroboam, per Prophetam Ahiam, dixit: *Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo.* Si autem omnia opera David fuiſſent peccata coram Deo, & æternâ pœnâ digna; quomodo fecit, quod placitum erat in conſpectu Dei? An ergo peccata Deo placent?

XII. Tertiò. Chriſtus, *Matth.* 5. *v.* 16. ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum &c.* Si autem omnia opera Juſtorum ſunt peccata, cur Chriſtus hortatur, ut ea faciant? Rurſus: Paulus, 2. ad Timoth. 4. v. 8. *Bonum* (inquit) *certamen certavi* .... *de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Si omnia geſta Pauli fuerunt coram Deo peccata; quomodo Deus juſtus judex pro illis gloriam dabit in coronam? Præterea: 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Quomodo poſſumus ante tribunal Chriſti, referre quæ geſſimus, ſive bona, ſive mala; ſi coram ipſo omnia mala ſunt?

XIII. Nec refert cum Calvino *lib.* 3. *Inſtit. c.* 17. *§.* 10. dicere: *Quòd opera noſtra juſta ſunt, & habentur; quia quidquid aliàs vitii in ipſis eſt, Chriſti puritate ſepultum non imputatur.* Nam ſi Calvinus diceret, opera, quæ habent vitium, Chriſti puritate deleri in homine juſto, & in eo non eſſe ampliùs vitioſa, facilè percipi poſſet: ſed quòd in operibus hominis juſti maneat vitium, & vitio manente ſint Deo grata, quis intelligit? An fortè quia, licèt ſint in ſe peccata, Deus non reputat talia? At eodem modo dici poſſet, quòd una nigredo ſit alba, alia nigra; quia, licèt omnes nigredines ſint nigræ, una tamen reputatur nigra, alia non: ſi quamvis omnia opera Juſti ſint peccata, unum tamen eſt peccatum, aliud non, quia, ut peccatum non imputatur. Cùm ergo

ergo Scriptura opera hominis, alia bona, alia mala eſſe dicat; dici debet, aliqua eſſe intrinſecè bona, aliqua intrinſecè mala.

XIV. Sed objiciunt primò. *Pſalm.* 142. *v.* 2. dicitur: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens;* ergo, inquiunt, opera etiam Juſtorum coram Deo ſunt injuſtitiæ, & peccata.

Reſpondeo, negando illatum. Verba enim illa triplicem pati poſſunt ſenſum. Primus eſt: Domine Deus, ne velis exacto, & ſevero judicio mecum contendere; quia nullus mortalium coram te invenitur tàm juſtus, ut nulla ex parte ſit culpabilis, in iis ſaltem, in quibus Juſti quicumque delinquunt, quæ quotidiana, & venialia peccata vocantur. Secundus eſt: quòd nemo coram Deo ex ſeipſo, ſeu propriâ virtute juſtificetur: quia nullam poſſumus veram habere juſtitiam, niſi ex Divino munere. Tertius eſt: quòd ſicut nos quamvis reverâ ſimus, comparatè tamen ad Deum, ſic ſumus, quaſi non ſimus; quia ſolus ipſe ab eſſe non poteſt deficere, cum ſit ipſum eſſe: ita quamvis reverâ juſti ſimus, comparatè tamen ad Deum, qui à juſtitia deficere non poteſt, cùm ſit ipſa juſtitia, ſic ſumus juſti, quaſi non ſimus. Eodem ergo modo, quo Job. *c.* 4. *v.* 18. dicit, quòd *in Angelis ſuis reperit pravitatem:* & c. 25. v. 5. *Ecce luna etiam non ſplendet, & ſtella non ſunt munda in conſpectu ejus*, quamvis Angeli boni, qui ſerviunt ei, pravitatem non habeant, & luna, ac ſtellæ verè luceant: ſic homo, eſtò verè juſtus, comparatè ad Deum dicitur non juſtus: unde ſubdit: *Quantò magis homo, putredo, & filius hominis vermis.*

XV. Objiciunt ſecundò. Eccleſiaſtæ 7. v. 21. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quibus conſentaneè loquitur Paulus, *Rom.* 3. *v.* 12. dicens: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*; quod priùs dixerat David *Pſalm.* 13. *v.* 3.

Reſpond. ſenſum Eccleſiaſtæ eſſe, non quòd vel homines in quolibet actu peccent; vel quòd omnis eorum actio ſit peccatum, ut Acatholici volunt: ſed quòd nullus homo ſit ita ſanctus, quin aliquando, ſaltem leviter, non peccet; vel non ſit in periculo, *ut & de virtutum culmine ad vitia delabatur..... & nunquam eum eſſe ſecurum; ſed ſemper metuere in tranquillitate naufragium.* Ita S. Hieronymus *l.* 1. *adverſùs Pelagianos.*

Paulus verò ibi, ſicut & David, deſcribunt homines, quales ſunt ex vitiata ſuâ origine: ſic enim *non eſt juſtus quiſquam*, nec vel unum opus bonum facere poteſt, quod ad ſalutem animæ pertineat. At de homine, jam per Chriſtum juſtificato, aliter loquitur, dum ad *Ephes.* 2. *v.* 10. vocat eum creatum *in operibus bonis.*

XVI. Objiciunt tertiò illud Iſaiæ 64. verſ. 6. *Et facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruata univerſa juſtitia noſtra.* Ergo omnia opera, quæ faciunt etiam Juſti, ſunt immunda, & maculata.

Reſpondetur huic textui, quem in ore ſemper habent Proteſtantes, neg. conſ. Quod enim infertur in conſequenti, nempe, omnia opera hominis etiam juſti ſunt immunda, non ponitur in antecedente, nempe, in textu: imò potius oppoſitum. Cùm enim ibi loqueretur in perſona totius populi Judæorum, cujus maxima pars Deum corde dereliquerat; propter quod Deus illum in captivitatem tradidit: benedicit, facti ſumus omnes ut immundi. Et licèt aliqua opera, quæ ipſi putabant juſtitias, proſequerentur, nimirum, oblationes, ſacrificiorum, ac feſtorum legalium obſervantiam; quia tamen ex continuo affectu ad ſua crimina, & bonæ intentionis defectu, aliarumque circumſtantiarum ea peragebant; ideo coram Deo comparantur panno menſtruatæ: quia, eſtò aliquod

appareret bonum, & mundum, prava tamen intentio totum opus maculabat. Non tamen ſic omnes vocat immundos, & omnia eorum opera maculata; quaſi in toto illo populo nullus eſſet Juſtus, & nemo aliquod bonum opus ſaltem morale faceret: aderat enim inter alios Iſaias ipſe, imò etiam aliqui juſtitiam veram facientes: dixerat enim v. 5. *Occurriſti lætanti, & facienti juſtitiam.* Sed, ut ait S. Auguſt. l. de Unit. Eccleſiæ c. 12. *Plerumque ſermo divinus impias turbas Eccleſiæ .... ſic redarguit, tanquam omnes tales ſint, & nullus omnino bonus remanſerit.*

XVII. Objiciunt quartò S. Paulum, *Roman. 7. v.* 18. dicentem: *Scio enim, quòd non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum.* Atqui Matth. 7. v. 18. *Arbor mala non poteſt fructus bonos facere;* ergo homo nullum opus bonum facere poteſt.

Reſpondeo, neg. conſ. Nam S. Paulus nomine mali intelligit fomitem peccati, ſeu concupiſcentiam, quæ licèt ex peccato ſit, & ad peccatum inclinet, peccatum tamen propriè non eſt; ut *Tom. 6. Q. 8. de Peccato Origin. Dub. 2. §. 2. & 3.* oſtendimus. Neque ex concupiſcentiæ inclinatione fiunt omnia opera, præſertim illa, quæ ex ſpiritu fidei, & gratiæ prodeunt. Arbor autem mala, nempe, homo malæ voluntatis, quales erant falſi Prophetæ, dum ex mala voluntate operabantur, certè non poteſt fructus bonos facere: ſed non ſequitur, quòd homo ſemper ſit arbor mala, & ex mala voluntate operans. Imò Chriſtus ibi ſupponit, quòd aliquando poſſit eſſe arbor bona, & fructus bonos facere; ait enim: *Arbor bona fructus bonos facit.*

XVIII. Objiciunt tandem Patres. Auguſtinum *l. 9. Confeſſ. c. 13.* dicentem: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam.* S. Gregorium l. 9. Moral. c. 2. *Sanctus vir omne virtutis noſtræ meritum eſſe vitium conſpicit, ſi ab interno arbitrio diſtrictè judicetur;* quod alibi ſæpiùs repetit. Et S. Bernardum Serm. 5. de Verb. Iſaiæ *Noſtra enim (ſi qua eſt) humilis eſt juſtitia, recta forſitan, ſed non pura.*

Reſpondeo S. Auguſt. ſolùm velle, non eſſe vitam hominis ita laudabilem, quæ ſi à Deo diſcutiatur, non inveniatur aliquâ maculâ, veniali ſaltem, maculata; ob quam temporali pœnâ poſt mortem eſſet purganda, niſi Deus eam, vel totam, vel ex parte miſericorditer per Chriſtum remitteret.

S. autem Gregorius ſolùm vult, quòd ſi homo per ſuperbiam audeat ſe Deo comparare, quaſi quod à Deo accepit, à ſeipſo habere præſumat, totum amittit. Sanctus autem vir, quod ex ſe habet virtutis ſuæ meritum, vitium reputat; quia ſi diſtrictè judicetur, quod putat eſſe meritum, inveniet non eſſe meritum, ſed vitium, nec eſſe veram juſtitiam, ſed fortè injuſtitiam. Eodem modo exponendus eſt in aliis locis. Vel dicendum, quòd loquitur de juſtitia noſtra comparatè ad juſtitiam Dei; coram qua quæ alioquin vera juſtitia eſt, deſinit eſſe juſtitia, ut ſupra diximus.

S. Bernardus verò puram juſtitiam ibi vocat, quæ abſque omni peccato eſt, tàm præſenti, quàm præterito. Diſtinguit enim juſtitiam, docens, aliquam eſſe rectam, ſed non puram, nec firmam; cujuſmodi eſt in homine mortali, quando benè vivit, & peccato non conſentit: dum enim ſic vivit, habet juſtitiam rectam, ſed non puram, quia aliquando peccavit, nec firmam, quia ab ea poteſt peccando excidere: aliam rectam, & puram, ſed non firmam, ut in primis noſtris Parentibus, antequam peccarent: aliam denique puram, rectam, & firmam, quæ ſcilicet nec unquam amiſſa fuit, nec amitti poteſt, ut in beatis Angelis. Sed de hoc ſatis

§. IV.

§. IV.

Reſolutio contra Bajum.

XIX. Dico. Ad faciendum opus bonum morale non requiritur gratia ſanctificans, nec imperium caritatis: ac proinde homo, dum eſt in ſtatu peccati mortalis, poteſt aliquod bonum opus morale facere, nec omnia opera peccatoris ſunt peccata.

Probo primo ex Conſtant. Concilio *Seſſ.* 15. Ubi, inter alios Jo. Wicleffi, & Joan. Hus errores, damnatur iſte: *Ex principiis fidei eſt per ſe notum, quòd quidquid homo in peccato mortali fecerit, peccat mortaliter.* Et iſte: *Si homo eſt vitioſus, & agat quidquam, tunc agit vitioſè; & ſi eſt virtuoſus, & agat quidquam, tunc agit virtuoſè: quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi; ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.*

Secundò ex Conc. Tridentino *Seſſ. 6. Can.* 7. eum anathemate damnante, qui dixerit: *Opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quâcumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri.* Quare ratione optimâ S. Pius V. anno 1567. tres ſequentes propoſitiones ex Bajo damnavit; nempe, nu. 35. *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Num. 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur.... aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſâ, Deus amatur.* Et nu. 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

XX. Probatur primò aſſertio. Chriſtus, *Lucæ* 11. *v.* 41. hortatur Phariſæos, qui peccatores erant, ut faciant eleemoſynam: *Verumtamen, quod ſupereſt date eleemoſynam:* ſed ſi eleemoſyna facta à peccatore eſſet peccatum, vel Chriſtus ad eam non hortaretur, vel hortando, hortaretur ad faciendum peccatum; ergo &c. Rurſus: *Daniel. c.* 4. *v.* 24. hortatur Nabuchodonoſorem peccatorem, imò & infidelem, his verbis: *Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis:* atqui peccata novis peccatis non redimuntur, nec Deus ab actu malo movetur ad ignoſcendum; ergo eleemoſynæ illæ, ad quas hortabatur Daniel, licèt factæ à peccatore, erant opera moraliter bona, dum fierent animo relevandi miſerias pauperum.

XXI. Probatur ſecundò. Ideo peccator non poſſet facere opus moraliter bonum, quia, ut ajebat Bajus, in quovis ſuo opere ſerviret dominanti cupiditati, ſeu operaretur ſemper ex affectu ad peccatum: ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Min. prob. Dum homo exiſtens in peccato, puta luxuriæ, ex motivo pietatis exhibet debitam reverentiam parentibus, ex motivo miſericordiæ ſubvenit egeno, vel motivo alterius virtutis facit aliquod opus virtutis, animo exercendi honeſtatem illius virtutis; talia opera certè non facit ex affectu, vel ut ſerviat dominanti cupiditati luxuriæ; ergo &c. — Et jure quidem: nam ſicut homo habitualiter converſus ad Deum per gratiam, non ſemper operatur ex affectu, & ordine ad Deum; ſed interdum in quædam prolabitur, quæ licèt levia, & venialia, peccata ſunt: ita quoque ex adverſo homo habitualiter averſus à Deo, & converſus ad creaturam per peccatum, non ſemper operatur ex affectu ad creaturam; ſed aliquod opus morale bonum ex alio motivo poteſt facere. Unde Chryſoſtomus Homil. 67. ad Populum: *Non poteſt* (inquit) *malus omnino malus eſſe, ſed evenit, ut aliquid habeat boni: neque bonus eſſe omnino bonus, ſed nonnulla ſolet habere peccata.*

XXII. Probatur tertiò. Opera virtutum, juſtitiæ, religionis, miſericordiæ, temperantiæ &c. jure naturali, & divino præcipiuntur non ſo-

lis

lis juſtis, ſed etiam injuſtis, & peccati mortalis labe inquinatis: atqui non præciperentur, ſi iiti ea non poſſent implere, niſi peccando; alioquin eis præciperetur, ut peccarent, atque in hac inevitabili neceſſitate conſtituerentur, ut peccarent, ſive implendo, ſive non implendo actum præceptum; ergo &c.

Imò ſequeretur, quòd non eſſent hortandi peccatores ad facienda opera bona, ut jejunia, orationes, mortificationes: ſi enim nullum opus bonum facere poſſent, ſed in quovis opere peccarent; idem eſſet eos hortari ad opera bona, ac eos hortari ad peccandum: quo quid abſurdius?

XXIII. Sed inquies. Quid juvare poteſt peccatorem ejus oratio, quem Deus odit, quem *non exaudit*, ut habetur *Joan.* 9. & cujus oratio *erit execrabilis?* ut dicitur *Prov.* 28. Quid proderunt eleemoſynæ, & opera pietatis moralia, quæ utpote merè naturalia, ad juſtificationem nihil conferunt?

XXIV. Ad hoc reſpondit jam D. Th. 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. ubi docet: *Quòd in peccatore duo ſunt conſideranda, ſcilicet, natura, quam diligit Deus, & culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, inquantùm peccator, ideſt, ſecundùm deſiderium peccati; in hoc à Deo non auditur ex miſericordia, ſed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem adhuc ampliùs ruere in peccata. Deus enim* quædam negat propitius, quæ concedit iratus, *ut Auguſtinus dicit* (Tract. 73. in Joann.) *Orationem verò peccatoris ex bono naturæ deſiderio procedentem Deus audit, non quaſi ex juſtitia, quia peccator hoc non meretur; ſed ex pura miſericordiâ, obſervatis tamen quatuor præmiſſis conditionibus, ut ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeveranter.*

Hoc idem repetit eadem 2. 2. *q.* 178. *a.* 2. *ad* 1. his verbis: *Oratio in impetrando non innititur merito, ſed divina miſericordia, quæ etiam ad malos ſe extendit: & ideo etiam quandoque peccatorum oratio à Deo exauditur. Unde Auguſt. dicit ſuper Joann.* (Tract. 44.) *quod illud verbum cæcus locutus eſt, quaſi* adhuc inunctus, *ideſt nondum perfectè illuminatus:* Nam peccatores exaudit Deus. *Quòd autem dicitur, quòd* oratio non audientis legem eſt execrabilis, *intelligendum eſt, quantùm eſt ex merito peccatoris: ſed interdum impetrat ex miſericordia Dei; vel propter ſalutem ejus, qui orat, ſicut auditus eſt Publicanus, ut dicitur Lucæ* 18. *vel etiam propter ſalutem aliorum, & gloriam Dei.*

XXV. S. Auguſtinus, præter loca à S. Thoma allata, hanc veritatem etiam docet *lib.* 2. *contra Epiſt. Parmeniani c.* 8. his verbis de Publicano orante dicens: *Quamquam enim juſtificatus deſtiterit eſſe peccator; tamen ut juſtificaretur peccator orabat, & peccator confitebatur, & exauditus juſtificatus eſt, ut deſineret eſſe peccator. Non utique deſineret eſſe peccator, niſi priùs exaudiretur peccator. Quamobrem non quidem omnem peccatorem exaudiri, ſed tamen non omnem peccatorem non exaudiri veritas teſtis eſt.* Ita S. Doctor adversùs donatiſtas errorem Baii præformantes.

XXVI. Quomodo etiam eleemoſyna, & aliud opus morale factum à peccatore poſſit à Deo acceptari, docet S Thomas *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *a.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. ubi loquens de Pharaone, cur nihil Deo acceptabile facere potuerit, ait: *Quòd ſi opus Deo acceptabile dicatur opus meritorium, tunc planum eſt, quòd nec Pharao, nec aliquis in peccato mortali exiſtens poteſt facere opus Deo acceptum. Si autem omne opus, quod eſt bonum ex genere, & bona intentione factum, dicatur opus acceptabile Deo; tunc dicitur Pharao non potuiſſe, non quia omnino non potuerit, ſed propter fixionem obſtinatæ voluntatis ad malum, in quam inciderat, divinâ gratiâ deſertus.* Hinc ſi aliquis in peccato exiſtens, bona intentione faciat eleemoſynam pauperi;

actio

actio iſta, eſtò non ſit acceptabilis Deo tanquam meritoria, poteſt tamen Deus ex ſua miſericordia ad eum converti, ut à peccato liberetur. Unde S. Cyprianus Serm. de lapſis: *Si* (inquit) *ad veniam delicti ſui Dominum juſtis, & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt*. Ubi nota: S. Cyprianum non dicere: *miſereri talium debet*, quaſi ex juſtitia; ſed *poteſt*, nempe, ex miſericordia. Et *Daniel. c.* 4. laudato, hortans Regem ad redimenda peccata ſua eleemoſynis, adhuc dubiam relinquit ei peccatorum remiſſionem, dicens: *Forſitan ignoſcet delictis tuis*. Et ratio eſt: quia opera purè moralia nec merentur, nec diſponunt ad gratiam remiſſionis: ſed ex pura Dei miſericordia eſt, quòd ad ea reſpiciat, & gratiam, quâ peccator ſe ad juſtificationem præparet, largiatur.

XXVII. Altera aſſertionis pars: quod ſcilicet ad faciendum opus bonum morale, non requiratur imperium caritatis, ſequitur ex dictis. Nam ſi homo non exiſtens in gratia habituali poteſt aliquod opus moraliter bonum facere; id etiam poterit ſinè imperio caritatis, quæ ſupponit gratiam tanquam ejus proprietas.

XXVIII. Probatur autem ſpecialiter. Actus fidei, timoris, ſpei, & attritionis, quibus ſecundùm doctrinam Tridentini *Seſſ. 6. c. 6.* & *Seſſ. 14. c.* 4. peccator incipit ſe diſponere ad juſtificationem, ſunt actus boni, & laudabiles; cùm ſint à Spiritu Sancto ſpecialiter movente cor, eſtò nondum inhabitante: & tamen ex imperio caritatis non ſunt, quia ad eos actus non ex caritate, quam nondum habet, ſed ex reverentia ac metu movetur; ergo actus boni ſunt, & non ex caritate. Quòd ſi iſti, qui tamen ſupernaturales ſunt, poſſunt eſſe boni, & non ex imperio caritatis; multò magis poterunt eſſe boni actus morales moralitate, & honeſtate ſolùm naturali.

XXIX. Ratio autem hujus eſt: quia bonitas moralis actus in hoc diſtinguitur à bonitate ſupernaturali, & meritoriâ vitæ æternæ; quòd illa conſtituitur per ſolam conformitatem actus cum debita ratione, & prudentiâ, abſque ullo ordine ad finem ſupernaturalem: iſta verò procedit ex influxu gratiæ, & caritatis referentis actus noſtros in finem ſupernaturalem. Unde quamvis ſinè caritate homo nequeat elicere actus ſupernaturales, & meritorios vitæ æternæ; poteſt tamen ſinè illâ plures actus honeſtos, & moraliter bonos exercere, ut colere parentes, ſubvenire egenis: iſti enim actus debitâ intentione facti, ex fine proximo, & objecto habent honeſtatem, & bonitatem moralem.

XXX. Addo: quòd ſi ad quodcumque opus moraliter honeſtum, & bonum neceſſaria eſt ordinatio caritatis; ſequeretur, quòd quotieſcumque homo deliberatè agit, adſtringatur præcepto caritatis. Cùm enim, juxta nos, non detur actus deliberatus in individuo indifferens, quoties homo deliberatè agit, tenetur honeſtè, & benè moraliter operari: ſed hoc eſt abſurdum, cùm præceptum caritatis, utpote affirmativum, non obliget pro ſemper, ſed pro tempore determinato; ergo &c.

XXXI. Sed dices primò. Ut actus humanus ſit moraliter bonus, debet ab operante ad Deum referri: ſed peccator non habens caritatem non poteſt actum ſuum ad Deum referre, cùm ſit à Deo averſus; ergo non poteſt facere actum moraliter bonum.

Reſpondeo, negando maj. maximè intellectam de Deo fine ſupernaturali; alioquin in quolibet actu deliberato urgeret præceptum caritatis. Ut ergo actus humanus ſit bonus bonitate morali, ſatis eſt, ut ab operante dirigatur ad finem proximum honeſtum; & fiat ob honeſtatem virtutis, & quòd pravâ intentione talem ordinem non impediat. Hoc enim poſito, actus ille, cùm ex natura ſua ordinetur ad Deum auctorem totius mo-

ralis

Digitized by Google

ralis honeſtatis, interpretativè ſaltem ad Deum tendit, & ex tali ordine bonus evadit. Et conſtat in actu attritionis à peccatore ex metu gehennæ concepto, quem bonum, & laudabilem eſſe Tridentinum definit: qui tamen ad Deum per caritatem non refertur, cùm procedat à ſubjecto per peccatum à Deo averſo. Et in actu, quo quis, in peccato exiſtens, ex pietate naturali movetur ad ſublevandum egenum: cùm enim ſit conformis dictamini rationis, conformis eſt etiam legi æternæ Dei; ideoque interpretativè, & mediatè ſaltem, ad Deum tendit: qui propterea ex ſua miſericordia interdum movetur ad reſpiciendum peccatorem gratiâ ſuâ. Hoc aliqui explicant exemplo lapidis, qui cùm naturâ ſua tendat in centrum; ſi ab extrinſeco non impediatur, ad centrum ut ſui terminum ſpontè deſcendit. Sic actus ex objecto bonus, ſi ab operante, malo fine, aut pravâ circumſtantiâ non detineatur, ſpontè ad Deum totius boni fontem aſcendit.

XXXII. Sed replicabis. Omnes actus hominis in peccato mortali exiſtentis referuntur ex parte operantis ad malum finem; ergo ſunt peccaminoſi, & moraliter mali: quia actus ex objecto, & ſpecie boni ex intentione mala vitiantur. Antec. probat. Homo exiſtens in peccato mortali quidquid appetit, ordinat ad bonum proprium; ergo &c.

Reſpondeo, neg. ant. Sicut enim homo juſtus non actu ſemper refert omnia ad Deum, licèt in eo habitualiter ſuum ultimum finem conſtituat, cùm nonnunquam venialiter peccet: ita nec impius omnia, quæ facit, actu refert ad bonum proprium, in quo habitualiter ſuum ultimum finem conſtituit. Solùm ergo actu refert peccator actus ſuos ad bonum proprium, ad quod per peccatum eſt habitualiter converſus; quando ex influxu illius, & ex affectu ad ipſum operatur, ſeu quando operatur ut peccator. Cæterum cùm ſicut Juſtus non ſemper operatur, ut Juſtus, ita nec impius ſemper operetur, ut impius; ſit, ut quemadmodum non omnis actus hominis juſti eſt ex affectu ad juſtitiam, & ex influxu illius: ſic nec omnis actus hominis injuſti ſit ex influxu injuſtitiæ, & ex affectu ad illam. Hoc demonſtro: nam impius non agit ſemper ex prava cupiditate, ſed aliquando ex motu Spiritus Sancti, nondum quidem inhabitantis, ſed moventis; ut diximus ſupra de actibus, quibus incipit ſe diſponere ad juſtificationem: quis autem dicat, actus, ad quos Spiritus Sanctus movet, actu referri ad pravum finem? Similiter dum peccator, tactus miſericordiâ, alienæ egeſtati ſubvenit, quis dicet, iſtum referre actu hoc opus ad finem ſuæ pravæ cupiditatis? Ad ejuſmodi ergo actus prava cupiditas ex parte ſubjecti ſupponitur quidem, ſed non influit, & quaſi per accidens comparatur.

XXXIII. Dices ſecundò. Opus hominis elevati ad finem, & ordinem ſupernaturalem, ſi non ordinatur ad talem finem, eſt malum: ſed qui non habet caritatem, non ordinat &c. ergo ſemper facit actum malum. Maj. prob. Quia in homine natura ſenſitiva conjuncta eſt cum rationali, actus ſenſitivæ partis deliberatè elicitus redditur malus, ſi non ordinetur ad bonum conforme naturæ rationali: unde ſupra *q.* 18. *a.* 9. infert S. Thom. ex hoc principio, non poſſe dari actum indifferentem in individuo; ergo ſimiliter in natura conjuncta cum elevatione ad finem ſupernaturalem, actus erit malus, ſi ad talem finem non ordinatur.

Reſpondeo, neg. maj. Ad prob. nego ant. Cauſa enim, quare actus ſenſitivæ partis, ſi deliberatè fiat, debet ordinari ad bonum rationis, aliàs erit vitioſus, non eſt præciſè, quia conjungitur cum natura rationali; ſed quia in omni actu deliberato debet illi ſubordinari. At natura rationalis non tenetur, ut benè agat, in omni actu ſuo ſe actu ſubordinare fini, ad

quem

quem eſt elevata; ſed ſufficit, ut actum ſuum ordinet ad finem rationi naturali conformem.

XXXIV. Dices tertiò. In Scripturis plura opera, alioquin in ſe optima, hoc ipſo rejiciuntur, quòd ab impiis fiant: *Quare* (inquit Deus ipſe ad peccatorem, Pſalm. 49. v. 16.) *tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Et *Iſaiæ 1. v. 13.* ait Deus: *Ne offeratis ultra Sacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi.... Calendas veſtras, & Solemnitates veſtras odivi &c.*

Reſpondeo, Deum citatis locis non ſignificare, hæc omnia eſſe peccata, ex eo præciſè, quòd à peccatoribus fiant; ſed reprehendere Judæos, qui prava intentione ea faciebant, ſcilicet, non ex affectu religionis, & honeſtatis, ſed ex hypocriſi, & vanagloriâ: omnemque ſuam juſtitiam in cultu illo externo conſtituebant, virtute, & cultu Dei interno contemtis. Unde *Iſaiæ 29. v. 13.* dicitur: *Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longe eſt à me.*

XXXV. Afferri ſolent varii S. Auguſtini textus, quibus videtur dicere, quòd id, quod facit homo ſinè caritate, nullo modo facit benè; omnia bona hominis in ſummum bonum referenda eſſe; & virtutes, dum propter ſe appetuntur, ſuperba vitia eſſe.

Sed reſpondetur, S. Doctorem non negare, id, quod facit homo ſinè caritate, fieri benè moraliter; ſed ſolùm negare, fieri benè, ut oportet ad ſalutem. Velle, omnia opera bona in ſummum bonum referenda eſſe, vel explicitè, ex parte operantis, ut ſint meritoria vitæ æternæ; vel, quòd ſaltem à tali ordine operans illa non actu retrahat, ut ſint bona morali bonitate. Virtutes autem ſuperba vitia vocat in Stoicis, qui de ſuis virtutibus gloriabantur, ac ſuperbiebant, in eiſque ultimum finem collocabant.

§. V.

Reſolutio contra Janſenium.

XXXVI. Dico. Ad faciendum opus bonum morale non eſt neceſſaria gratia fidei: ideoque non omnia opera Infidelium ſunt peccata. Probo. Nam Scriptura variis in locis refert, aliqua Infidelium opera fuiſſe à Deo remunerata: cujuſmodi fuit beneficium præſtitum Iſraelitis ab obſtetricibus Ægyptiis, quod Deus remuneratus eſt, ædificando eis domus *Exod. 1.* Gratia, quam Raab præſtitit exploratoribus Iſraelitis, Dei voluntate à Joſue compenſata fuit *Joſue 2. & 6.* Et *Ezechiel. 29.* Nabuchodonoſor dicitur à Deo mercedem ſui operis recepiſſe. Unde Hieronymus ibi: *Ex eo, quòd* (inquit) *Nabuchodonoſor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio præteriri.* Propterea S. Auguſtinus *l. 5. de Civit. Dei c. 15.* aſſerit, Deum Romanis infidelibus dediſſe amplum Imperium, ut eorum virtutes in hac vitâ mercedem aliquam haberent. Atqui Deus non remuneratur opera mala, ſeu peccata; hæc enim non præmio digna ſunt, ſed pœnâ; ergo in Infidelibus dantur opera bona, & honeſta moraliter.

XXXVII. Verùm quia Janſenius gloriatur, ſibi patrocinari Auguſtinum; audiamus S. Doctorem *l. de Spiritu & litt. c. 27.* ubi dicit, quòd hi, qui naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, quamvis non ſint habendi in numero eorum, quos Chriſti juſtificat gratia: *Quædam tamen facta, vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò, rectèque laudamus.* Quamvis autem ſubdat, quòd *ſi diſcutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem, defenſionemve mereantur*; addit tamen, quòd *non uſque adeo in*

in anima humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint; unde meritò dici poſſit, etiam in ipſa impietate vita ſua facere aliqua legis, vel ſapere. Et inferiùs *cap.* 18. dicit, quòd eſtò talia opera non ſint eis profutura *in die, qua judicabit Dominus occulta hominum;* proderunt ſaltem, *ut mitiùs puniantur. Sicut enim non impediunt à vita æternâ juſtum quædam peccata venialia, ſinè quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſinè quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur.*

XXXVIII. His præcluditur Janſenii reſponſio dicentis, in Infidelibus dari aliqua bona opera ex parte objecti, ſeu operis; non verò ex parte finis, ſeu operantis. Primò: nam, ut vidimus, multa bona opera Infidelium Deus temporaliter remuneratus eſt: at ſi ex parte finis fuiſſent mala, Deus ea non fuiſſet remuneratus: quis enim dicat, bonum opus ex fine malo factum, puta ex vanagloria, à Deo remunerari? — Secundò: eſtò Auguſtinus dicat, quòd ſi opera illa diſcutiantur quo fine fiant, vix inveniantur, quæ juſtitiæ debitam laudem mereantur; non negat tamen, poſſe ab Infideli aliquod bonum etiam bono fine fieri: ſubdit enim, imaginem Dei non eſſe penitùs in Infideli detritam: eſſet autem penitùs detrita, ſi non poſſet aliquod opus bonum ob finem honeſtum rationis facere, & liberum arbitrium ad bonum eſſet prorſus extinctum. Deinde dicit, quòd bona illa opera proderunt Infideli, ſaltem ad mitiorem pœnam: ſi autem eſſent ex fine mala, & proinde nova peccata, non prodeſſent ad mitiorem, ſed obeſſent ad acerbiorem pœnam.

XXXIX. Sed mentem S. Auguſtini colligo ex *Epiſt.* 130. modò 144. ubi de Polemone, qui in diſputatione de temperantia cum Xenocrate habitâ, factus fuit continens, dicit, hanc mutationem non fuiſſe opus humanum, ſed divinum: quia ſi corporis bona, *ſicut forma, vires, & ſalus... non ſunt niſi ex Deo Creatore, & perfectore natura, quanto magis animi bona donare nullus alius poteſt?* Audebit ne dicere Janſenius, continentiam, quam Auguſtinus fatetur eſſe donum Dei Conditoris in Polemone, fuiſſe bonam ſolùm ex officio, & objecto, malam verò, & peccatum ex fine? Rurſus proſequitur Auguſtinus: quòd ſi Polemon ex luxurioſo factus continens *ſciret, cujus eſſet hoc donum, ut eum, abjectis ſuperſtitionibus gentium, piè coleret; non ſolùm continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret: quod ei non tantùm ad præſentis vitæ honeſtatem, verùm & ad futura immortalitatem valeret.* Continentiæ igitur Polemonis moralis honeſtas non deerat, quamvis deeſſet fides, quâ illi in futura vita prodeſſe poſſet.

XL. Hinc *Epiſt.* 99. modò 164. *ad Evodium* ſcribit, in libris Ethnicorum quaſdam laudabiles vitas legi: *Ut excepto Dei Cultu, in quo erraverunt... imitandi meritò proponantur:* imitandi verò meritò non proponerentur, ſi ſemper ex fine pravo operati eſſent. Item *lib. de Gratia Chriſti c.* 24. ex ſubita mutatione Aſſueri in favorem Judæorum infert, intelligendum, & fatendum eſſe: *Non lege, atque doctrinâ inſonante forinſecus, ſed internâ, & occultâ, mirabili, ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Bona ergo fuit non ſolùm ex parte objecti, ſed etiam ex parte intentionis, & finis mutatio voluntatis in Aſſuero Ethnico, ſi eam operatus eſt Deus.

XLI. Nunc examinandum eſt præcipuum Janſenii fundamentum. Exiſtimat ipſe, omnia Infidelium opera ideo eſſe peccata, quia opera, aliàs ex officio, vel objecto bona, aut in pravum infidelitatis ſuæ finem detorquent; aut ſaltem in verum finem Deum, quem ignorant, referre omittunt:

unde

unde ſunt mala, vel ex appoſitione finis pravi, vel ex omiſſione finis debiti: ſed utrumque falſum eſt; ergo &c.

Min. pro prima parte prob. Quid enim cogit, ut Infidelis ſemper agat ex affectu, puta, ad Idolum? Quid prohibet, ut Infidelis det eleemoſynam indigenti, ut ejus neceſſitati occurrat, nil cogitando de ſuo Idolo, vel pravo infidelitatis fine? *Sicut enim* (inquit S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 4.) *habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando: ità etiam Infidelis poteſt aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis*. Videantur ſuperiùs dicta §. *praecedente*, *num.* 31. & 32. Unde S. Th. *In Cap.* 1. *Epiſt. ad Tit. lect.* 4. exponens hæc verba: *Coinquinatis autem, & Infidelibus nihil eſt mundum*, ait: *Quando peccator facit aliquod bonum, ſecundùm quòd eſt peccator, & Infidelis, totum eſt peccatum ex radice: ſed ſi quid facit ex principio alicujus boni, quod habet, ut fidei informis, vel naturæ, non eſt immundum*.

Min. pro ſecunda parte probatur. Ex dictis enim, ut actus humanus ſit moraliter bonus, & laudabilis, non requiritur, ut in Deum expreſsè referatur, ut ultimum finem: ſed ſatis eſt, ut ex natura ſuâ ad Deum tendat, & à Deo per pravum operantis affectum non deordinetur. Actus enim qui fiunt à peccatore, ſive à Catechumeno, ante juſtificationem, & Baptiſmum, boni, & laudabiles ſunt ex Tridentino: & tamen non poſſunt ab operante expreſsè ordinari ad Deum; cùm careat, vel fide, vel ſaltem caritate, utpote in peccato mortali adhuc exiſtens: ſed opera, quæ facit Infidelis, eſtò ad Deum expreſsè non ordinet, non tamen ſemper à Deo deordinat; ergo &c.

Confirmo hoc. Si, ut actus ſit bonus moraliter, requiritur, ut expreſsè ab operante ordinetur in Deum, ut ultimum finem; ſequitur, quòd Fidelis, imò & juſtus homo, qui nihil de Deo cogitans dat eleemoſynam pauperi ex ſolo motivo ſubveniendi ejus miſeriæ, non faciat actum moraliter bonum, imò peccet: quia dum nihil de Deo cogitans operatur, certè actum illum expreſsè non ordinat in Deum. — Nec valet dicere, Juſtum ejuſmodi eleemoſynam referre habitualiter in Deum per habitum caritatis, quo ornatur — Nam habitus nihil ponit in actu, niſi ad eum ponendum influat; aliàs, qui habet habitum juſtitiæ, ſi poſtea peccet per intemperantiam, peccaret etiam peccato injuſtitiæ. Cùm igitur in Juſto, qui habens habitum caritatis, nil de Deo cogitans, ex pura pietate erga pauperem, ei dat eleemoſynam, habitus caritatis nihil influat in talem actum; ſequitur, quòd illum expreſsè non ordinet in Deum: & quòd, ut actus ſit moraliter bonus, non requiratur expreſſa ordinatio in Deum.

XLII. Probo ſecundò, evertendo aliud Janſenii fundamentum. Ideo Infidelis non poſſet actum moraliter bonum facere, quia in eo corruptum eſſet omne principium boni moralis: ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Min. probata manet ſupra ex Auguſtino: non enim in Infideli prorſus obtrita eſt imago Dei. Deinde ratione, quâ D. Tho. 2. 2. *qu* 10. *a*. 4. probat, non omnia opera Infidelium eſſe peccata, his verbis: *Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem; non autem totaliter corrumpit bonum naturæ. Unde cùm infidelitas ſit quoddam peccatum mortale, Infideles quidem gratiâ carent; remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde manifeſtum eſt, quòd Infideles non poſſunt operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet, opera meritoria; tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt. Unde non oportet, quòd in omni ſuo opere peccent; ſed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant*.

Cùmque ſibi ſecundò loco oppoſuiſſet: *Fides intentionem dirigit: ſed nullum bonum poteſt eſſe, quod non eſt ex intentione recta; ergo in Infidelibus nulla actio poteſt eſſe bona.* Reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quòd fides dirigit intentionem reſpectu finis ultimi ſupernaturalis: ſed lumen etiam naturalis rationis poteſt dirigere intentionem reſpectu alicujus boni connaturalis.*

XLIII. Dices tamen primò. Apoſtolus ad Rom. 14. v. 23. *Omne autem* (inquit) *quod non eſt ex fide, peccatum eſt:* ſed nullum opus Infidelis eſt ex fide; ergo omne opus Infidelis peccatum eſt.

Reſpondet D. Tho. loco laudato ex 2. 2. ad 1. *Quòd verbum illud eſt intelligendum, vel quia vita Infidelium non poteſt eſſe ſinè peccato; cùm peccata ſinè fide non tollantur. Vel quia quidquid agunt ex infidelitate, peccatum eſt: unde ibidem* (ex Auguſt. lib. 4. contra Jul. cap. 3.) *ſubditur:* quia omnis infideliter vivens, vel agens, vehementer peccat.

In *cap.* 14. *ad Rom.* lect. 3. duplici reſponſione exponit præfatum textum. Primùm: quòd ly *ex fide* non accipitur pro fide theologica, quæ eſt regula credendi, ſed pro conſcientia, quæ eſt regula agendi; ita ut ſenſus ſit: omne, quod non eſt ex fide, ideſt, ex dictamine conſcientiæ judicantis licere, peccatum eſt. Loquebatur enim de Judæis, vel aliis, qui cùm judicarent, quoſdam cibos ſibi eſſe illicitos, eos comedebant. Secundò: ſi accipiatur pro fide theologica, ly *non ex fide* debet accipi contrariè; ita ut ſenſus ſit: quòd eſt contra fidem, ſeu ex infidelitate, peccatum eſt. Ecce S. Thomæ verba: *Omne, quod eſt contra fidem, vel contra conſcientiam, peccatum eſt.* Priori modo textum Pauli ſumit Chryſoſt. *Homil.* 35. *in Epiſt. ad Roman.* dicens: *Hic fidem, non dogmatum, ſed propoſiti argumenti intelligit*, & cum eo alii Veteres, ac Recentiores. Poſteriori verò ſumit S. Auguſtinus cum aliis.

XLIV. Dices ſecundò. D. Auguſt. *l.* 4. *contra Julian. c.* 3. docet, fidem ad omne opus bonum deſiderari; ac ſubinde nullum opus ſinè fide eſſe bonum: ex quo infert, omnia opera Infidelium eſſe peccata, ac virtutes Philoſophorum non fuiſſe veras virtutes, ſed vitia.

Hæc Auguſtini teſtimonia, quibus ſe viciſſe gloriatur Janſenius, niſi & ab ipſo aliquâ benignâ interpretatione emolliantur, contra ipſum ſunt. Nam Auguſtinus loco citato exigit ad bonum opus, non qualemcumque fidem, ſed eam, quæ per dilectionem operatur: hæc autem non ſolùm in Infideli non eſt, ſed neque in fideli peccatore; ergo ſi verba Auguſtini ſunt in toto rigore accipienda, ad opus bonum requiretur influxus, non ſolius fidei, ſed etiam caritatis: quod tamen Janſenius fateri erubeſcet; ne in errorem Michaelis Baii à Tridentino, & S. Pio V. damnatum impingat.

XLV. Reſpondeo ergo advertendo, quòd S. Auguſtinus contra Julianum ſcribebat, qui unus ex præcipuis Pelagianis erat. Qui videlicet exiſtimabant, etiam Infideles per opera moraliter bona, & virtutes morales eximi ab omni vitio, & peccato; ac verè fieri poſſe juſtos, ac per hujuſmodi opera à damnatione æterna eximi. Quare S. Auguſtinus, ut iis ſeſe opponeret, docebat, ad omne opus bonum fidem deſiderari, nullumque opus ſinè fide eſſe bonum; nimirum; potens hominem juſtificare, à peccato mundare, & eximere à damnatione æterna: quæ veritas catholica eſt. Hinc infert, omnia opera Infidelium eſſe peccata, non quoad actum (niſi fortè ab iis fiant ex affectu ad infidelitatem, vel ex alio pravo fine) ſed quoad ſtatum; quia ſemper fiunt in ſtatu peccati, & ab homine ſimpliciter vitioſo. Dicit etiam, virtutes Philoſophorum non fuiſſe veras virtutes, ſed vitia: vel quia nil illos juvabant ad vitam æternam, cùm ſemper eſſent in ſtatu peccati: vel quia vix apud

apud Ethnicos invenitur aliqua vera virtus, vel aliquod opus ex objecto bonum, quod ab operante, aliquo pravo fine, vel circumſtantiâ non vitietur. Unde ait: *Ipſo non recto fine peccatum eſt*. Addi poteſt: S. Auguſtinum non dicere, ſingula opera ejus, qui ſinè fidei directione operatur, eſſe peccata; ſed totum corpus, ſive congeriem operum eſſe plenam nigredine peccatorum: quia pauca inveniuntur, quæ peccata non ſint. Et ideo l. de Spiritu, & litt. c. 27. *Si* (inquit) *diſcutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitia debitam laudem, defenſionemve mereantur*. Ubi non dicit, *nulla* eſſe, quæ debitam laudem mereantur, ſed ea eſſe *rara*.

DUBIUM V.

An, ut Homo lapſus poſſit facere Opus bonum Morale indigeat ſpeciali Gratia per Chriſtum: an verò ſufficiat Auxilium Ordinis Naturalis?

§. I.

Rejicitur opinio Vazquez, & Gregorii.

STabilito, hominem, ſive juſtum, ſive peccatorem, ſive etiam infidelem, poſſe aliquod bonum opus morale ordinis naturalis facere; ſupereſt modò examinandum: an poſſit aliquod ſaltem facere cum ſolo auxilio generali; an egeat auxilio ſpeciali: & hoc, an debeat eſſe ex meritis Chriſti.

I. Dico. Ut homo lapſus faciat opus bonum morale ordinis naturalis, non indiget gratiâ per Chriſtum, ſeu gratiâ theologicâ. Eſt contra Vazquez, & Gregorium de Arimino. Probatur primò. Gratia illa per Chriſtum, vel dat vires, ita ut ſinè illâ non poſſit, ut videtur velle Gregorius; vel ſolum dat actu agere, ita ut ſinè illâ poſſit quidem agere, ſed non aget opus bonum morale, ut ſentit Vazquez: ſed utrumque eſt falſum; ergo &c. Minor pro prima parte probatur. Tùm quia: Concilia Arauſicanum II. *Can. 7.* & Tridentinum *Seſſ. 6. Can. 1.* anathema dicunt ei, qui dixerit, per opera ſolis naturæ viribus facta poſſe juſtificari; ergo ſupponunt, in natura etiam lapſâ, adeſſe vires ad faciendum opus bonum morale. Tùm quia: ſi in libero arbitrio non ſunt vires ad faciendum aliquod bonum opus morale; jam liberum arbitrium ad bonum erit extinctum, & non valebit niſi ad pecandum: quorum primum damnavit Trident. *Seſſ. 6. Can. 5.* contra Lutherum; ſecundum autem S. Pius V. contra Bajum. Imò ſecluſo tali auxilio, eſſet æquè deſtitutus viribus, & impotens ad bonum opus morale ordinis naturalis, ac ad bonum opus ordinis ſupernaturalis: careret enim aliquo abſolutè neceſſario, & antecedente non ſolùm actum, ſed etiam poſſe, quod reipſa non haberet, nec poſſet à ſe habere, nec promereri. Nam ſi in ſua poteſtate eſſet, illud auxilium habere, vel promereri; maximè hoc poſſet per actum aliquem moraliter bonum: at neque hoc poſſet. Nam ad tale opus bonum, quo promeretur illud auxilium, vires non haberet, niſi mediante alio auxilio, & ſic in infinitum: vel ſi ad tale opus bonum non egeret auxilio, neque egeret ad alia, cùm omnia ſint ejuſdem ordinis.

II. Unde prob. ſecundò. Liberum arbitrium in homine lapſo non eſt extinctum ad bonnm, ſed ſolùm attenuatum, & infirmatum; ergo in eo remanſerunt vires aliquæ, ad faciendum aliquod opus bonum morale, etſi non omne. Eſtò enim homo æger non habeat vires ad ſe movendum, ſicut homo ſanus, niſi ab alio adjuvetur; habet tamen vires, ut ad aliquos paſſus ſeipſo ſe moveat; ergo cùm homo integer, & ſanus potuiſſet viribus ſuis omne opus moraliter bonum facere,

Digitized by Google

homo æger ſuis viribus poterit facere ſaltem aliquod. Ita diſcurrit S. Thomas hàc *qu.* 109. *a.* 2.

III. Secunda autem pars eâdem ratione probatur. Potentiæ enim habenti ex ſe vires ad aliquos actus, debitum eſt auxilium, ut aliquos ſaltem ex iis agat, etſi non omnes; ergo ſi, ut ſupponit Vazquez, aliquæ vires ad bonum in libero arbitrio remanſerunt poſt peccatum, debitum eſt illi, ut ad aliquod bonum aliquando moveatur: & ſic, quòd aliquam piam cogitationem, etiam practicam, de bono honeſto concipiat, puta, de colendis parentibus, de ſubveniendo indigenti, & quòd ſecundùm illam operetur; poterit interdum eſſe effectus concurſus generalis, & debiti naturæ, in qua rectæ rationis lumen non prorſus extinctum eſt.

IV. Nec obſtat, quòd peccatum originale mereri potuerit, ut homo bonis cogitationibus congruis, & quovis auxilio efficaci privaretur — Nam potuit etiam mereri, ut lumen rectæ rationis in eo prorſus extingueretur, & ut cæteræ corporis, animique dotes amitterentur. Cùm ergo, hoc non obſtante, peccatum hæc non demeruerit; nec proinde lumen rectæ rationis, nec aliæ naturales dotes ſint ex gratia Dei per Chriſtum: neque dicendum eſt, quòd omnis pia cogitatio, & bonum opus ex gratia per Chriſtum ſit.

V. Probatur ulteriùs. Ad ea tantùm opera requiritur gratia theologica, & per Chriſtum, quæ ordinantur ad vitam æternam, aut noſtram juſtificationem; cùm Chriſtus gratiam ſuam ad noſtram ſalutem ordinaverit: ſed opus moraliter bonum in ordine naturali non ordinatur, nec conducit ad noſtram ſalutem; ergo &c.

Min. probatur primò. Nam, ut Dub. præcedente dictum eſt, etiam in Infidelibus dantur opera moraliter bona, in quibus non conducunt ad juſtificationem, & ſalutem; cùm in eis non ſit fides, quæ eſt ſalutis, & juſtificationis initium. Secundò. Quia quidquid ad juſtificationem, & ſalutem conducit, debet cum ea proportionari, ſive per modum meriti, ſive impetrationis, ſive diſpoſitionis: at nullum opus morale ordinis naturalis hoc habet, niſi cum Pelagio ſentiamus; ergo &c.

VI. Dices primò. *Joann.* 15. *v.* 5. dicitur: *Sinè me nihil poteſtis facere.* 2. Cor. 3. v. 5. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Et 1. Cor. 4. v. 7. *Quid autem habes, quod non accepiſti?*

Sed hujuſmodi textus intelligendos eſſe de bonis ſalutaribus, & conducentibus ad juſtificationem, diximus ſupra, & concedere tenetur etiam Vazquez: alioquin tenebitur dicere, non ſolùm gratiam congruam, ſeu efficacem ad opus bonum morale, ſed etiam auxilium ſufficiens, & dans poſſe, eſſe donum Dei per Chriſtum; quod tamen ipſe negat, ſed ex præfatis textibus infertur. Concedere etiam tenebitur, quòd *liberum hominis arbitrium ſinè gratiâ, & Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valet.* Quòd *eum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex natura ſolis viribus, ortum ducat, agnoſcit.* Et quòd *Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus: & Chriſti gratia injuriam facit, qui ita ſentit, & docet.* Quæ tamen ſunt propoſitiones in Bajo damnatæ à S. Pio V. & Gregorio XIII.

Eodem modo reſpondetur ad id, quod objicit Vazquez ex Concilio Palæſtino, ubi inter cæteras propoſitiones, quas Pelagius coactus eſt retractare, hæc habetur: *& gratiam Dei, atque adjutorium non ad ſingulos actus dari.* Quod pariter damnatur in Concilio Arauſicano II. *Can.* 3. *&* 11. — Etenim ibi, & aliis in locis, quæ afferri poſſent, ſermo eſt de gratia ſalutari, & ad actus, prout oportet ad juſtificationem, quam Pelagius prorſus negabat, & Semipelagiani, ſaltem

ad

Digitized by Google

ad initium fidei, ut ſuperiùs dictum eſt.

VII. Dices ſecundò. S. Thomas Q. 24. *de Verit. a.* 14. dicit: *Si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur .... ſic nec ullum bonum homo poteſt facere ſinè gratiâ Dei.*

Reſpondeo, S. Thomam citatis verbis loqui de actu ad ſalutem ordinato; nam poſt ly *operatur*, ſubjungit: *Et exteriora ordinat ad hominis ſalutem.* Cæterùm ſuperiùs loquens de opere purè morali, & honeſto honeſtate naturali, dixerat: *Illud autem bonum, quod eſt naturæ humanæ proportionatum, poteſt homo per liberum arbitrium explere .... Quamvis autem hujuſmodi bona homo poſſit facere ſinè gratiâ gratum faciente; non tamen ea poteſt facere ſinè Deo: cùm nulla res poſſit in naturalem operationem exire, niſi virtute divina; quia cauſa ſecunda non agit, niſi per virtutem cauſæ primæ, ut dicitur in lib. de Cauſis. Et hoc verum eſt tàm in naturalibus agentibus, quàm in voluntariis.* At concurſus Dei neceſſarius ratione dependentiæ cauſæ ſecundæ à prima, generalis eſt; ergo &c. Nec refert, quòd hanc quandoque etiam gratiam appellet; gratiam, inquam, Dei generalis Conſervatoris, & Proviſoris: quia non noſtris meritis, ſed gratuitâ Dei bonitate donata eſt. Unde in 2 diſt. 28. q. 1. a. 1. ad 2. *Gratia* (inquit) *dupliciter dicitur. Uno modo donum gratuitum. Alio modo ipſe Deus gratis dans. Dona autem gratuita propriè dicuntur, quæ naturalibus ſuperaddita ſunt, ſinè quibus bonis homo multa bona facere poteſt, quamvis non meritoria. Nihil tamen boni poteſt facere ſinè gratiâ Dei, ſecundùm quòd intelligitur gratia ipſe Deus gratis dans: eo quòd ipſe eſt principium omnis boni, non tantùm in hominibus, ſed etiam in aliis creaturis.*

VIII. Dices tertiò. Eccleſia non pro quibuſdam tantùm, ſed pro ſingulis operibus bonis Deum orat, ejuſque gratiam poſtulat; & illis factis Deo gratias agit: ſed oratio, & gratiarum actio apud Auguſtinum eſt clariſſimum argumentum indigentiæ gratiæ divinæ; ergo &c.

Reſpondeo primò, Eccleſiam bona opera moralia à Deo poſtulare, non præcisè, ut ſiſtant in bonitate morali naturali, ſed ut nos ad ſalutem conducant; quare ſuas collectas concludit: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, ex cujus meritis gratiam ſibi dari poſtulat, ut ad ſalutem proſint.

Reſpondeo ſecundò, Eccleſiam adhuc orare poſſe Deum, ut nos faciat benè moraliter operari: quia licèt poſſimus aliquod opus bonum morale facere, ſinè ſpeciali gratiâ, non tamen ſingula, etiam diviſivè, ut dicemus, propter pericula, & laqueos, quibus humana vita plena eſt; adeo ut homo ſinè ſpeciali divino adjutorio evadere non poſſit, & ſuperare univerſa: propterea Deum oramus, ut honeſtè etiam in operibus moralibus operemur. Quamvis, ut ſuperiùs dictum eſt, orare poſſimus Deum etiam pro iis rebus, in quibus agendis gratiâ ſpeciali non egemus; quia ſemper egemus ipſo, ut adjutore, ſaltem tanquam primo movente, & Proviſore generali, quod auxilium non ſit ſimpliciter (præſertim hìc, & nunc) debitum, nec in poteſtate hominis poſitum. Qua ratione rogamus Deum etiam pro aeris tranquillitate, frugum abundantiâ, ſanitate &c. quæ tamen ex gratia ſpeciali, maximè per Chriſtum, non prodeunt.

IX. Dices quartò. Major, & fortior Dei concurſus requiritur ad actus bonos moraliter, quàm ad malos: ſed ad malos, ſecundùm ſubſtantiam ſpectatos, concurſus Dei ſolùm eſt generalis; ergo ad bonos erit ſpecialis.

Confirm. Homo per peccatum factus eſt diſtortus, ad inſtar tibiæ curvæ: atqui tibia curva, ſibi relicta, non poteſt non claudicare, ſi ambulet; ergo nec homo, ſibi relictus, poteſt rectè operari, niſi à Deo ſpecialiter rectificetur.

X.

X. Reſpondeo, neg. conſ. Quamvis enim ad actus moraliter bonos concurſus Dei non ſit gratia per Chriſtum, & ſpecialis; adhuc tamen aliter concurrit ad actus bonos, ac ad malos. Nam ad malos concurrit ſolùm quoad entitatem, non quoad malitiam actus, quam ſolùm permittit: ubi ad bonos, quoad utrumque concurrit, & auctor eſt non ſolius entitatis, ſed bonitatis. Ita S. Thom. in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. ad 3. *Deus* (inquit) *dicitur cauſa bonarum operationum, non ſolùm quantùm ad eſſentiam actus, ſed etiam quantùm ad perfectionem, ſecundùm quam bonæ dicuntur: utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut benè agat. Sed in malis actionibus quamvis ſit cauſa earum, quantùm ad eſſentiam, non tamen eſt cauſa quantùm ad defectum:* hoc enim reducitur in ſolam cauſam ſecundam deficientem.

XI Ad Confirm. nego conſ. Nam, ut ait D. Thom. Q. 24. de Verit. a. 12. ad 4. *Exemplum Auguſtini* (l. de Perfect. Juſtitiæ c. 2.) *de curvitate quantùm ad aliquid non eſt ſimile: quia ſcilicet non eſt in poteſtate tibiæ, ut utatur curvitate, vel non utatur: ideo oportet, omnem motum tibiæ curvæ claudicationem eſſe* (ſi nimirum ambulet) *Liberum autem arbitrium poteſt uti, vel non uti ſuâ curvitate: & ideo non oportet, quòd in omni actu ſuo peccet, ſed poteſt quandoque vitare peccatum. Eſt autem ſimile quantùm ad hoc, quòd non eſt poſſibile omnia vitare*. Et ad hunc finem eo exemplo utebatur S. Auguſt. contra Pelagianos, qui volebant, hominem ſinè gratiâ poſſe omnia peccata vitare. Addo: quòd ſi exemplum hoc in omnibus eſſet ſimile; ſequeretur, hominem peccatorem in omni actu ſuo peccare, quod ſuperiùs reprobavimus.

Hinc patet differentia inter hominem adhuc mortalem, & Dæmonem, aut Damnatos. Nam hi cum ſint in termino, ſunt jam in malo immobilitati, & obſtinati; quemadmodum è contra Beati ſunt immobilitati in bono: ac per conſequens ſemper illi ex prava, iſti ex bona voluntate operantur. Homines autem mortales, utpote in ſtatu viæ, neque habent voluntatem in malo obſtinatam, neque ſemper operantur ex prava voluntate.

§. II.

Reſolutio noſtra.

XII. Dico primò. Homo lapſus, cum ſolo concurſu generali Dei, poteſt aliquod bonum morale honeſtum facere. In hac aſſertione non intendimus, naturam humanam in quolibet ſuo individuo poſſe, cum ſolo concurſu generali, aliquod bonum opus morale facere, ſed naturam in aliquo individuo: ita ut concurſus ille ſit generalis, & debitus naturæ ad aliquod opus facile. Aſſertio ſic explicata prob. Attentâ conditione humanæ naturæ, ex vi Providentiæ generalis debetur ei, ut in aliquo ſuo individuo aliquando benè operetur; ergo auxilium, ad aliquando benè operandum, non eſt naturæ indebitum, ſed conforme ejus exigentiæ. Ant. prob. Natura humana in pluribus individuis habet potentiam expeditam, & facilem, ut in una, vel altera occaſione eliciat aliquos actus bonos, faciles, & quibus appetitus ſenſitivus parum, aut nihil repugnet: ſed ad providentiam generalem, quæ unicuique rei providet ſecundùm ejus naturam, & exigentiam, ſpectat, ut naturæ habenti expeditionem ad bonum, in aliquo ſuo individuo concurſum præſtet, ad aliquando tale bonum faciendum; ergo &c. Maj. prob. Inclinatio ad bonum honeſtum, eſtò per peccatum originale manſerit infirmata, non tamen manſit prorſus extincta; ergo manſit expedita ad aliquod bonum, ut per ſeipſam ad illud poſſit in aliquo individuo, & aliquâ circumſtantiâ: *Sicut* (inquit D. Thom. hâc q. 109. a. 2.) *homo infirmus poteſt per ſeipſum aliquem motum habere; non tamen*

men perfectè poteſt moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ.

XIII. Dico ſecundò. Quoties aliquod individuum naturæ humanæ benè operatur intra ordinem naturalem, fit illi gratia ſpecialis, præ alio non operante; quæ proinde poterat illi negari, illæſo debito naturæ. Probatur. Eſtò enim, ut diximus, naturæ in aliquo individuo debeatur concurſus ad aliquando benè operandum; non tamen debetur illi in hoc, vel illo individuo determinatè, nec in hac, vel illa occaſione: poterat enim ſatisfieri debito naturæ, ſi alteri individuo, vel in altera occaſione concederetur; ergo huic individuo, cui in hac occaſione conceditur, præ alio, fit ſpecialis gratia; ei enim negari poterat abſque læſione alicuius juris.

XIV. Dices tamen primò contra primam aſſertionem. Indifferenti ad has, vel illas cogitationes non eſt debitum, quòd res ita diſponantur, ut potiùs oriantur cogitationes congruæ, quàm incongruæ; ſed quòd potius oriantur congruæ eſt ſpecialis gratia: ſed homo eſt indifferens ad cogitationes congruas, & incongruas; ergo &c.

Confirm. Debito naturæ ſatisfit per hoc, quòd ita res diſponantur, ut oriantur cogitationes ſufficientes ad bonum: ſeu, quòd voluntas ſit in actu primo libera ad bonum; ergo quòd aliquando illi dentur cogitationes etiam congruæ, ſeu efficaces, non eſt debitum, ſed ſpecialis gratia.

XV. Reſpond. diſt. maj. Non eſt debitum, ut ſemper, & in omni ſuo individuo, con. maj. Aliquando, & in aliquo ſuo individuo, nego maj. & con. min. diſt. eodem modo conſ. Indifferentia ergo naturæ ad cogitationes congruas, & incongruas probat quidem, quòd non ſemper, & in omni ſuo individuo debeantur ei cogitationes congruæ; non verò, quòd aliquando, & in aliquo individuo non debeantur: monſtruoſum enim videretur, quòd naturæ indifferenti ad bonum, & malum, & habenti aliquam inclinationem ad bonum, ex vi providentiæ generalis ſemper, & in omni ſuo individuo deberetur cogitatio incongrua, & concurſus permiſſivus ad malum; & nunquam, & in nulla occaſione cogitatio congrua, & concurſus ad bonum.

Ad Confirm. nego ant. Imò ex quo naturæ in aliquo individuo, & occaſione ſit debita ſufficientia, & facilitas ad bonum, inferimus, illi aliquando, & in aliquo individuo debitum ei eſſe auxilium, & cogitatio congrua ad bonum.

XVI. Dices. Eſtò homini in ſtatu naturæ integræ deberetur cogitatio congrua ad bonum; per peccatum tamen homo meruit privari omni cogitatione congrua ad bonum; ergo de facto &c. Ant. prob. Quia homo per peccatum factus eſt indignus, ut etiam à Deo conſervetur; qui propterea acquiſivit jus ad illum puniendum, eum etiam reducendo in nihilum.

XVII. Reſpondetur, diſt. antecedens. Meruit quoad ſufficientiam, conc. antec. Quoad efficaciam, nego antec. Eſtò enim peccatum foret ſufficiens demeritum, ut Deus in pœnam hominem etiam annihilaret; tamen de facto noluit eum annihilare, ſed voluit eum in eſſe conſervare. Suppoſito ergo, quòd poſt peccatum hominem conſervare voluerit, & in eo liberum arbitrium cum virtute, indifferentia, & inclinatione ad bonum, licèt attenuatâ; tenetur, juxta ordinem ſuæ providentiæ generalis, ei conferre aliquando, & in aliquo individuo auxilium ad bonum ſuæ naturæ proportionatum: quod, licèt ex ſuppoſitione conſervationis eſſet gratioſum, abſolutè tamen illi non eſt indebitum: ſicut nec indebitum eſt, juxta Contrarios, auxilium ſufficiens ad bonum; nec in ſtatu naturæ integræ indebitum fuiſſet auxilium efficax, quamvis gratuitam creationem, & conſervationem ſupponeret. Et ratio eſt: quia ſuppoſita creatione, & conſer-

vatione rei, tenetur providere illi ſecundùm proportionem ſuæ naturæ.

XVIII. Dices adhuc. Ideo applicatio ad bonum honeſtum eſt debita naturæ humanæ, modo dicto, quia ex ſe habet inclinationem ad illud: ſed hæc ratio eſt nulla; ergo &c. Min. prob. primò. Homo exiſtens in gratia habet inclinationem, & potentiam expeditam ad aliquam operationem rectam ſupernaturalem: & tamen non eſt debitum illi, in ullo caſu, auxilium ad aliquod opus ſupernaturale, cùm illi concedatur ex ſpeciali gratia per Chriſtum; ergo à pari &c.

Secundò prob. min. Homo, ex vi providentiæ generalis ſupernaturalis, accipit potentiam expeditam ad ſalutem, aliàs illam conſequi non eſſet ei in culpam: & tamen auxilia efficacia, quibus homo pervenit ad ſalutem, non ſunt alicui debita; aliàs eſſet debita prædeſtinatio, & donum perſeverantiæ, cum quibus talia auxilia ſunt connexa; ergo &c.

XIX. Reſpondeo, neg min. Ad primam probat. diſt. min Et tamen non eſt debitum illi, abſolutè ſumto, co. min. Reduplicativè, ut eſt in gratia, & habet cætera dona gratiam comitantia, nego min. Cùm enim ad providentiam Dei ſpectet, ut quando concedit virtutem expeditam ad aliquam operationem, tribuit etiam auxilia ad eamdem operationem, ſaltem alicui, & aliquando; inde eſt, quòd homini exiſtenti in gratia, & habenti dona ſupernaturalia, convenit, ut Deus, ſaltem aliquando, det auxilium ſupernaturale ad illam actionem: quod auxilium eſt quidem gratioſum homini, in puris naturalibus conſiderato, non verò eidem, ut in ordine ſupernaturali conſtituto. Sicut eſt quidem gratioſum, quòd ſubditus elevetur à Rege ad aliquod munus, puta Proregis, ſive Ducis: ſuppoſitâ tamen tali elevatione, debitum eſt, ut Rex illi conferat ea, quæ ad tale munus rectè adminiſtrandum requiruntur. Ita in caſu. Unde illud auxilium erit quidem auxilium per Chriſtum, non tamen ſpecialis gratia per Chriſtum.

Ad ſecundam prob. min. dico, hominem, ex vi providentiæ generalis ſupernaturalis, habere quidem potentiam phyſicè expeditam ad ſalutem; non tamen expeditam tam phyſicè, quàm moraliter: ſicut neque ad implendam totam legem, vel ad perſeverandum finaliter. Ex potentia autem non expeditâ moraliter non infertur à nobis, debitum eſſe auxilium efficax; ſed ex potentia, etiam moraliter expeditâ, quam in aliquo caſu habere hominem ad opus honeſtum ordinis naturalis ſuſtinemus.

XX. Oppones contra ſecundam aſſertionem. Quod eſt debitum naturæ, eſt debitum omni individuo illius; ergo ſi eſt debitum naturæ humanæ auxilium efficax ad aliquod opus bonum morale, eſt illi debitum in omni individuo.

Reſpondeo. Maj. eſſe veram de eo, quod eſt debitum naturæ per modum prædicati quidditativi, & per ſe in primo, vel ſecundo modo, ſicut debitum eſt homini eſſe riſibile: non verò de eo, quod eſt debitum debito ſolius condecentiæ. Quod enim eſt hoc modo debitum naturæ, non eſt debitum omnibus; ſed ſatis eſt, quòd alicui vagè concedatur. Sic licèt naturæ humanæ ſit debita congrua ſtatura corporis, recta diſpoſitio partium, aliæque dotes ingenii &c. non tamen omnibus neceſſe eſt ea concedi, ſed ſolùm aliquibus. Ita in caſu noſtro.

Nec dicas. Potentia ad faciendum aliquod opus bonum debita eſt omnibus; ergo facere illud de facto debitum eſt omnibus, aliàs potentia illa videretur fruſtranea. — Nam reſpondeo, neg. conſ. Quia potentia ad bonum eſt debita debito fundato in prædicato quidditativo hominis, nempe, in indifferentia ad bonum, & ad malum, quæ eſt de eſſentia liberi arbitrii; non verò debito puræ condecentiæ, quale eſt de facto facere bonum.

Talis

Digitized by Google

Talis autem potentia, ne ſit fruſtranea, ſufficit, ut in aliquo individuo reducatur ad actum.

DUBIUM VI.

An Homo lapſus poſſit ſinè Speciali Gratiâ Deum ſuper omnia diligere?

§. I.

Aliqua Praenotantur.

I. Deus conſiderari poteſt, vel ut auctor naturæ, vel ut auctor gratiæ. Priori modo conſideratus, eſt auctor, & largitor bonorum, quæ creaturæ in ſuo eſſe naturali ſumtæ conveniunt. Poſteriori autem modo conſideratus, eſt auctor, & largitor bonorum, quæ creaturam promovent ad finem, qui illius naturam excedit. Quia verò Deus amari poteſt, & ut auctor naturæ, quatenus nobis contulit bona naturalia; & quatenus auctor gratiæ, ut ſcilicet bonis excedentibus naturam nos cumulat: ideo datur locus diſtinguendi duplicem amorem erga Deum, unum naturalem, alterum ſupernaturalem. Amor naturalis regulatur lumine rationis naturalis: ex quo enim homo lumine rationis cognoſcit Deum Creatorem, Conſervatorem, Proviſorem &c. movetur ad eum amandum. Amor verò ſupernaturalis regulatur lumine fidei: quia, ex quo per fidem homo cognoſcit Deum Redemtorem, & Glorificatorem, movetur ad eum amandum. Scio, Bajum hanc diſtinctionem amoris in naturalem, & ſupernaturalem rejicere; ait enim: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut Beatificator, vana, & commentitia, & ad illudendum Sacris Litteris, & plurimis Veterum teſtimoniis excogitata.* Item: *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola philoſophia, per elationem præſumtionis humanæ, cum injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.* Quæ tamen propoſitiones à S. Pio V. proſcriptæ leguntur *num.* 24. & 25.

II. Certiſſimum eſt, quòd homo lapſus, ſinè ſpeciali gratiâ ſupernaturali, non poteſt Deum auctorem gratiæ, & donorum ſupernaturalium diligere: hoc enim ſtatutum eſt in pluribus Conciliis contra Pelagianos; & noviſſimè in Tridentino *Seſſ.* 6. *Can.* 3. Controverſia ſolùm eſt: an homo lapſus, ut diligat Deum auctorem naturæ, egeat ſpeciali gratiâ.

III. Noto: quòd dupliciter poſſumus amare Deum; vel amore efficaci, vel inefficaci. Amamus Deum amore ſolùm inefficaci, quando velleitate quâdam complacemus in bonitate divina; non tamen quærimus media, ut Deo placeamus: & ad hunc amorem habendum, certum eſt, nos non indigere ſpeciali gratiâ; talis enim actus eſt facilis, & nullam difficultatem involvens. Quis enim eſt tàm duro corde, ut ſibi propoſitâ divinâ bonitate, non excitet in ſe complacentiam, & amorem inefficacem erga illam. Tunc verò amamus Deum amore efficaci, & ſuper omnia, quando vel amamus Deum, ipſum ſuper omnia appretiando; itaut Deo omnia, ac nos ipſos ſubordinemus, plus diligamus ipſum; quàm cætera, & propter ipſum parati ſimus omnia abdicare: vel intenſivè, quando Deum amamus ferventiùs, quàm quidquam aliud.

IV. Porro: cùm, ut dicebamus, amor Dei ſuper omnia, alius ſit naturalis, aliùs ſupernaturalis, ly *ſuper omnia* non æqualiter accipiendum eſt in uno amore, ſicut in altero; ſed cum proportione: itaut in amore naturali intelligatur, *ſuper omnia*, quæ continentur in ordine naturali; & in amore ſupernaturali intelligantur *omnia* abſolutè, cujuſcumque ſint ordinis, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis. Ratio primi eſt: quia amor Dei ſuper omnia naturalis, ſecundùm ſe conſi-

Digitized by Google

conſideratus, includit voluntatem ſervandi omnia mandata, non ſimpliciter, ſed naturalis ordinis, & vitandi omnia peccata his præceptis contraria; quia hæc ſola naturali lumine apprehendi poſſunt. At amor Dei ſuper omnia ſupernaturalis includit voluntatem ſervandi omnia præcepta ſimpliciter, etiam illa, quæ ſunt ſupernaturalia: ſupponit enim cognitionem omnium, & eorum, quæ ſunt ordinis naturalis, & eorum etiam, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis. Unde dilectio, quæ eſt Dei ſolùm, ut auctoris bonorum naturalium, non eſt ſuper omnia ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, nempe, ſuper omnia naturalia: amor autem, qui eſt Dei, etiam ut auctoris bonorum ſupernaturalium, eſt ſuper omnia ſimpliciter, quia includit omnia cujuſcumque ordinis.

V. Præterea: amor Dei ſuper omnia, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, poteſt eſſe efficax, vel ſolùm affectivè, vel etiam effectivè. Eſt efficax ſolùm affectivè, quando licèt in affectu omnia Deo ſubjiciat, non tamen in effectu, puta, quia parum durat. Eſt verò efficax etiam in effectu, quando non ſolum in affectu, ſed cùm perſeveret, in effectu etiam omnia Deo ſubjieit, totam legem implet &c.

VI. Diſtinguendus eſt etiam duplex amor, qui ſit bonus. Unus amicitiæ, alius concupiſcentiæ. Amicitiâ illum amamus, cui bonum aliquod adeſſe optamus, vel ei gratulamur. Concupiſcentiâ verò amamus bonum illud, quod nobis ineſſe, vel optamus, vel gaudemus. Atque hoc etiam amore, & non ſolùm amore amicitiæ contingit, Deum à nobis amari ſuper omnia; partim quia Deus eſt majus bonum noſtrum, quàm quodvis aliud, quantumcumque nobis intrinſecum: partim quia homo amat ſibi Deum, tanquam ſuum ultimum finem, quo modo nec ſe, nec ullum aliud bonum amat.

Nec refert, quòd illo amore homo Deum ſibi, & propter ſeipſum diligat; unde ſequi videtur, quòd magis ſeipſum diligat, quàm Deum. Nam licèt ſibi ipſi tanquam ſubjecto, ac etiam propter ſeipſum, hoc eſt, propter ſuam perfectionem, Deum diligat; non tamen propter ſeipſum tanquam finem Deum diligit: ſed ipſum Deum tanquam ſuum ultimum finem amat, quem cupit adipiſci, & quo deſiderat frui; unde & ſeipſum etiam in Deum ordinat tanquam in ſuum finem ultimum.

VII. Hìc ergo generaliter quærimus: an homo lapſus poſſit ſinè ſpeciali gratiâ Deum,ut auctorem naturæ,ſuper omnia diligere. Quâ in re Scotus cum ſuis vult, hominem lapſum poſſe cum ſolo auxilio generali facere aliquem actum dilectionis Dei ſuper omnia, amore benevolentiæ, & efficaci, non quidem effectivo, ſed affectivo, ſaltem ad breve tempus; quod concedunt etiam homini in ſtatu naturæ puræ. Alii id quidem negant homini lapſo, concedunt tamen ei, ſi in puris naturalibus fuiſſet conditus. Ita Alvarez, Sylvius &c. Alii in utroque ſtatu auxilium ſpeciale requirunt; quod tamen in ſtatu puræ naturæ eſſet ordinis naturalis, in ſtatu verò lapſus, debeat eſſe etiam auxilium ordinis ſupernaturalis: non tanquam principium eliciens actum, ſed tanquam removens impedimentum peccati, quo manente, Deus ſuper omnia diligi non poteſt. Quod autem nos ſentiamus, ſequentibus aperiemus

§. II.

Auxilium neceſſarium in Statu Naturæ Integræ, & Puræ.

VIII. Dico primò. In ſtatu naturæ integræ poterat homo ſuæ naturæ viribus, abſque ſpeciali auxilio, diligere Deum auctorem naturæ ſuper omnia, cum ſolo auxilio Dei moventis. Ita expreſsè S. Thom. hoc *a.* 3. dicens: *Homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum natu-*

naturaliter ſuper omnia , licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis. Et probat. Nam in ſtatu naturæ integræ homo, virtute ſuæ naturæ, poterat operari omne bonum ſibi connaturale: atqui Deum, ut auctorem naturæ, ſuper omnia diligere eſt bonum homini connaturale; quia cum pars naturaliter ſit propter totum, naturaliter vult ſuum eſſe, & ſuum bonum proprium propter bonum totius: ſed bonum commune totius Univerſi eſt Deus; ergo naturaliter vult ſe, ac ſuum bonum proprium propter Deum, tanquam ſuum auctorem, & ultimum finem. Et hoc convenit unicuique creaturæ, proportionaliter tamen ad modum ſibi convenientem; &, ut ait S. Doct. *ſecundùm modum amoris, qui unicuique creaturæ competere poteſt*. Hoc eſt: vel amore intellectuali, ſicut Angelus diligit, vel rationali, ſicut homo, vel animali, ſicut bruta, vel naturali ſicut lapides, & alia inſenſibilia, quemadmodum explicat D. Thom. *Quolib.* 1. *a.* 8. & 2. 2. *q.* 26. *a.* 3.

IX. Confir. Homo in ſtatu naturæ integræ nullum habebat obicem, quo impediretur, ſeipſum, & omnia referre in Deum, auctorem naturæ: pars enim ſuperior erat ſubjecta Deo, & pars inferior erat perfectè ſubjecta rationi; ergo habebat vires expeditas, ut ſolo auxilio generali Dei moventis poſſet naturali amore Deum ſuper omnia diligere; quemadmodum lapis naturali pondere, ſi non impediatur, tendit in centrum.

X. Dico ſecundò. Homo ſi fuiſſet conditus in ſtatu puræ naturæ, probabile eſt, potuiſſe diligere Deum auctorem naturæ ſuper omnia, dilectione efficaci affectivè, ſaltem ad breve tempus, cum ſolo concurſu generali. Videtur conformior menti S. Thomæ, tùm *Quolib.* 1. *a.* 8. ubi eodem modo loquitur de homine integro, ac de homine in puris naturalibus condito; quia ſic diligere Deum, eſt bonum connaturale homini: *Naturale enim eſt, ut qualibet pars ſuo modo plus amet totum, quàm ſeipſam*; ergo hæc inclinatio debebat, ſaltem aliquando, eſſe expedita tàm phyſicè, quàm moraliter, ut per ſeipſam, cum ſolo concurſu generali Dei moventis, poſſet in actum dilectionis Dei exire.

XI. Confirmo hoc. Tota ratio, quare D. Thom. hoc *a.* 3. requirit in homine, pro præſenti ſtatu, gratiam ſpecialem ad diligendum Deum auctorem naturæ ſuper omnia, eſt appetitus voluntatis rationalis, quæ, propter corruptionem naturæ, ſequitur bonum privatum; ſed in ſtatu puræ naturæ natura non fuiſſet per peccatum corrupta; ergo voluntas hominis non ita ſequeretur bonum privatum, quin, ſaltem aliquando, propriis viribus poſſet bonum totius, quod eſt Deus, pluſquàm ſeipſam diligere.

XII. Dixi: *aliquando*, ſcilicet, ſaltem ab initio uſus rationis. Licèt enim pro illo ſtatu fuiſſet rebellio appetitus ut oſtendimus *Tom. 6. in* 1 *p. Quæſt.* 11. *Dub.* 2. §. 2. credibile tamen non eſt, quòd homo conſtitutus in naturali rectitudine, ſtatim impedimentum experturus fuiſſet ab appetitu, ne poſſet in actum dilectionis naturalis viribus ſibi inditis prorumpere. Quamvis enim ea rectitudo non potuiſſet, abſque ſpeciali auxilio naturali, eſſe ita firma, quin aliquando motus aliqui paſſionum circa, vel contra præſcriptum rationis orirentur; non eſt tamen veriſimile, quòd in natura ab initio, & origine non vitiatâ ſtatim fuiſſent exorti.

§. III.

Auxilium neceſſarium in ſtatu Naturæ Corruptæ.

XIII. Dico. In ſtatu naturæ corruptæ nemo poteſt ſolis naturæ viribus, & cum ſolo auxilio generali Deum auctorem naturæ dilectione efficaci, tàm affectivè, quàm effectivè ſuper omnia diligere. Probo primò ex D. Aug. *Epiſt.* 107. modò

217.

217. *ad Vitalem c.* 4. dicente: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Ubi non dicit, quòd perdidimus liberum arbitrium ad diligendum Deum auctorem gratiæ; ſed abſolutè, & abſque ulla reſtrictione, & per conſequens etiam ad diligendum Deum auctorem naturæ: ſicut quia non perdidimus vires ad cognoſcendum Deum auctorem naturæ, nemo ſapiens diceret, quòd perdidimus vires ad cognoſcendum Deum.

XIV. Probatur etiam ex Concilio Milevitano *Can.* 4. ſic dicente: *Utrumque donum Dei eſt, & ſcire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus;* Ergo ea diligere, quæ ad Decalogum pertinent, donum Dei eſt. Hæc etiam habet Arauſicanum II. Can. 25. *Prorſus Dei donum eſt, diligere Deum.* Eſtò autem ille Canon ſtatuatur contra Pelagianos, & Semipelagianos; illa tamen particula *prorſus* ſignificat, Concilium loqui abſque ulla reſtrictione, cùm ſit terminus indefinitus, ac proinde univerſalis: ac per conſequens vult, omnem Dei amorem ſuper omnia, ſive perfectum, & ſupernaturalem, ſive inchoatum, & imperfectum, donum Dei eſſe: maximè quia in ſubſequentibus dicit: *Non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur: ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui priùs inſpirat, ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus.*

XV. Hoc idem docet S. Thom. hoc *art.* 3. dicens: *Homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia, licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis. Sed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo, etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam ſanantis.* Et rationem paulò ante aſſignaverat: ex eo quòd voluntas hominis lapſi, & exiſtentis in peccato, ſive originali, ſive perſonali, eſt veluti recurva, & ad bonum privatum, ac proprium, quod eſt ultimus finis peccatoris, converſa: unde, niſi ſanetur, & veluti erigatur per gratiam, non poteſt ſui, & omnium aliorum dilectionem in Deum referre, ipſumque tanquam bonum proprium, & ultimum finem diligere; cùm hoc ſit contra inclinationem curvam, & deviam.

XVI. Probatur Concluſio primò ſic. Dilectio Dei ſuper omnia appretiativa, & efficax eſt actus omnium præſtantiſſimus, quem natura ſana, & integra poſſit elicere: ſed natura infirma, licèt ſinè adjutorio alterius poſſit aliquod opus efficere, non tamen præſtantiſſimam operationem, quam poteſt facere natura ſana; ergo lapſus ſinè gratiâ &c. Min. patet. Maj. prob. Dilectio Dei auctoris naturalis efficax, & ſuper omnia, teſtimonio Chriſti, Matth. 22. v. 38. *Eſt maximum, & primum mandatum*, includens virtute, & ſaltem in affectu, omnium mandatorum legis obſervantiam, juxta illud Joann. 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* v. 21. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Et v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Unde Baſilius lib. de Inſt. Monachorum c. 2. *Mandatum iſtud* (inquit) *unum quidem videtur; ſed omnium mandatorum in ſe virtutem complectitur.* Tùm etiam: quia actus efficacis dilectionis Dei auctoris ſupernaturalis virtualiter continet obſervantiam omnium mandatorum ſupernaturalium; ergo &c. Tunc ſic; ſed actus virtute continens obſervantiam totius legis eſt actus præſtantiſſimus, & difficillimus; ergo &c.

XVII. Confirmatur. Quoties eſt impoſſibilis executio alicujus operis, eſt etiam impoſſibilis voluntas, & propoſitum efficax illud exequendi: ſed viribus naturæ lapſæ eſt impoſſibilis obſervantia totius legis naturalis, cujus propoſitum efficax includit efficax dilectio Dei auctoris naturæ ſuper omnia; ergo &c. Min. ex dicendis conſtabit

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Reſpondere ſolent Contrarii, quòd ex his colligitur quidem, hominem lapſum non poſſe abſque ſpeciali gratiâ dilectionem Dei diuturnam, ac per totam vitam elicere, utpote inducentem effectivam omnium mandatorum obſervantiam: non tamen id non poſſe per aliquod breve tempus, utpote includentem ſolùm affectivam omnium mandatorum obſervantiam, ſeu ſolum in affectu, non in effectu. Eo vel maximè, quia fieri poteſt, ut pro illo parvo tempore nulla inſurgat tentatio gravis, aut nullum præceptum difficile obliget.

XIX. Sed contra. Homo lapſus abſque ſpeciali auxilio non poteſt cum effectu obſervare omnia præcepta naturalia, nec vincere omnes tentationes graves; ergo nec poteſt etiam per breve tempus habere efficax propoſitum ea omnia obſervandi, & tentationes vincendi. Conſequ. probatur. Quoties executio alicujus rei eſt impoſſibilis, etiam propoſitum efficax ponendi illud, licèt pro parvo tempore, eſt impoſſibile. Sic quia impoſſibile eſt homini portare pondus centum modiorum, aut numerare arenas, quæ ſunt in mari; impoſſibile cenſetur etiam propoſitum efficax ea exequendi. Et ratio eſt: quia cui ſunt impoſſibilia media, quibus finis in executione habendus eſt, & quorum electio in intentione efficaci finis includi debet; cenſetur impoſſibilis etiam intentio efficax, quia ille actus voluntatis eſt efficax, qui infert executionem mediorum. Ut tamen præveniatur reſponſio, quæ dari ſolet, nempe, id verum eſſe de eo, quod eſt impoſſibile phyſicè, non de eo, quod eſt impoſſibile ſolùm moraliter: ideo ſic

XX. Confirmatur. De objecto moraliter impoſſibili eſt impoſſibilis etiam moraliter affectus, ſeu propoſitum efficax: at in dilectione efficaci Dei auctoris naturæ implicitè clauditur propoſitum efficax obſervandi totam legem perſeveranter, & per longum tempus, quod viribus hominis lapſi eſt moraliter impoſſibile; ergo &c. Min. prob. Eodem enim modo proportionaliter diſcurrendum eſt de hac dilectione naturali efficaci Dei, ac de dilectione efficaci ſupernaturali per caritatem: ſed hæc implicitè claudit efficax propoſitum obſervandi omnia mandata etiam ſupernaturalia, non pro determinato tempore tantùm, ſed pro tota vita; quia de ratione ejus eſt, in affectu nunquam deficere ab amicitia Dei, & nunquam peccare: unde hoc propoſitum requiritur etiam, ut quis debitè diſponatur ad juſtificationem; ergo &c.

Quapropter eſtò tentationes, & impedimenta ad actum dilectionis Dei non ſemper occurrant ſubjectivè, quando fit ille actus; ſemper tamen occurrunt objectivè: quia dilectio Dei efficax ſuper omnia firmare debet affectum ſuperandi omnes tentationes, & impedimenta, quæ obſtare poſſunt obſervantiæ totius legis; ergo ſi homo lapſus non poteſt per longum tempus legem implere, & omnes tentationes, ac impedimenta ſuperare, quæ actui dilectionis Dei obſtare poſſunt, abſque auxilio gratiæ; neque poterit ſinè illo, adhuc per breve tempus, actum dilectionis Dei efficacem elicere.

XXI. Probatur ulteriùs. Homo ille, qui ſuis naturæ viribus Deum auctorem naturæ ſuper omnia diligeret, mori poſſet etiam, antequam fidem fuiſſet edoctus, & initiatus Baptiſmate: in eo autem caſu, vel damnaretur, vel ſalvaretur. Si damnaretur; dicendum eſſet, quòd homo, qui Deum ut auctorem naturæ ſuper omnia diligeret, & qui in ea voluntate per totam æternitatem permanſurus eſſet, damnandus eſſet: & falſum eſſet, quod dicit Sapientia, Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Et Chriſtus, Lucæ 10. v. 28. *Hoc fac, & vives.* Si verò ſalvaretur; dicendum eſſet, hominem ſinè gratiâ, ſinè fide propriis viribus poſſe ſalvari, quod pluſquàm Pelagianum eſt.

XXII. Roboratur hoc. De præceptis

ptis legis naturæ loquebatur Chriſtus, cùm, *Matth.* 19. *v.* 17. dicebat: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; ergo is, qui omnia legis naturæ mandata ſervaret, haberet vitam æternam, de qua ibi eſt ſermo. At is, qui diligit Deum, ut naturæ auctorem, ſimpliciter, & abſolutè ſuper omnia, ad minimum omnia legis naturæ præcepta obſervat; partim actu, & re ipsâ, quantùm ad ea, quæ tunc occurrunt; partim in voto, ſeu propoſito, quantùm ad reliqua; ergo ſi ſic moreretur, intraret ad vitam æternam: at nemo poteſt ad illam vitam ingredi per ſolas naturæ vires; ergo nec per eas ſolas talem dilectionem habere poteſt.

XXIII. Dices tamen primò contra hanc rationem. D. Tho. 1. *p. q.* 60. *a.* 5. *ad* 5. concedit in Dæmonibus, qui tamen ſunt damnati, dilectionem naturalem Dei; quam in 2. *diſt.* 33. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 5. concedit etiam pueris in limbo exiſtentibus: in his autem non eſt ſpecialis gratia. Et rurſus: non eſt abſurdum, quòd, qui diligit Deum dilectione naturali, damnetur.

XXIV. Reſpondeo, D. Thomam non admittere in Dæmonibus dilectionem Dei auctoris naturæ, quæ ſit electiva, & appretiativa; quæ liberè Deum ſuper omnia diligat, ac omnia ad ipſum, ut ultimum finem, referat, de qua loquimur in præſenti: ſed dilectionem quamdam naturalem, quâ quælibet pars tenetur diligere totum, eo modo, quo diligit ſe ipſam; quæ dilectio eſt quaſi proprietas naturæ, naturaliter ab ejus ſubſtantia effluens, ſicut motus cordis à natura animalis; ut diximus *Tom.* 5. *in* 1. *p. Tract. de Angelis q.* 6. *Dub.* 2. *§.* 3. *num.* 26. Idem dico de parvulis in limbo exiſtentibus: Deum enim diligunt amore quodam naturali, & inefficaci, qui eſt amor concupiſcentię. Cum enim naturaliter diligant ſeipſos, naturaliter tenentur diligere etiam Deum, ſinè quo nequit eorum eſſe ſuſtentari, & conſervari: non verò amore libero, electivo, caſto, & amicitiæ, quo Deus diligitur, ut amicus, ut univerſalis Legiſlator, & omnia referuntur ad ipſum, ut ad ultimum finem. Et ad hunc amorem, non ad primum, requiritur ſpecialis gratia: & qui cum eo moritur, damnari non poſſe dicimus.

XXV. Dices ſecundò. Falſum eſt, quòd non poſſit dari intentio efficax de eo, cujus executio eſt impoſſibilis; ergo &c. Ant. prob. primò. Licèt Sacerdos non poſſit virtute propria conſecrare, vel abſolvere à peccatis; poteſt tamen propriis viribus velle conſecrare, & abſolvere. Secundò. Licèt ad actu perſeverandum uſque ad mortem requiratur ſpeciale auxilium; poteſt tamen homo cum auxiliis ordinariis divinæ gratiæ habere propoſitum efficax perſeverandi in obſervantia legis uſque ad mortem; ergo &c.

XXVI. Reſpondeo, neg. antec. ad primam probat. dico, quòd in conſecratione Hoſtiæ, & abſolutione Sacramentali eſt naturalis prolatio verborum, & eſt elevatio verborum ad effectum ſupernaturalem: de primo habet Sacerdos virtute propria propoſitum efficax, non de ſecundo. Quare exemplum eſt pro nobis potius, quàm contra nos.

Ad ſecundam prob. conc. antec. nego conſeq. Nam licèt ad actu perſeverandum requiratur ſpeciale donum ab auxiliis communibus diſtinctum., non tamen ad poſſe perſeverare; hoc enim cum auxiliis ordinariis gratiæ poteſt homo: unde cum iſtis perſeverantia eſt ei poſſibilis, & proinde poteſt eam efficaciter intendere. Ad obſervantiam autem totius legis naturalis, quæ includitur in dilectione Dei ſuper omnia, vires homo lapſus non habet; & proinde eam efficaciter intendere non poteſt, niſi gratiâ Dei adjuvetur.

XXVII. Dices tertiò. Poteſt aliquis, ex ſolis naturæ viribus, tantum diligere patriam, falſos Deos, parentes &c. ut pro eis vitam ſuam profundat; ergo à

go à fortiori pro Deo, qui ſummè amabilis eſt. Antec. probatur. Nam, ut habetur Joan. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

XXVIII. Reſpondeo, varias eſſe rationes diſcriminis. Prima: quia qui pro Patria, pro falſis Diis, pro parentibus, pro falſa fide morti ſe tradiderunt, ſeipſos quæſierunt, ut conſequerentur famam, vel gloriam, ſicque non dilexerunt prædicta pluſquam ſeipſos: & ideo inferri non poteſt, poſſe diligi Deum pluſquam ſeipſum ab homine lapſo.

Secunda eſt: quòd Deus, utpote magis elevatus ſupra ſenſibilia, minùs, & inefficaciùs nos movet, quàm motiva terrena ſupradicta: & ideo etſi ſit maximè diligibilis, plus requiritur, ut ipſum diligamus, quàm illa. Hanc rationem Patres Arauſicani II. *Can.* 25. tradiderunt. Natura enim corrupta pondere ſuæ pravæ inclinationis ita fertur in bonum ſenſibile, aut in bonum privatum ſuum; ut, niſi per gratiam erigatur, nequeat aſſurgere ſurſum. Et ſicut oculi vitiati minùs valent ad intuendam lucem Solis, quàm ad videndum lumen candelæ, etiamſi lumen Solis ſecundùm ſe ſit magis viſibile; & noſter intellectus minùs intelligit res ſpirituales, tametſi magis intelligibiles, quàm res corporales, & ſenſibiles: ita voluntas humana, quoniam depravata, & converſa ad bonum ſenſibile, ac privatum, infirmior eſt ad amandum Deum, qui eſt maximè amabilis, & pronior ad diligendas creaturas, etſi longè minùs amabiles.

Tertia eſt: quòd dilectio temporalium non petit, ut deponatur affectus ad peccatum, ſicut requirit dilectio efficax Dei ſuper omnia: & ideo plus requirit iſta, quàm illa.

XXIX. Doctrinam hanc tradidit S. Auguſtin. *lib. de Patientia cap.* 17. his verbis: *Qui hac dicunt, non intelligunt, & quemque iniquorum tantò eſſe ad quacumque mala perferenda duriorem, quantò in eo major eſt cupiditas mundi; & quemque Juſtorum tantò eſſe ad quacumque mala perferenda fortiorem, quantò in eo major eſt caritas Dei.* Et infra: *Quantò ergo major eſt in Sanctis caritas Dei, tantò magis pro eo, quòd diligitur; & quantò major eſt in peccatoribus cupiditas mundi, tantò magis pro eo, quod concupiſcitur, omnia tolerantur.* Unde concludit: *Et ideo illi falſa patientia poteſt, ſinè adjutorio Dei, voluntas humana ſufficere; tantò durior, quantò cupidior, & eò tolerabiliùs mala ſuſtinens, quò ipſa ſit pejor: huic autem, quæ vera patientia eſt, ideo voluntas humana, niſi deſuper adjuta, & inflammata, non ſufficit; quia Spiritus Sanctus eſt ignis ejus, quo niſi accenſa diligat impaſſibile bonum, ferre non poteſt, quod patitur malum.*

XXX. Dices quartò. Intellectus viribus propriis poteſt cognoſcere, Deum auctorem naturæ eſſe ſuper omnia diligendum; ergo & voluntas, quæ ſequitur dictamen rationis, poterit ad eum diligendum viribus propriis accendi.

XXXI. Reſpondeo, diſt. ant. Cognitione ſpeculativâ, con. ant. Practicâ, nego ant. Eſtò igitur intellectus noſter viribus propriis poſſit cognitionem quaſi ſpeculativam habere hujus veritatis; *Deus eſt ſuper omnia diligendus:* non tamen habere poteſt judicium practicum, & prudentiale, quo judicet, ac imperet voluntati, Deum hìc, & nunc eſſe ſuper omnia diligendum, niſi viribus gratiæ adjuvetur: quia hujuſmodi judicium practicum plures difficultates involuit, ut ſupra diximus, quæ ab intellectu practico hominis lapſi magis infirmato in ordine ad proſecutionem boni, quàm ſpeculativo in ordine ad cognitionem veri, propriis viribus ſuperari non poſſunt.

Hinc quamvis viribus propriis poſſit Deum auctorem naturæ cognoſcere; non poteſt tamen eum ut talem diligere: quia, ut docet D. Thom. hìc q. 109. a. 2. ad 3. *Magis eſt natura hu-*

humana corrupta per peccatum quantùm ad appetitum boni, quàm quantùm ad cognitionem veri. Unde etſi in ea aliqua inclinatio ad bonum univerſale adhuc perſeveret; in praxi tamen prævalet inclinatio ad bonum privatum, ad quod per peccatum fuit converſa. Quare niſi per gratiam erigatur, non poteſt ad illud efficaci tendere voluntate.

§. IV.

An tale Auxilium ſit Naturalis ordinis, an verò Supernaturale?

XXXII. Dico. Ad diligendum Deum auctorem naturæ efficaciter, & ſuper omnia; per ſe loquendo, & quantùm eſt ex parte objecti, ſolùm requiritur auxilium ſpeciale ordinis naturalis: at ſuppoſito, quòd homo ſit elevatus ad ordinem ſupernaturalem, ſi in peccato exiſtat, per accidens, & concomitanter, requiritur auxilium ſupernaturale, imò & gratia ſanctificans.

Explicatur hæc ſecunda pars. Homo exiſtens in peccato mortali, per peccatum impeditur, ne poſſit elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia, etiam ut auctoris naturæ; eſt ergo neceſſe, ut per aliquem actum priùs ſe diſponat ad gratiam ſanctificantem, quæ formaliter expellit peccatum. Cùm autem non poſſit ſe diſponere ad gratiam, & expulſionem peccati per actum merè naturalem, neceſſe eſt, ut hoc faciat per actum ſupernaturalem: & conſequenter, ut per auxilium ſpeciale ordinis ſupernaturalis fiat expeditus ad diligendum Deum auctorem naturæ. Concluſio igitur ſic explicata duas habet partes.

XXXIII. Prior pars prob. Dilectio Dei, ut auctoris naturæ, eſt actus entitativè, & ex parte objecti merè naturalis; ergo per ſe, & ex præciſa ratione objecti, non requirit niſi auxilium ſpeciale naturalis ordinis: aliàs ſi per ſe ad ſui elicientiam exigeret auxilium ſupernaturale, actus ille non eſſet naturalis, ſed ſupernaturalis.

Confirmatur. Inter propoſitiones Baii à S. Pio V. & Gregorio XIII. proſcriptas trigeſima quarta hæc eſt: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris Litteris, & plurimis Veterum teſtimoniis excogitata:* Sed ſi ad omnem actum dilectionis Dei requiritur per ſe auxilium ſupernaturale, jam vana redditur diſtinctio amoris in naturalem, & ſupernaturalem; ergo &c.

XXXIV. Secundò eadem pars probatur. Etiam ſuppoſitâ elevatione hominis ad ordinem ſupernaturalem, datur locus amori, quo Deum diligat amore naturali, ut auctorem naturæ, diſtincto ab eo, quo eum diligit, ut auctorem gratiæ, & gloriæ. Nam Angeli fuerunt elevati ad ordinem ſupernaturalem: & tamen D. Thom. 1. *p. q.* 62. *a.* 7. diſtinguit in eis etiam, ut beatis, duplicem amorem, unum naturalem, alterum ſupernaturalem.

XXXV. Poſterior pars probatur. Suppoſitâ elevatione hominis ad ordinem ſupernaturalem, nequit converti ad Deum auctorem naturæ ſuper omnia, quamdiu manet averſus à Deo auctore gratiæ: ſed homo in peccato mortali exiſtens, eſt averſus à Deo auctore gratiæ; ergo quamdiu non tollitur iſta averſio non poteſt Deum auctorem naturæ ſuper omnia diligere: ſed hæc averſio, non poteſt tolli, niſi per auxilium ſupernaturale; ergo &c. Maj. videtur certa. Nam reſpectu hominis elevati ratio auctoris naturæ, & gratiæ ſic connectuntur; ut non poſſit ad unam accedere, quin accedat ad alteram, & pariter ab una recedere, quin recedat ab altera.

XXXVI. Confirmatur. Si homo in peccato mortali exiſtens, poſſet Deum auctorem naturæ ſuper omnia diligere; poſſet eſſe converſus ad Deum auctorem naturæ, & averſus à Deo auctore natu-

naturæ: ſed hoc repugnare nemo non videt; ergo &c. Maj. probatur. Nam omne peccatum in homine elevato avertit à Deo, non ſolùm ut auctore gratiæ, ſed etiam ut auctore naturæ.

XXXVII. Confirm. iterum. Dilectio Dei auctoris naturalis ſuper omnia petit, ut nulla creatura diligatur pluſquàm Deus: ſed qui eſſet converſus per amorem ad Deum auctorem naturalem, & non converſus, ſed averſus per peccatum à Deo auctore ſupernaturali, aliquam creaturam diligeret plus, quàm Deum auctorem ſupernaturalem; ergo Deum ſuper omnia diligeret, & non diligeret.

Ex quo ſequitur, quòd homo diligens Deum auctorem naturæ ſuper omnia, debeat etiam concomitanter habere gratiam ſanctificantem. Diligens enim Deum auctorem naturæ ſuper omnia debet à ſe auferre omne peccatum, omnemque averſionem à Deo, utpote cum tali actu incompoſſibilem, ut vidimus: ſed peccatum, & averſio à Deo non aufertur, niſi per gratiam ſanctificantem; ergo qui diligit Deum auctorem naturæ ſuper omnia, debet habere gratiam ſanctificantem.

XXXVIII. Quæres: An homo jam habens gratiam ſanctificantem, poſſit cum auxilio ſpeciali ordinis naturæ diligere Deum auctorem naturæ ſuper omnia?

Reſpondeo, affirmativè. Ut enim diximus, ad diligendum Deum auctorem naturæ ſuper omnia, non requiritur auxilium ſupernaturale per ſe, nimirùm ex parte actus, & objecti; ſed ſolùm ex parte ſubjecti, quod habet impedimentum peccati, quo non ablato per gratiam, non poteſt Deum, etiam ut auctorem naturæ, ſuper omnia diligere: ſed homo juſtus non habet impedimentum peccati, & licèt habeat gratiam, & caritatem, poteſt illis non uti, & viribus naturalibus auxilio ſpeciali illius ordinis adjutis elicere actum amoris Dei finis naturalis, regulati per cognitionem naturalem: quemadmodum licet habeat temperantiam infuſam, poteſt eâ non uti, & ex viribus naturalibus, ac motivo naturali elicere actum temperantiæ acquiſitæ; ergo homo juſtus, in quo per gratiam juſtificantem natura ſanata eſt, elicere poteſt actum dilectionis Dei auctoris naturalis ſuper omnia, procedentem ex viribus liberi arbitrii, auxilio ſpeciali ordinis naturæ adjuti. Si enim ad omnem Dei dilectionem, & in omni ſubjecto requireretur ſemper auxilium ſupernaturale; jam omnis amor Dei eſſet ſupernaturalis: & ſic diſtinctio amoris Dei in naturalem, & ſupernaturalem eſſet vana, & commentitia, quod in Bajo damnatum fuit, ut diximus.

XXXIX. Sed dices primò contra ſecundam partem aſſertionis. Stat, hominem converti ad Deum, ut auctorem naturæ, quin convertatur ad ipſum, ut auctorem gratiæ; ergo ſtare poteſt amor Dei naturalis, quin ex parte ſubjecti requiratur auxilium ſupernaturale. Ant. prob. Omnis homo perveniens ad uſum rationis poteſt, & tenetur naturali præcepto Deum auctorem naturæ ſuper omnia diligere, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 89. a. 6. & tamen non tenetur converti ad Deum auctorem ſupernaturalem; ergo &c. Min. prob. Si enim ad hoc teneretur, deberet ei Deus conferre auxilia ſufficientia ordinis ſupernaturalis, per quæ fieret potens ipſum in tali ordine amare; nemo enim tenetur ad id, quod non poteſt: ſed Deus non omnibus confert auxilia ſufficientia ad actum ſupernaturalem, verbi gratia, ad fidem; aliàs non daretur infidelitas negativa, quod eſt contra D. Tho. & communem Theologorum conſenſum; ergo &c. Min. prob. Quia Infidelis purè negativè ille eſt, qui non credit, quia non habet auxilia ſufficientia ad credendum: ſi enim ea haberet, & non crederet, eſſet Infidelis, non negativè tantùm, ſed privativè.

XL. Huic argumento, quod in hac materia non eſt parvi momenti, jam reſ-

Digitized by Google

reſpondimus *Tom.* 3. *in* 1. *p. Qu.* 2. *de Vol. Dei Dub.* 3. *§.* 6. *n.* 60. *&* 61. Cohærenter ergo ad ibi dicta, nego antec. ad probat. nego min. ad cujus probat. nego ſimiliter min. Deus enim, teſte *Joann. c.* 1. *v.* 9. eſt *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum:* quæ verba de illuminatione circa ſupernaturalia myſteria explicant Chryſoſtomus apud D. Thom. *in Cat. aurea*. Et Hieronymus *ad Galat.* 1. & D. Tho. 1. 2. *q.* 89. *a.* 6. ab arguente laudato docet, quòd homo veniens ad uſum rationis: *Si quidem ſeipſum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam conſequitur remiſſionem originalis peccati*. Talis autem ordinatio, quâ per gratiam conſequatur remiſſionem originalis peccati, debet eſſe ad Deum auctorem ſupernaturalem. Datur ergo omnibus ad uſum rationis venientibus auxilium ſufficiens ordinis ſupernaturalis, ut oſtendimus citato *Tomo in* 1. *p.*

XLI. Neque ſequitur, non dari infidelitatem negativam in iis, qui nihil deinceps audierunt de myſteriis fidei. Etenim licèt Deus omnem hominem, ad uſum rationis primò venientem, ſufficienter de illis interiùs illuminet; itaut ſi tali illuminatione benè utatur, juſtificationis gratiam conſequatur; ſi non benè utatur, peccet mortaliter, ut docet D. Tho. citatus: attamen ſi poſtea in ſylvis educetur, & nihil ei de talibus myſteriis, de quibus fuit interiùs illuminatus, exteriùs prædicetur, poteſt primæ illius illuminationis naturaliter ſic oblviſci, ac ſi illam nunquam habuiſſet; & conſequenter ignorantiâ invincibili circa fidei myſteria laborare, & fieri Infidelis negativè. Et ſanè: ſi contingit aliquando peccati commiſſi in grandiori ætate naturaliter ſic oblviſci; ut poſſit quis invincibiliter ignorare, ſe illud commiſiſſe, & non teneri ad illud confitendum: cur non continget, virum adultum (ſi ei ampliùs non prædicentur, & nihil poſtea de illis audiat, ut ſupponimus) naturaliter ſic oblviſci myſteriorum fidei, de quibus in ætate tam tenera fuit à Deo interiùs illuminatus, ut illa credere ampliùs non teneatur?

XLII. Dices ſecundò. Dilectio naturalis Dei in homine lapſo non eſt incompatibilis cum peccato mortali; ergo &c. Antecedens prob. Non eſt incompatibilis cum peccato immediatè, quia non eſt forma deſtructiva peccati; hæc enim eſt gratia: neque mediatè, quia non eſt diſpoſitio per ſe connexa cum gratia; ergo &c.

XLIII. Reſpondeo, neg. ant. Ad prob. dico, dilectionem Dei naturalem eſſe incompatibilem cum peccato mortali indirectè; non quia habeat vim aliqam activè deſtructivam peccati, ſed ſolùm paſſivè: quia, eſtò non valeat peccatum à ſubjecto expellere, in ſubjecto tamen, in quo eſt, non compatitur peccatum, ſed petit eſſe in eo principium deſtructivum peccati. Cùm enim dilectio Dei auctoris naturalis ſuper omnia, hominem convertat ad Deum, nequit ſtare cum peccato lethali, quod hominem à Deo avertit: nequit enim homo elevatus eſſe averſus à Deo auctore ſupernaturali, & converſus ad Deum auctorem naturalem.

XLIV. Neque inſtes, Dæmones in peccato mortali exiſtere, & pueros ſimiliter in Limbo poſitos; qui tamen Deum auctorem naturalem diligunt.

Nam reſpondeo ex dictis, nos loqui de dilectione Dei amicabili, & electiva; non verò de amore naturali, quo Dæmones, & pueri in limbo Deum diligunt: talis enim amor non diligit Deum, quia ſummum bonum in ſe, ſed quia bonum eſt diligenti. Quia cum Dæmones, & pueri in Limbo diligant ſuum eſſe, naturali quodam pondere diligunt Deum, quo indigent, ut conſerventur in eſſe: & ideo non mirum, ſi iſte amor ſit compatibilis cum peccato. Ut enim docet D. Tho. 1. *p. q.* 60. *a.* 2. dilectio naturalis unicè tendit in finem; dilectio verò electiva eſt boni,

quod diligitur propter finem. Dæmones autem, & pueri in Limbo, eſtò diligant Deum inquantùm eſt commune bonum omnium, quæ eſt dilectio naturalis: non tamen diligunt in ordine ad ipſum ea, quæ ſunt ad finem, quæ eſt dilectio electiva.

DUBIUM VII.

An ſit neceſſaria Gratia ad obſervantiam totius Legis Naturæ?

§. I.

Aliqua ſupponuntur.

I. SUppono, ex dictis, poſſe in natura lapſa hominem, unum, vel alterum præceptum naturale ex facilioribus, cum ſolo auxilio Dei moventis, implere quoad ſubſtantiam ſaltem; nempe, implendo officium, quod per ea vel præcipitur, vel prohibetur: cùm enim, ut ſuperiùs oſtenſum eſt, poſſit homo lapſus aliquod bonum opus morale facere viribus propriis; videtur etiam, quòd inſtante præcepto facilis adimpletionis poſſit illud eiſdem viribus, quoad ſubſtantiam, & ex motivo naturali honeſto implere. Cùm enim in homine, per peccatum lapſo, liberum arbitrium ad bonum ſit quidem infirmatum, ſed non prorſus extinctum; non poteſt quidem ſinè adjutorio facere ea, quæ poſſet ſanus, aliqua tamen facere poteſt. Hinc S. Auguſtinus *lib. 4. contra Julian. c. 3.* docet, inter nonnullos ex Gentilibus viſa fuiſſe plurium virtutum officia. Reperti enim ſunt, qui thori fidem ſervarunt, qui cultum exhibuerunt parentibus, qui ſuis opibus alienam miſeriam ſublevarunt; qui à perjurio, homicidio, aliiſque in Decalogo vetitis temperarunt: unde obſtetrices Ægyptiæ, quæ præcepto iniquo Pharaonis de interficiendis Hebræorum maſculis obtemperare noluerunt, tali actu in ſe honeſto temporalem mercedem à Deo reportarunt.

II. Ex his adverto cum S. Thom. hâc *q. 109. a. 4.* quòd implere præcepta legis, contingit dupliciter. Uno modo quantùm ad ſubſtantiam operum: *Prout ſcilicet homo operatur juſta, & fortia, & alia virtutis opera... Alio modo poſſunt impleri mandata legis, non ſolùm quantùm ad ſubſtantiam operis, ſed etiam quantùm ad modum agendi, ut ſcilicet, ex caritate fiant.* Priori modo dicit S. D. quòd *homo in ſtatu naturæ integræ potuit omnia mandata legis implere: alioquin homo non potuiſſet in ſtatu illo non peccare; cum nihil aliud ſit peccare, quàm tranſgredi divina mandata.* Idemque probabiliter dici poſſet, ſaltem per aliquod tempus, de homine in puris naturalibus condito. Nam, ut ſupra diximus, præcepta legis naturalis fuiſſent illi in eo ſtatu connaturalia; nec natura fuiſſet per peccatum corrupta, nec adeo frequens fuiſſet carnis rebellio. Poſteriori autem modo, *neque in ſtatu naturæ integræ, neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo implere abſque gratia legis mandata.*

Hanc diſtinctionem eſſe admittendam, conſtat: tùm ex dictis *Tom. 7. q. 3. de Propriet. Virtutum. Dub. 3. §. 2. & 3.* ubi oſtendimus, virtutes acquiſitas non eſſe per ſe connexas cum caritate. Tùm ex eo, quòd S. Pius V. & Gregor. XIII. hunc Baii articulum *num. 61.* damnarunt: *Celebris illa Doctorum diſtinctio, divina legis mandata bifariam impleri: altero modo, quantùm ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm: Altero, quantùm ad certum quemdam modum, videlicet, ſecundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc eſt, ad modum meritorum, commentitia eſt, & explodenda.* Cui ſimilis eſt *articulus 62.* pariter proſcriptus.

III. Pelagius Gratiæ Dei hoſtis infenſiſſimus, ut refert S. Auguſt. *l. de Hæreſ. c. 88.* inter alios errores, hos aſſerebat: hominem poſſe omnia divina mandata facere ſinè gratiâ: gratiam ad hoc dari hominibus, ut quæ facere

re per liberum jubentur arbitrium, faciliùs implere poſſint per gratiam: hanc autem, ſinè quâ nihil boni poſſumus facere, non eſſe niſi in libero arbitrio: charitatem, quâ piè vivitur, non dari, ſed Deum nos tantùm adjuvare per ſuam legem, atque doctrinam: alioſque, jam damnatos in Synodis Dioſpolitanâ, in Palæſtina (quæ Civitas antea vocabatur Lixda, cujus fit mentio *Actorum 9. v. 32. & 38.*) aliiſque quatuor Africanis, Carthaginenſi, in qua præcipuè damnatus fuit Cœleſtius Pelagii diſcipulus: alterâ Carthaginenſi, Milevitanâ, & tertiâ Carthaginenſi, quam Auguſt. *Epiſt.* 47. modò 215. totius Africæ *Plenariam* vocat. Quas omnes ab Apoſtolica Sede fuiſſe probatas, teſtatur Auguſtinus, & Proſper *Reſponſ. ad S. cap. Gall.* & *lib. contra Collatorem cap. 21.* Quibus addi poteſt Conc. Epheſinum: ſcribit enim S. Gregor. *l. 1. Epiſt. Epiſt.* 114. & *l. 7. Epiſt.* 47. Pelagium cum ſuis dogmatibus in Epheſina Synodo fuiſſe damnatum; conſtatque ex actis illius Concilii *c.* 17. & ex S. Proſpero in Chronico *ad ann.* 434. Pelagianæ tandem reliquiæ diſſipatæ ſunt anno 529. ſub Felice Papa IV. in Synodo Arauſicana II. cujus Canones à Sede Apoſtolica ex variis S. Auguſtini locis excerptos, & ad Patres Arauſicanos tranſmiſſos, Patres præfati publicaverunt, eiſque ſubſcripſerunt. Ita enim initio Synodi loquuntur: *Pervenit ad nos, eſſe aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minùs cautè, & non ſecundùm fidei regulam ſentire velint: Unde & nobis ſecundùm auctoritatem, & admonitionem* Sedis Apoſtolicæ *juſtum, & rationabile viſum eſt; ut pauca Capitula* ab Apoſtolica nobis ſede tranſmiſſa, *quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collata ſunt, ad docendos eos, qui aliter, quàm oportet, ſentiunt, ab omnibus ſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus.*

IV. Dimiſſo Pelagiano errore: ex Catholicis quidam putant, hominem lapſum poſſe ſinè ſpeciali gratiâ totam legem naturæ, ex motivo merè naturali implere. Pro qua opinione ab aliquibus citatur Scotus. Quidam aſſerunt, poſſe quidem ſinè gratiâ habituali, non verò ſinè gratiâ ſpeciali auxiliante. Pro hac citantur S. Bonaventura, & alii. Alii demum ad obſervantiam totius leges naturæ, requirunt nedum gratiam auxiliantem, ſed etiam gratiam habitualem, modo *Dub. præcedente* explicato. Ita frequentiùs cùm Thomiſtis Theologi.

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. Dico. Homo lapſus ſinè ſpeciali gratiâ non poteſt omnia præcepta legis naturalis implere, nec collectivè, nec diviſivè; ne quidem quoad ſubſtantiam. Probo primò. Quia inter præcepta legis naturalis maximum, & primum eſt diligere Deum ſuper omnia: ſed hoc abſque ſpeciali gratia ab homine lapſo impleri non poſſe, oſtenſum eſt Dubio præcedente; ergo &c.

Secundò. Ut dicemus, ad vincendam gravem tentationem, eſt neceſſaria ſpecialis gratia: ſed obſervantia totius legis naturalis includit victoriam gravis tentationis; ergo &c.

Confirmatur. Homo lapſus non poteſt ſinè gratiâ ſervare præceptum, quo prohibetur, ne voluntas titillanti concupiſcentiæ conſenſum præbeat: nam hoc ſervari non poteſt ſinè victoriâ gravis tentationis.

VI. Si dicas, accidere poſſe, quòd etiam per longum tempus tentatio gravis non occurrat — Contra eſt. Nam hoc ipſum gratis conceſſum, ſpecialis gratia erit. Unde arguo ſic: in obſervantia legis naturalis, vel occurrit gravis tentatio, vel non. Si occurrit; ergo ad ejus victoriam requiritur ſpecialis gratia: ſi non occurrit; ergo hoc ipſum non occurrere ſpecialis gra-

Digitized by Google

tia erit: attentâ enim rebellione appetitus, & hominis conditione, neceſſe eſt, plures ei occurrere graves tentationes.

VII. Urgetur hoc. Per legem non tollitur, ſed augetur occaſionaliter concupiſcentia: ait enim Paulus ibi v. 8. *Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: ſinè lege enim peccatum mortuum erat .... ſed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit.* Quod hac eleganti ſimilitudine explicat S. Auguſtinus *l. de Spiritu, & litt. c.* 4. nimirum: *Sicut aqua impetus ſi in eam partem non eſſet influere, vehementior fit, obice expoſito, cujus molem cùm evicerit, majore cumulo præcipitatus vehementiùs per prona provolvitur; neſcio quo enim modo, hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit jucundius, cum vetatur.* Unde ibidem Apoſtolus ait v. 13. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Et poſtmodum quærens v. 14. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Reſpondet: *Gratia Dei per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Sentiunt ergo Apoſtolus, & Auguſtinus, concupiſcentiam præcepto *Non concupiſces* fieri vehementiorem, & indigere gratiâ per Chriſtum, ut frænetur.

VIII. Probatur ulteriùs. Obſervantia totius legis naturalis eſt opus perfectiſſimum, quod poſſit fieri ab homine ſano: ſed homo lapſus, infirmus, & cujus arbitrium, licèt non ſit extinctum, eſt tamen attenuatum ad bonum, & vi averſionis à Deo per peccatum, & rebellionis appetitus, nequit viribus propriis facere opus perfectiſſimum, quod poteſt fieri ab homine ſano, niſi ſanetur per gratiam; ergo &c.

IX. Rurſus: quod aliquo modo confert ad juſtificationem, non poteſt ſervari ſinè gratiâ: alioquin homo per naturæ vires ſe præpararet ad gratiam, quod Pelagianum, vel Semipelagianum eſſe, inferiùs oſtendemus: atqui obſervantia omnium, & ſingulorum mandatorum Decalogi confert ad juſtificationem; ergo non poteſt. Min. prob. Tùm ex illo Rom. 2. v. 13. *Factores legis juſtificabuntur.* Tùm ex illo Chriſti, Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata:* quænam autem eſſent hæc mandata ſubjunxit: *Non homicidium facies, non adulterabis &c.* aliaque præcepta Decalogi.

X. His addo: quòd ſi tota Decalogi lex ſervari poſſet ſinè gratiâ, aliqui homines, non adjuti Dei gratiâ, eam aliquando ſervaſſent; quod enim eſt poſſibile, in aliquibus ſaltem ad actum reduci debuit: ſed nemo unquam, non adjutus gratiâ, omnia, & ſingula Decalogi præcepta ſervavit; ergo &c. Min. docet Paulus, *Rom.* 3. *v.* 12. dicens: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Et priùs *v.* 9. dixerat: *Judæos, & Græcos* (ſibi relictos) *omnes ſub peccato eſſe.* Et *cap.* 7. *v.* 5. ſcribit, hominem carnalem, hoc eſt, qui per gratiam non eſt factus ſpiritualis, ſuis paſſionibus ſervire: *Cùm enim* (inquit) *eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.* Qui autem paſſionibus ſervit, qui fructificat morti, non ſervat omnia præcepta Decalogi.

XI. His accedunt Concilia. Milevitanum *Can.* 5. hæc habet: *Quicumque dixerit: ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs implere poſſimus per gratiam; tanquam, etſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſinè illâ, implere divina mandata, anathema ſit.* Et primum Concilium Carthaginenſe in *Epiſtola Synodicâ ad Innocentium*, quæ eſt 90. modò 175. inter Auguſtinianas, teſtatur, Pelagianos fuiſſe damnatos, quòd dicerent: *In eo Dei gratiam eſſe deputandam, quòd talem*

homi-

Digitized by Google

hominis inſtituit, creavitque naturam; quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſet complere, ſive naturaliter in corde ſcriptam, ſive litteris datam. Idem teſtatur Innocentius I. *Epiſt. apud Auguſt.* 93. modò 182. dicens de Pelagianis: *Negantes auxilium Dei, inquiunt, hominem ſibi poſſe ſufficere, nec gratiâ hunc egere divinâ..... dum ad omnia vitæ perficienda mandata ſolâ tantummodo libertate contendat.* Quod & Cœleſtinus ſcribens ad Galliarum Epiſcopos *cap.* 10. confirmat.

XII. Reſpondent Adverſarii, Scripturam, Concilia, Summos Pontifices loqui de præceptis divinis; non quæ ſunt juris naturalis, ſed juris poſitivi, & ſupernaturalibus, ut ſunt præcepta fidei, ſpei &c. aut ſi loquuntur de præceptis Decalogi, & juris naturalis; loqui de eis, non quoad ſubſtantiam implendis, ſed etiam quoad modum, nempe, ex caritate: vel de eis, ut conferunt ad juſtificationem, & vitam æternam.

XIII. Sed contra primò. Nam Chriſtus, & Paulus laudatis locis apertè loquuntur de præceptis Decalogi, & juris naturalis. Chriſtus enim expreſsè recenſet præcepta Decalogi: Paulus etiam reddens rationem, cur Judæi, & Græci legis rei, & ſub peccato eſſent, adduxit *Pſalm.* verba *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum &c.* quæ ſunt peccata contrà legem naturalem. Et *cap.* 7. & 8. *ad Roman.* præcipuè loquitur de præcepto: *Non concupiſces.* Deinde Paulus *Roman.* 3. oſtendere voluit, non ſolis Judæis gratiam eſſe neceſſariam, ut ſinè peccato eſſent, ſed etiam gentibus: at gentes non aliam legem habebant, quàm naturalem, nec de modo illam implendi ex caritate quidquam audierant; ergo &c. Imò cùm loquatur de abſoluta impletione legis, ut non peccetur contra illam, loquitur de impletione illius quoad ſubſtantiam; & ad hanc docet eſſe neceſſariam gratiam.

Secundò. Concilia, & Pontifices loqui de gratia neceſſaria ad impletionem legis naturalis etiam quoad ſubſtantiam, oſtendo. Tùm quia hanc neceſſitatem deducunt ex infirmitate liberi arbitrii ad bonum, & rebellione appetitus inductâ per peccatum: atqui hæc infirmitas, & rebellio appetitus non ſolùm eſt circa bonum ſupernaturale, ſed, & quidem maximè, circa bonum naturale, & rationis; ut teſtantur continui concupiſcentiæ, & aliarum paſſionum motus, graveſque tentationes retrahentes à bono rationis; ergo &c. Tùm etiam, quia Concilia, & Pontifices neceſſitatem gratiæ ad id aſſerebant, ad quod neceſſariam eſſe negabat Pelagius: atqui iſte gratiam neceſſariam negabat, nedum ad ſupernaturalia, ſed naturalia præcepta implenda: unde in Synodica Concil. Carthaginenſis reprehenditur, quòd diceret, per propriam voluntatem poſſe impleri legem, *ſive naturaliter in corde ſcriptam, ſive litteris datam*; ergo &c.

XIV. Sed dices primò. Paulus ad *Roman* 2. *v.* 14. dicit: *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex. Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Ergo per naturæ vires, ſinè gratiâ, poteſt obſervari lex; cùm eam omnes habeant in corde ſcriptam.

XV. Reſpondeo, duplici reſponſione exponi hunc textum. Primò, negando conſequentiam. Ly enim *naturaliter*, ſeu *naturâ*, ut in textu Græco, non excludit gratiam, idemque valet, ac ſolis naturæ viribus; ſed excludit legem ſcriptam, & reddit ſenſum: cùm enim gentes, quæ legem ſcriptam non habent, naturaliter, ideſt, per cognitionem, quam lumine naturæ ſcriptam in corde habent, ſinè adjutorio legis ſcriptæ, etſi non ſinè adjutorio fidei, & gratiæ, ea, quæ legis ſunt faciunt. Ita exponit S. Tho. *hoc a.* 4. *ad* 1. ex S. Auguſtino

ſtino *l. de Spiritu*, *& litt. c.* 27. dicente: *Non te moveat, quòd naturaliter dixit, eos, quæ legis ſunt facere: hoc enim agit ſpiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis*. Multi enim ex Gentilibus Dei cognitione, & fide Mediatoris imbuti, ejus gratiâ, legem naturalem, etſi legem ſcriptam non haberent, obſervarunt. Unde S. Chryſoſtomus: *Gentiles* (inquit) *hic appellat, non eos, qui Idolatræ eſſent, ſed eos, qui Deum colerent; qui naturæ legi parentes, exceptis judaicis cæremoniis, ea omnia, quæ ad pietatem conferrent, obſervarent: qualis erat Melchiſedech cum ſuis omnibus, qualis erat Job, quales erant Ninivitæ, qualis erat Cornelius*. Cùm ergo Melchiſedech, Job, Ninivitæ pœnitentiam agentes, & Cornelius fideles fuerint, apparet, Paulum de gentibus fide, & gratiâ Mediatoris jam imbutis locutum fuiſſe.

XVI. Secundò exponunt alii, Paulum loqui de gentibus à fide alienis; non ita tamen, ut velint, iſtas gentes omnia, quæ legis ſunt, naturaliter feciſſe: ſed quòd ſolo naturæ ductu, & ejus viribus non pauca legis præcepta ex facilioribus, quoad ſubſtantiam, impleverint: qualia ſunt honorare parentes, reddere depoſitum, egenum ſublevare, non occidere, & alia id genus. Et hæc expoſitio ut catholica habenda eſt; cùm S Pius V. & Gregorius XIII. hanc Baii propoſitionem 22. condemnent, qui dicebat: *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli, ad Rom.* 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*.

XVII. Dices ſecundò. *Deuteron.* 30. *v.* 11. dicitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in Cœlo ſitum &c.* ergo lex naturalis, quam Deus per Moyſen promulgavit, vires naturæ non excedit.

XVIII. Reſpondetur primò, diſt. conſ. Non excedit quantùm ad cognitionem, co. conſ. Quantùm ad obſervantiam, nego conſ. Lex ergo non eſt ſupra hominis vires, quantùm ad cognitionem; quia in corde hominis inſita, & per Moyſen ſufficienter promulgata: unde dicitur mandatum *neque procul poſitum eſt, neque in Cœlo ſitum*. Eſt tamen ſupra hominis vires, quantùm ad obſervantiam, ſaltem totius legis, ratione corruptionis naturæ per peccatum.

Secundò reſpondetur, quòd ſicut Paulus, *Roman.* 10. *v.* 8. dicit: *Prope eſt verbum* (fidei) *in ore tuo, & in corde tuo*, quia facile eſt, credere cum divinæ gratiæ adjutorio, quod nulli deeſt: ita facile eſt, legem implere. Porro ſinè Dei ajutorio non poſſe legem naturalem impleri, indicavit Moyſes, cap. 8. v. 18. *Recorderis Domini Dei tui, quòd ipſe vires tibi præbuerit*. Et *c.* 29. *v.* 4. Judæos alloquens, qui cum vidiſſent magnalia, quæ fecit Deus pro ipſis, adhuc ei non obſequebantur, ad deficientiam divini adjutorii quo cauſam refert, dicens: *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ poſſunt audire, uſque in præſentem diem*.

XIX. Dices tertiò. Plures in Sacris Litteris leguntur, mandata Dei obſervaſſe abſque gratiæ ſubſidio. Primò. Apud *Iſaiam cap.* 44. *v.* 28. de Cyro viro Idololatra dicit Deus: *Omnem voluntatem meam complebit*. Et *c.* 46. *v.* 11. eum nominat: *Virum voluntatis meæ*.

Secundò. *Matth.* 19. Adoleſcens quidam nondum fide, ac doctrinâ Chriſti imbutus, audiens ab ipſo: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; reſpondit v. 20. *Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea*. Quòd autem verè ea obſervaſſet, non fictè, indicat *Marcus c.* 10. *v.* 21. dicens: *Jeſus autem intuitus eum, dilexit eum*. Is autem, cum nondum in Chriſtum crederet, gratiam non habuit, & tamen totam legem obſervaverat.

Tertiò. Paulus *Philipp.* 3. *v.* 6. de

ſe, nondum ad Chriſti fidem converſo, loquens teſtatur, quòd *ſecundùm juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatus* fuerit *ſinè querelâ*; hoc eſt, legem ex integro obſervarit.

XX. Reſpondeo, neg. aſſumtum. Ad primum dico, Cyrum dici virum voluntatis Dei, & complevisse omnem ejus voluntatem, eam nimirùm, quæ erat de populo Iſraelitico è captivitate liberando, & in terram ſuam remittendo, deque templo in Jeruſalem reſtituendo: at non eam, quæ conſiſtit in præceptis lege divinâ expreſſis. Cyrus namque Idololatra, Regnorum alienorum injuſtus invaſor, & qui malè periit, ut hiſtoriæ referunt, & S. Hieronymus in *cap.* 1. *Zacbariæ*, quomodo dici poteſt, totam Dei legem ſervaſſe? Uſus eſt tamen Deus Cyro ea ratione, quâ aliquando ſolet Deus voluntatem ſuam implere, etiam per malos, quamvis ipſi aliud in animo habeant; ut patet de Aſſur, *Iſaiæ* 10.

XXI. Ad ſecundum dico primò, quòd homo ille, de quo *Matth.* 19. & *Marci* 10. ſermo eſt, utpote Judæus, explicitâ fide in Deum, & implicitâ in Chriſtum erat imbutus; & proinde potuit habere gratiam, quâ omnia præcepta legis ſervaret, & à Chriſto diligeretur.

Dico ſecundò, quòd non liquet, eum reverâ omnia legis præcepta ſervaſſe, & maximè primum de dilectione Dei ſuper omnia; tametſi fortè ipſe ita exiſtimaverit, propterea quòd præcepta de dilectione proximi ſolùm eo modo, quo Judæi ſufficere arbitrabantur, abſtinendo ſcilicet à manifeſtis injuriis, obſervaverit: cùm etiam dives eſſet, & nimio divitiarum amore implicatus, eas plus quàm Deum diligebat. Cujus ſignum fuit, quòd à Chriſto invitatus, ut propter Deum divitias relinqueret, non acquievit; ſed, ut ait Evangeliſta, *abiit triſtis*. Unde Chriſtus tacitè eum culpans, occaſionem ſumſit hanc proferendi ſententiam, Matth. 19. v. 24. *Facilius eſt, Camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum Cælorum*. Nec obſtat, quòd *Jeſus eum intuitus dilexit eum*. Non enim dilexit, quòd omnia Dei mandata etiam quoad ſubſtantiam ſervarit; ſed dilexit in eo bonam, ac ſinceram voluntatem, quâ ad eum acceſſit, dicens: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?*

XXII. Ad tertium reſpondeo, Paulum dicere, ſe in juſtitia, quæ eſt in lege, converſatum fuiſſe ſinè querelâ, quoad externa legis officia; abſtinendo nimirùm ab omnibus externis operibus lege vetitis, in quo legis obſervantiam ſitam eſſe, Judæi arbitrabantur: non verò quoad ſincerum cordis affectum Deum ſuper omnia diligendo. Accuſat enim Paulus priſtinam converſationem ſuam, & fatetur 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 13. ſe fuiſſe blaſphemum, & contumelioſum. Et ad Titum 3. v. 3. *Eramus* (inquit) *aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & invidia agentes, odibiles, odientes invicem*.

XXIII. Dices quartò. Præcepta legis naturæ, collectivè ſumta, naturæ vires non excedunt: ſunt enim naturalia, & in determinato numero; ergo ad ea implenda gratia non eſt neceſſaria.

Reſpond. diſt. ant. Vires naturæ ſanæ, & integræ, con. ant. Infirmæ, & corruptæ, nego ant. Solutio ex dictis patet: occurrunt enim naturæ corruptæ in obſervantia omnium mandatorum difficultates, & impedimenta, quæ ſinè auxilio gratiæ ſuperari non poſſunt. Videantur ſuperiùs dicta.

XXIV. Sed inſtabis. Qui obſervavit unum, vel alterum mandatum, fit promtior, & in eo firmatur inclinatio ad bonum virtutis; ergo poterit aliud, & aliud, & tandem omnia obſervare.

Confirm. Qui poteſt ad ſingula, poteſt ad omnia: ſed homo lapſus poteſt ad ſingula mandata; ergo poteſt ad omnia.

XXV. Reſpond. fieri ad ſummum prom-

Digitized by Google

promtiorem ad obſervanda alia mandata ejuſdem facilitatis, & in abſentia impedimentorum. Cæterùm ſi occurrat præceptum difficile, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia, vel dilectio inimicorum, vel occurrant impedimenta ſupra recenſita, niſi adjuvetur gratiâ, deficiet.

XXVI. Ad Confirm. dico, patere ex ſuperiùs dictis, non valere à ſenſu disjunctivo, vel diviſivo ad totam collectionem, vel ad ſenſum copulativum. Præterquamquod negari debet min. Homo enim lapſus non poteſt ſinè gratia obſervare maximum, & primum mandatum legis naturæ, nimirùm diligere Deum auctorem naturæ, ut vidimus.

XXVII. Dices quintò. Scripturæ, & Patres docent, Deum non præcepiſſe homini aliquid impoſſibile; ergo cum præcipiat obſervantiam omnium mandatorum, hæc poterit impleri per vires naturæ, aliòquin eſſent ei obſervatu impoſſibilia.

Confirm. Ad obſervanda omnia mandata ſufficit homini velle, juxta illud Eccleſiaſtici 15. v. 16. *Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te;* ergo non requiritur gratia.

XXVIII. Reſpondeo, neg. conſ. Quamvis optimè ſequatur, Deus nihil præcipit homini impoſſibile; ergo quæcumque jubet homini, homo poteſt implere: non tamen ſequitur, quòd ea poſſit ſinè gratiâ, ſeu per ſolas naturæ vires implere: aliàs cùm ei præcipiat, credere, ſperare, diligere, & hæc ſint homini poſſibilia, ſequeretur, quòd hæc poſſet implere per ſolas naturæ vires, ut volebat Pelagius. Ratio autem eſt: quia non quidquid homini præcipitur, ei præcipitur, ut per ſolas naturæ vires impleat; ſed ut eo modo faciat, quo ei ſecundùm ſuum ſtatum convenit. Unde nec ſequitur: homo ſinè Dei gratiâ non poteſt implere omnia divina mandata; ergo ea implere non poteſt: quia arguitur à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter. Sicut non valeret: homo non poteſt ſcindere ſinè cultro; ergo non poteſt ſcindere.

Quare autem dicamur poſſe id, quod non ſinè Dei gratiâ poſſumus, docet D. Thom. hâc *q.* 109. *a.* 4. *ad* 2. ubi ſolvens hoc argumentum, quod ad nauſeam uſque Pelagiani olim objecerant Auguſtino, ait: *Ad ſecundum dicendum, quòd illud, quod poſſumus cum auxilio divino, non eſt nobis omnino impoſſibile, ſecundùm illud Philoſophi in* 3. *Ethic. c.* 3. Quæ per amicos poſſumus, aliqualiter per nos poſſumus. *Unde Hieronymus ibidem* (Epiſt. ad Damaſum, quæ eſt 17.) *confitetur, ſic noſtrum eſſe liberum arbitrium, ut dicamus, nos ſemper indigere Dei auxilio*. Porro: cùm auxilium ſufficiens, & dans poſſe ſaltem remotè, quo ſi malè homo non utatur, ulterius auxilium ei confertur, omnibus de facto detur, ut in 1. p. oſtendimus; verum eſt, omnem hominem poſſe omnia ſervare mandata.

Simili argumento S. Auguſt. l. de Perfect. juſtitiæ c. 2. *Reſpondemus* (inquit) *vitari poſſe peccatum, ſi natura vitiata ſanetur gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: intantùm enim ſana non eſt, inquantùm id, quod faciendum eſt, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet*. Hoc autem c. 3. explicat hac eleganti ſimilitudine dicens: *Cùm videmus claudum, qui ſanari poteſt, rectè utique dicimus, debet homo iſte eſſe ſinè claudicatione; & ſi debet, poteſt: nec tamen cùm vult, continuò poteſt, ſed cùm fuerit adhibitâ curatione ſanatus, & medicina adjuverit voluntatem*. Et infra ait: *Conſultiſſimè homini præcipi, ut rectis paſſibus ambulet; ut cùm ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requirat ad ſanandam peccati claudicationem*. Unde *l. de Nat. & Grat. c.* 43. & ex eo Concil. Trident. Seſſ. 6. c. 11 *Deus* (inquit) *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*.

XXIX. Nec moveat, quòd homo viribus propriis non poſſit accerſere me-

medium, nec medicinam gratiæ deſiderare, nedum advocare, ut contra Semipelagianos fides docet. — Nam eſtò viribus propriis non poſſit, poteſt tamen per gratias ſufficientes, quæ nulli deſunt, & dant poſſe, ſive proximum, ſive ſaltem remotum: gratiam verò efficacem, quâ agat, eſtò advocare non poſſit, impedire tamen poteſt, ut docet S. Thom. *l.* 3. *contra Gentes c.* 159. his verbis: *Licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec advocare poſſit; poteſt tamen ſeipſum impedire, ne eam recipiat* (ſive efficacem dantem agere, ſive ſufficientem dantem proximiùs poſſe) *Dicitur enim de quibuſdam Job.* 24. Dixerunt Deo: recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. *Et cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò ad culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni: Deus enim quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare.* Quod repetit *c.* 161.

XXX. Ad Confirm. reſpondet S. Auguſt. lib. de Gratia & lib. arb. c. 16. *Certum eſt, nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt, nos velle, cum volumus; ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò ante poſuit:* Præparatur voluntas à Domino: *de quo dictum eſt:* A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet: *De quo dictum eſt:* Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere. *Certum eſt, nos facere, cum facimus; ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit Ezechiel.* 36. Faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis... *Ille facit, ut faciamus, cui dicit homo:* Pone Domine cuſtodiam ori meo. *Hoc eſt enim dicere: fac, ut ponam cuſtodiam ori meo; quod beneficium Dei jam fuerat conſecutus, qui dixit:* Poſui ori meo cuſtodiam.

§. III.

Qualis Gratia requiratur ad Obſervantiam totius Legis Naturalis.

XXXI. Dico primò. Ad obſervantiam totius legis naturalis neceſſaria eſt in homine lapſo gratia ſanans, ſeu ſanctificans; non quidem per ſe, & ratione objecti, ſed ratione ſubjecti, & ſtatus corruptionis. Hæc poſterior pars aſſerti exponenda eſt, ut ſupra diximus *Dubio præcedente* §. 4. Nam obſervantia totius legis naturalis eſt de objecto naturali; ergo per ſe non requirit, niſi principium naturale.

Prior verò pars ex præcedent. Dubio conſtat. Nam ſub lege naturæ comprehenditur tanquam maximum, & primum, præceptum diligendi Deum auctorem naturæ ſuper omnia: ſed, ut vidimus, non poteſt ab homine lapſo diligi Deus auctor naturæ ſuper omnia ſinè gratiâ habituali; ergo &c.

Colligitur ex Concilio Milevitano, tùm *Can.* 3. ubi definit, gratiam, quâ juſtificamur, non ſolum valere ad remiſſionem peccatorum, quæ commiſſa ſunt; ſed eſſe adiutorium ad non peccandum. Tùm *Can.* 5 ubi anathemate ferit eum, qui dixerit, gratiam juſtificationis ideo nobis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs implere poſſimus per gratiam; tanquam, etſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſemus etiam implere divina mandata: atqui gratia juſtificationis, quâ remittuntur peccata, eſt gratia ſanctificans, ſeu habitualis; ergo hæc de facto eſt neceſſaria.

Idem colligitur ex Tridentino *Seſſ.* 6. *cap.* 11. dicente: *Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus:* Atqui filii Dei, qui diligunt Chriſtum, ſunt qui habent gratiam habitualem, quâ conſtituuntur filii Dei; ergo qui habent eam

eam, ii ſunt, qui ſervant mandata Chriſti.

Id eſt doctrina S. Auguſtini, *Tract.* 82. *in Joann.* ubi ad illa verba, Joan. 15. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea*, quærit: *Dilectio facit præcepta ſervare, an præcepta ſervata faciunt dilectionem?* Cui quæſito reſpondet ſic: *Sed quis ambigat, quòd dilectio præcedit: unde enim præcepta ſervet, non habet, qui non diligit*. Quibus verbis loquitur Auguſtinus de dilectione, quæ per fidem operatur, quæ procul dubio eſt ſupernaturalis, & proprietas gratiæ habitualis. Unde paulò poſt ſubjungit: *Quid eſt ergo: manete in dilectione mea, niſi manete in gratia mea?*

XXXII. Rationem quoque indicat S. Tho. hîc q. 109. a. 8. Nam hominem poſſe omnia præcepta naturalia ſervare, etiam quoad ſubſtantiam, eſt, poſſe omnia peccata mortalia vitare: ſed homo, niſi ſit in gratia, nequit ſaltem diu omnia peccata mortalia vitare; ergo &c. Maj. patet. Min. probatur. Ut homo poſſit diu omnia peccata mortalia vitare, oportet, ut ſic adhæreat Deo ultimo fini; ut pro nullo bono acquirendo, vel malo vitando, ab illo ſeparari velit: ſed qui eſt in peccato mortali, non ſic adhæret Deo, imò eſt à Deo averſus; ergo &c. Maj. prob. Si enim homo non ſic firmiter adhæreat Deo, ſi non timeat ab illo ſeparari, cùm multa occurrant delectabilia allicientia, propter quæ conſequenda neceſſe ſit, ejus præcepta contemnere, ut illis fruatur, ſtatim Deum derelinquet. Sicque impoſſibile erit, quòd averſus habitualiter à Deo, diu operetur conformiter ad Deum, quod requireretur, ut poſſet totam legem ſervare.

XXXIII. Confirmatur. Homo inclinatur ad operandum juxta præconceptum finem; ergo converſus per peccatum ad creaturam inclinatus eſt ad operandum juxta illam; ergo licèt aliquando poſſit operari, & non juxta illam, & ſic non peccare; impoſſibile tamen eſt, ſaltem viâ ordinariâ, ut diù operetur, & nunquam juxta talem finem, ſed ſemper juxta finem oppoſitum, & conſequenter, quòd ſervando omnia præcepta diù vitet peccatum. Hinc *Pſalm.* 34. *v.* 6. via peccatorum dicitur *tenebræ*, *& lubricum*. Sicut ergo qui per lubrica in tenebris incedit, facilè ruet, ſi non avertantur tenebræ: ita homo, qui per lubrica delectabilium graditur, niſi tenebræ peccati per gratiæ lumen diſſipentur, facilè ruet in peccatum. Et *Sicut fracto gubernaculo navis, non quò vult vadit, ſed quò tempeſtas impellit: ita homo gratiâ Dei deſtitutus in præcipitia peccatorum defertur*. Similitudo Chryſoſtomi eſt.

XXXIV. Urgetur etiam magis. Nam impoſſibile eſt, eſſe benè ordinatum circa media, qualia ſunt præcepta, & non eſſe benè ordinatum circa Deum, qui eſt ultimus finis eorum; quia media eliguntur propter finem, & ex amore efficaci finis: atqui ſinè gratiâ ſanctificante nullus eſt benè ordinatus circa Deum ultimum finem; ergo &c. Optimè igitur S. Auguſtinus *l. de Spiritu, & litt. c.* 26. docet, juſtificationem debere præcedere, ut homines totam legem obſervent: *Sic* (inquit) *intelligendum eſt, factores legis juſtificabuntur, ut ſciamus, eos aliter non eſſe factores legis, niſi juſtificentur: ut non juſtificatio factoribus accedat, ſed ut factores juſtificatio præcedat*. Et *l. de Catechizandis Rudibus c. ult.* de Dei lege ſcribit: *Quam non implet, niſi qui Dominum acceperit Spiritum Sanctum, Patri, & Filio utique æqualem*. Accipitur autem Spiritus Sanctus per gratiam habitualem, quando infunditur caritas.

XXXV. Dico ſecundò. In homine lapſo ad totius legis naturalis obſervantiam, præter gratiam habitualem, neceſſaria eſt ſpecialis gratia auxilians: quæ ratione ſubjecti aliquando debet eſſe ſupernaturalis, aliquando poteſt eſſe naturalis ordinis. Prior pars probatur. Nam impotentia moralis

ralis, quæ eſt in homine lapſo, & in peccato mortali exiſtente, ad implendam totam legem naturæ, non ſolum oritur ex rebellione mentis à Deo, ſed etiam ex rebellione, & pugna appetitus inferioris contra rationem: at licèt gratia habitualis mentem ſubjiciat Deo ultimo fini, rebellionem tamen appetitus contra rationem non tollit, ſed eam relinquit ad agonem, & meritum, ut docet Tridentinum *Seſſ.* 5. *de Pecc. origin.* & experientia ſatis oſtendit; ergo, præter gratiam habitualem, requiritur ſpecialis gratia auxilians, quâ tali rebellioni homo poſſit reſiſtere, impedimenta occurrentia ſuperare, & ſic totam legem ſervare.

XXXVI. Quòd verò auxilium hoc ſit ſpecialis gratia, probatur. Nam ſemper determinari ad bonum, & nunquam permitti peccatum tranſgreſſivum legis naturæ; dare vim ad ſuperandas graves tentationes, & plures mediocres, & leves, ſpecialis gratia eſt homini infirmo, & lapſo: ſed hoc totum importat obſervantia totius legis naturæ; ergo &c.

Hoc ſpeciale auxilium Apoſtolis ſuis, jam juſtis, & mundis, à Patre exorabat Chriſtus, Joann. 17. v. 11. *Pater ſanċte, ſerva eos in nomine tuo.* Hoc fatentur Patres Arauſicani II. Can. 10. *Adjutorium Dei renatis, & ſanċtis eſt ſemper implorandum; ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Hoc fatetur Innocentius I. in reſcripto ad Concilium Carthaginenſe dicens: *Adjutorio quotidiano nos egere, negare non poſſumus: hoc enim, ſeu benè vivimus, precamur, ut meliùs, ſanċtiùſque vivamus; ſeu pravè ſentientes à bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, ejus auxilio plus egemus.* Hoc idem S. Auguſt. paſſim inculcat, & præſertim *l. de Natura, & gratia c.* 26. ubi hac ſimilitudine utens: *Sicut enim* (inquit) *oculus corporeus, etiam pleniſſimè ſanatus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, reċte non poteſt vivere: ſanat ergo Deus, non ſolùm, ut deleat quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam, ne peccemus.*

XXXVII. Secunda pars, quòd nimirùm auxilium hoc, ratione ſubjecti, interdum ſit ſupernaturale, probatur. Nam Deus ſæpè non dat adimpletionem legis, niſi ipſum ſuper omnia diligenti, ut dictum eſt; neque illud confert, niſi Fidelibus fide orantibus, & petentibus: ſed ad hæc requiritur auxilium ſupernaturalis ordinis, ut patet etiam ex præcedente dubio; ergo &c.

XXXVIII. Tertia verò pars, quòd tale auxilium poſſit interdum eſſe naturalis ordinis prob. Quòd auxilium ad obſervantiam totius legis naturalis ſit ſupernaturale, non requiritur per ſe, & ex natura actus, vel objecti; ſed ratione ſubjecti, quod non poteſt legem implere niſi ſit in gratia, & caritate, vel quia ex motivo ſupernaturali eam implet: ſed nihil prohibet, quòd homo, jam exiſtens in gratia, ex motivo naturalis honeſtatis procedat ad totam legem impleudam; ergo &c Min. probatur. Habens gratiam, & caritatem non tenetur ſemper in exercitio iis uti, & ex eorum motivo procedere, quia habitibus utimur, cum volumus; ergo poteſt præcepta naturalia obſervare ex motivo naturali, & proinde ex ſolo auxilio ſpeciali naturalis ordinis, cum in hoc nulla ſit repugnantia: ad eum modum, quo ſupra diximus, hominem exiſtentem in gratia, & caritate poſſe non uti caritate, & diligere Deum, ut auctorem naturæ, ſuper omnia, cum ſolo auxilio ſpeciali intra ordinem naturæ.

XXXIX. Sed contra primam aſſertionem dices primò. Homo in ſtatu peccati mortalis obligatur ad ſervanda omnia præcepta legis naturalis; ergo ea obſervare poteſt: ſed huic deeſt gratia habitualis; ergo ſine illâ poteſt ea obſervare, quia obligatio ſupponit poſſe.

Reſ-

Reſpondeo ad min. ſubſumtam, quòd homo in peccato mortali exiſtens, etſi non habeat gratiam juſtificantem; habet tamen à Deo auxilia, quibus vel poteſt diſponi ad gratiam, vel ſaltem poteſt petere auxilia ad illam diſponentia: hæc enim omnibus à Deo concedi, oſtendimus *Tom.* 3. *in* 1. *p.* *Q.* 2. *de Volunt. Dei Dub.* 3. Quòd ſi noluerit petere, ſua culpa erit, quòd ſit privatus gratiâ habituali ad obſervantiam omnium mandatorum requiſitâ, & ei imputabitur, ſi non obſervet. Sed de hoc ſtatim dicemus.

XL. Dices ſecundò. Cum ſola gratia auxiliante poteſt homo lapſus omnia præcepta ſervare; ergo ſuperflua eſt gratia ſanctificans. Ant. probatur primò. Si Deus, quoties inſtat præceptum, conferat homini auxilium gratiæ, homo ſemper poterit illud ſervare — Secundò. Gratia habitualis datur præcisè ad hominem ſanctificandum, non ad operandum: ſed ad hoc datur gratia auxilians — Tertiò. Homo in ſtatu naturæ puræ ad ſervandam legem non eguiſſet gratia habituali, ſed ſolo auxilio ſpeciali; ergo neque in ſtatu naturæ lapſæ.

XLI. Reſpondeo, diſt. ant. Attentâ naturâ rei, co. ant. Attentâ præſenti Providentiâ, nego ant. Fateor, poſſe Deum abſolutè, & attentâ naturâ rei, hominem conſervare per longum tempus, vel etiam per totam vitam in obſervatione omnium mandatorum legis naturæ, quantùm ad ſubſtantiam, cum ſolo auxilio actuali, ſinè gratiâ juſtificante: juxta tamen præſentem legem, & providentiam neceſſaria eſt gratia juſtificans. Ut enim ex Scriptura, & Patribus vidimus, decrevit Deus, quòd homines redemti, à peccato priùs mundarentur; ut eum diligerent, & ex amore ad ipſum præcepta ejus tàm naturalia, quàm ſupernaturalia ſervarent: ut ſic legis obſervantia, utpote ex amore procedens, eſſet jugum ſuave, & pondus leve. Cujus divinæ diſpoſitionis ipſa experientia teſtis eſt: nemo enim uſque modo fuit, qui in peccato, & ſinè gratiâ exiſtens, totam ejus legem, ac mandata cuſtodierit; ut impleatur illud Joan. 14. v. 24. *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.*

Ad ſecundam probat. diſt. ant. Non ad operandum directè, conc. ant. Indirectè, velut removens prohibens, nego ant. Eſtò igitur gratia juſtificans non requiratur (ſicut auxilians requiritur) ad operandum directè, & per ſe; requiritur tamen, tanquam removens peccatum prohibens dilectionem, à qua in præſenti providentia debet incipere obſervantia legis, & per quam voluntas redditur firma ad operandum ſecundùm legem.

Ad tertiam nego conſeq. Nam impotentia ad obſervandam totam legem in ſtatu puræ naturæ, vel ſolùm proveniret ex pugna appetitus contra rationem: vel ſi etiam ei competeret ex averſione mentis à Deo, non tamen à Deo auctore ſupernaturali, ſed tantùm naturali. At in iſto ſtatu provenit etiam ex averſione à Deo auctore ſupernaturali: & quia hæc averſio in hac providentiâ auferri non poteſt, niſi per gratiam juſtificantem, qua tollatur peccatum; ideo in hoc ſtatu gratia juſtificans prærequiritur.

§. IV.

Quid dicendum de Statu Naturæ Integræ?

XLII. DIco. Homo in ſtatu naturæ integræ potuiſſet implere totam legem naturæ abſque ſpeciali gratia dante expeditionem virtutis. Facilè hoc probatur. Homo enim in illo ſtatu erat rectus, ratio ſubdita Deo auctori naturæ, & appetitus perfectè ſubjectus rationi; ergo in illo ſtatu ex parte actus primi habebat expeditionem ad implendam totam legem, & diu non peccandum. Conſ. prob. Tota enim ratio, quare homo lapſus ſit impotens, & inexpeditus in

actu

actu primo ad impletionem totius legis, eſt deordinatio à Deo ex peccato, & rebellio appetitus.

XLIII. Si dicas primò. Potuiſſe tunc hominem affligi gravioribus tentationibus, præſertim ſuperbiæ, ratione excellentiæ illius ſtatus, quàm nunc patiatur ex rebellione appetitus; ergo tunc eguiſſet auxilio gratiæ ad eas vincendas.

Secundò. De facto Adamus in ſtatu innocentiæ tranſgreſſus fuit præceptum de non comedendo fructu vetito, quod erat præceptum naturale; ergo ſignum eſt, eum indiguiſſe gratiâ ſpeciali ad illud implendum.

XLIV. Reſpondeo ad primum, neg. antec. Excellentia enim ſtatus non arguit majores tentationes: quia in tali ſtatu habuiſſet perfectius lumen, & promtiorem voluntatem ad ſe ſubjiciendum Deo. Sed adhuc dato, quòd in illo ſtatu ſubditus fuiſſet tentationibus, diſt. conſ. Eguiſſet auxilio gratiæ dante efficaciam, & actum, conc. conſeq. Dante expeditionem virtutis, nego conſeq. Eguiſſet igitur gratiâ, non dante expeditionem virtutis, hanc enim habebat ratione ſtatus: ſed dante efficaciam ad actum, non ut poſſet agere, ſed quâ de facto ageret, quod Auguſtinus vocat adjutorium *quo*.

Ita reſpondeo ad ſecundum. Adamus enim tranſgreſſus fuit præceptum, non ex defectu gratiæ dantis expeditionem virtutis, ſed gratiæ dantis efficaciam ad actum, ſeu adjutorii *quo*. Quod ſolùm evincit, hominem etſi ad agendum expeditum, egere ulteriori dono Dei ad defacto benè agendum. Vid. Auguſt. *l. de Correp. & grat. c.* 11.

XLV. Quòd ſi quæras: an gratia, quæ defuit Adamo, fuerit gratia ſpecialis? — Reſpondeo, fuiſſe gratiam ſpecialem, & indebitam. Verùm dato, quòd non foret ſpecialis, & eam potuiſſet Deus conferre Adamo ex generali providentia: tamen ad diu benè operandum, ſi in integritate perſeveraſſet, & per longum tempus ſervanda præcepta naturalia, quæ ipſe, ejuſque poſteri tranſgredi poterant (non enim fuiſſent in gratia confirmati, ut vidimus *Tom. 6 in* 1. *p. q.* 3. *Dub.* 5. §. 2.) indiguiſſent ſpeciali auxilio; non quidem dante expeditionem, ſed dante actualem obſervantiam præceptorum. Et ratio eſt: quia indifferenti aliqualiter ad bonum, & ad malum, ſeu expedito ad utrumque, non debetur ſemper applicatio ad bonum; ſed ipſi connaturale eſt, aliquando applicari ad bonum, & aliquando permitti malum.

XLVI. Ex his diſcere poteris, diverſimodè hominem lapſum egere gratiâ ſpeciali ad obſervantiam mandatorum, ac eguiſſet homo in ſtatu integritatis ad diu benè operandum. In ſtatu enim lapſus, præter gratiam Dei moventis, & dantis actum, eget gratiâ dante expeditionem virium, & ſanante: ita ut homo lapſus ex propriis viribus ſit inexpeditus, & impotens impotentiâ etiam antecedenti, vel phyſicâ, vel ſaltem morali. In ſtatu verò integritatis indiguiſſet ſolùm aliquando, & non ſemper, gratiâ ſpeciali; non quidem dante expeditionem, fuiſſet enim ſemper expeditus: ſed gratiâ ſolùm Dei moventis, ſeu dantis actualem obſervantiam. Unde S. Tho. hâc qu. 109. a. 3. *Homo* (inquit) *in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis, ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia, licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis: ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam ſanantis*. Quod de obſervantia mandatorum repetit *art.* 4. ſequente.

§. V.

Quid dicendum de Præceptis Supernaturalibus ſive quoad Subſtantiam, ſive quoad Modum?

XLVII. Dico. Neque in ſtatu naturæ integræ potuit, neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo

Digitized by Google

homo ſervare ullum præceptum ſupernaturale, quoad ſubſtantiam, ſinè gratiâ ſupernaturalis ordinis; uti nec ullum naturale ſecundùm modum, quo ad veram coram Deo juſtitiam, & ſpiritualem animæ ſalutem ordinatur.

Prior pars eſt de fide contra Pelagium. Et probatur. Quia præcepta ſupernaturalia, quoad ſubſtantiam, ſunt de objecto ſupernaturali, & nequeunt impleri, niſi per actus ſupernaturales: ſed actus entitativè ſupernaturales, quia de objecto ſupernaturali, nequeunt elici à potentia, niſi auxilio ſupernaturali per ſe influente roboretur, quia potentia naturalis ſinè auxilio ſupernaturali actus ſupernaturales non continet; ergo &c. Maj. patet in præceptis fidei, ſpei, & caritatis, quorum objectum eſt Deus ut auctor ſupernaturalis: fidei quidem, ut prima veritas in dicendo, ſpei in ratione auxiliantis, & caritatis in ratione ſummi boni in ſe.

XLVIII. Confirm. primò. Præceptum ſupernaturale credendi nequit impleri, niſi per actum fidei divinæ; aliàs hæreticus non habens fidem divinam poſſet implere præceptum fidei, quoad ſubſtantiam: ſed actus fidei divinæ, utpote ſupernaturalis, nequit haberi per vires naturæ; ergo &c.

Confirm. ſecundò. Præceptum credendi &c. obligat ad credendum &c. prout oportet ad ſalutem; quia talia præcepta dantur de mediis neceſſariis ad ſalutem: ſed hoc modo credere &c. non poteſt homo viribus propriis, niſi gratiâ adjuvetur, ut ſtatuunt Concilia Arauſicanum II. *Can.* 25. & Tridentinum *Seſſ. 6. Can.* 3. ergo &c.

XLIX. Poſterior etiam pars, quæ non minùs certa eſt, & ſi non immediatè, mediatè ſaltem ad fidem pertinens, traditur à D. Thom. *hoc a.* 4. ubi poſtquam dixit, præcepta naturalia impleri poſſe, quoad ſubſtantiam, & *quoad modum agendi, ut ſcilicet ex caritate fiant*; ſubjungit: *Et ſic neque in ſtatu naturæ integræ, neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo implere abſque gratia legis mandata. Unde Auguſtinus in lib. de Corrept. & grat. c.* 2. *cùm dixiſſet, quòd ſinè gratiâ nullum prorſus bonum homines faciunt, ſubdit:* Non ſolùm, ut, monſtrante ipsâ, quid faciendum ſit, ſciant; verùm etiam, ut, præſtante ipsâ, faciant cum dilectione quod ſciunt.

L. In hoc ſenſu Patres Arauſicani *Can.* 7. interpretati ſunt illud Jonn. 15. v. 5. *Sinè me nihil poteſtis facere*: ideſt, nihil ad ſalutem pertinens. Et illud 2. Cor. 3. v. 5. *Non quòd ſufficientes ſimus, cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Nam modus operandi in ordine ad ſalutem, dirigendo opus per caritatem ad vitam æternam, excedit omnes vires creaturæ; quæ, niſi elevetur per gratiam, nec de ſalute æterna poteſt cogitare.

LI. Sed dices contra primam partem primò. Eſtò præcepta ſupernaturalia, quæ dantur de actibus internis, non poſſint impleri ſinè auxilio ſupernaturali, benè tamen præcepta, quæ dantur de actibus externis.

Nego tamen aſſumtum. Quia ſicut omiſſio actus interioris fidei, quando inſtat præceptum de tali actu, opponitur fidei theologicæ; ita & omiſſio exterioris confeſſionis: & ſicut credere, quæ fides docet, ita ea exteriùs confiteri, à fide eſt. Et rurſus: ſicut credere, ut eſt neceſſarium ad ſalutem, cadit ſub præcepto fidei; ita etiam confeſſio fidei, ut ore fit ad ſalutem: ut enim ait Paulus, Roman. 10. v. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Tam ergo ſupernaturale eſt præceptum de externa fidei confeſſione, quam de actu interno credendi, & utrumque ad ſalutem tendit, ergo utrumque, ut impleatur, requirit auxilium ſupernaturale, cùm utrumque ad fidem divinam ſpectet.

LII. Dices ſecundò. Poteſt Gentilis, vel hæreticus non habens habitum fidei theologicæ credere, & exteriùs confiteri aliquod myſterium, & ſaltem quoad ſubſtantiam ſatisfacere præcepto,

cepto; ergo &c. Ant. probatur. Præcepta naturalia, quæ dantur de actibus virtutum, adimpleri poſſunt, quoad ſubſtantiam, per actus ſive internos, ſive externos, quamvis non procedant ab habitu illius virtutis, neque ſecundùm modum virtutis: poteſt enim quis non habens habitum miſericordiæ, aut juſtitiæ, largiri eleemoſynam, & reddere alteri quod ſuum eſt, & implere præceptum; ergo à pari poteſt quis &c.

LIII. Reſpondeo, diſt. ant. Non habens habitum fidei, habens tamen auxilium ſupernaturale &c. admitto ant. Non habens nec habitum fidei, nec auxilium ſupernaturale, nego ant. Neque oppoſitum ſuadent allata exempla. Imò ſicut actus miſericordiæ, & juſtitiæ factus ab eo, qui nondum habet habitum illarum virtutum, eſtò non procedat à virtute miſericordiæ, & juſtitiæ, procedit tamen ab auxilio Dei ordinis naturalis: ita actus fidei, ut ſaltem naturâ antecedit habitum fidei, ut ſit impletivus præcepti, eſtò non procedat ab habitu fidei, procedere tamen debet ab auxilio ſupernaturali Dei.

LIV. Sed inſtabis. Si quis inſtante præcepto fidei credat, ſed ex inani gloria, verè implet præceptum fidei: ſed actus ille, utpote vitioſus, nec procedit ab habitu fidei, neque ab auxilio ſupernaturali; ergo &c.

Confirmabis. Homo in peccato mortali exiſtens poteſt ſuſcipere Baptiſmum, & facere Confeſſionem informem: & ſic, eſtò non ſuſcipiat gratiam, implere præceptum Baptiſmi, & Confeſſionis, quantùm ad ſubſtantiam, per vires naturales abſque auxilio ſupernaturali, quod ad tales actus, utpote peccaminoſos, dari non poteſt.

LV. Reſpondeo, diſt maj. Si inanis gloria ſit motivum adæquatum credendi, nego maj. Si ſit merè concomitans actum credendi, con. maj. Aliquem ergo credere ex inani gloria, vel alio motivo humano, contingere poteſt dupliciter. Uno modo, ita ut adæquata ratio credendi ſit inanis gloria, non quia Deus dicit: & hoc modo non implet præceptum fidei. Alio modo, ut ratio credendi ſit quidem, quia Deus dicit, & proinde ſupernaturalis, eam tamen circumſtantia inanis gloriæ concomitetur: & in hoc caſu implet præceptum fidei per auxilium ſupernaturale datum ad actum fidei, non ad circumſtantiam inanis gloriæ illum vitiantem.

LVI. Ad Confirm. concedo, quòd homo in peccato mortali exiſtens poteſt ſuſcipiendo Baptiſmum, vel faciendo Confeſſionem informem (ſi tamen ſit valida) implere præceptum de utroque: quia, eſtò peccet, peccat quidem contra præceptum religionis, quo obligatur dignè facere, quæ pertinent ad cultum Dei; non tamen contra præceptum ea Sacramenta ſuſcipiendi. At nego, quòd ea præcepta impleat abſque auxilio ſupernaturali Dei. Sicut enim nequit homo velle Sacramenta conficere, niſi à Deo moveatur per auxilium ſupernaturale; ita nequit velle ea ſuſcipere, quia nequit ſuſcipere ſine intentione ea ſuſcipiendi: quæ certe ſupernaturalis eſt, & ab auxilio ſupernaturali eſſe debet — Neque ſequitur, Deum auxilio ſuo concurrere ad peccatum indignè ſuſcipientis. Quia in ſuſceptione indigna Baptiſmi duo ſunt: & intentio ſuſcipiendi Baptiſmum, & implendi præceptum, & indigna ſumtio. Ad primam Deus auxilio ſuo concurrit; ad ſecundam ſola malitia ſumentis. Quemadmodum in actione Sacerdotis ſacrilegè conſecrantis duo ſunt: & actio conſecrativa, & ſacrilegium. Deus ergo auxilio ſuo ſupernaturali concurrit ad actionem quatenus conſecrativam, non verò quatenus ſacrilegam. Nota tamen, præcepto Communionis annuæ non ſatisfieri per ſacrilegam Corporis Domini manducationem. Oppoſitum enim damnatum fuit ab Innoc. XI. *Propoſit.* 55. 2. Martii 1679.

§. VI.

§. V I.

Sintne aliqua Præcepta, quæ nec per Dei Gratiam impleri poſſint in hac Vitâ?

LVII. ESſe aliqua, contendunt hæretici Lutherus, Calvinus, & alii ejuſdem furfuris, quibus acceſſerunt Bajus, & Janſenius. Lutherum, & Calvinum damnavit Tridentinum *Seſſ. 6. Can.* 18. his verbis: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit*. Bajum proſcripſit S. Pius V. cenſurâ notando ejus propoſitionem *num.* 54. quæ talis erat: *Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit*. Janſenium verò Innocentius X. anno 1653. cujus primam hanc propoſitionem damnavit: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant*. Conſimiles propoſitiones confixit in Queſnellio Clemens XI. Conſtit. *Unigenitus*.

LVIII. Dico ergo. Ad fidem pertinens eſt, nulla eſſe præcepta, quæ ab homine in hac vitâ non poſſint impleri per gratiam. Hanc veritatem ſtatuimus, tùm *Tom.* 3. *in* 1. *p. q.* 2. *de Volunt. Dei Dub.* 3. §. 3. *à nu.* 14. & toto §. 7. Aliqua etiam diximus *Dub. præſenti nu.* 17. quò meum Candidatum remitto.

Prædictis tamen ad præſens addi poteſt, quòd Chriſtus, *Matth.* 11. *v.* 30. invitans omnes ad tollendum jugum ſuum, ait: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Quomodo autem eſſet jugum ſuave, & onus leve, ſi aliqua imponeret præcepta, quæ non poſſent impleri ab iis, quibus dantur? Deinde: ſi Deus Ezech. 36. v. 27. *Spiritum* (inquit) *meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini*: vel Deus in ſuis promiſſis non eſt fidelis, & verax, quod nefas eſt cogitare: vel per Dei gratiam omnia ejus præcepta poſſunt impleri. Hinc David *Pſalm.* 118. *v.* 32. generaliter dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*. Et v. 167. *Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer*. Et v. 168. *Servavi mandata tua, & teſtimonia tua*.

LIX. Audiendus eſt S. Auguſt. *lib. de Nat. & gratia cap.* 69. dicens: *Eo ipſo, quo firmiſſimè credimus, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus: omnia quippe fiunt facilia caritati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt, aut ea una eſt ſarcina ipſa, quæ levis eſt. Secundùm hoc dictum eſt: Et præcepta ejus gravia non ſunt; ut, cui gravia ſunt, conſideret, non potuiſſe divinitus dici, gravia ſunt, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui gravia non ſunt, & petat, quo deſtituitur, ut impleat, quod jubetur*. Unde c. 43. dixerat: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*: quæ ex Auguſtino deſumſit Trident. *Seſs.* 6. *cap.* 11. addens: *Et adjuvat, ut poſſis*.

LX. Ratio autem eſt. Cùm enim Deus puniat omnem voluntariam mandatorum ſuorum tranſgreſſionem; impium foret exiſtimare, Deum punire eum, qui mandata ejus non obſervavit, quia obſervare non potuit.

LXI. Quoniam verò Sectarii præcipuam difficultatem moveni de duobus præceptis, nempe, iſto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, & iſto: *Non concupiſces*. De primo poſſe impleri per gratiam, oſtendimus præcedenti Dubio. De ſecundo alibi à nobis oſtenſum eſt, motus concupiſcentiæ prævenientes, & omnino involuntarios non eſſe peccata, nec prohibita præcepto: *Non concupiſces*: ideo-

que hominem eos ſentientem, ſed non conſentientem, legis prædictæ non debere pronuntiari tranſgreſſorem. Quemadmodum enim Deus homini non præcipit, ut faciat, quod facere non poteſt: ita neque prohibet id, quod vitare, etſi maximè velit, omnino non valet. Impediunt quidem hi motus, ne omni modo, ex corde toto; non tamen efficiunt, ut ea, quæ de diligendo Deo lex eſt, non veraciter impleatur: caritas enim, quam ſecum conſiſtere patitur, etſi violenta carnis rebellio, idcirco etiam legis plenitudo dicta eſt, quòd per eam divina lex impleatur. Unde meritò à S. Pio V. damnatus eſt articulus 75. *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati prohibiti praecepto:* Non concupiſces. *Unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſgreditur praeceptum:* Non concupiſces, *quamvis tranſgreſſio peccatum non deputetur*. Et 76. *Quamdiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit praeceptum:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

LXII. Nec obſtat, hoc axioma: Deum impoſſibilia non præcipere, fuiſſe familiare Pelagio, & Pelagianis. Nam Pelagius, & Pelagiani, & abutebantur ad ſuæ hæreſis confirmationem; & ut perſuaderent, omnia præcepta legis poſſe per ſolas vires liberi arbitrii adimpleri: cùm nos dicamus, impleri quidem poſſe, ſed divinæ gratiæ adjutorio. Hinc Beda *l. 1. in Cantica* contra Julianum Pelagianum ait: *Quod dicit, Dominum non impoſſibile aliquid præcepiſſe, qui juſtus eſt, verum profectò dicit, ſi ad ejus reſpicit auxilium, cui Catholica vox ſupplicat:* Deduc me in ſemitas mandatorum tuorum. *Si verò viribus animi ſui fidit, refellit eum veridica ejuſdem juſti Conditoris ſententia, qua dicit:* Sinè me nihil poteſtis facere.

LXIII. Objiciunt Petrum, *Actor. 15. v. 10.* de jugo legis dicentem: *Quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus.* Item Paulum *Rom. 7. v. 18.* ubi ait: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.*

LXIV. Sed ad primum dico, Petrum non ſignificare impoſſibilitatem legis ſervandæ, ſed difficultatem, quâ non obſtante multi, etiam ante Chriſti adventum, eam ſervarunt.

Ad ſecundum jam alibi dixi, quomodo exponendus ſit Paulus. Modo addo, ſenſum ejus eſſe hunc: habeo quidem (etſi non ex me, ſed ex divino munere) voluntatem non patiendi, neque ſentiendi pravos concupiſcentiæ motus: ſed velim, nolim, eos patior; & ſic non invenio, me (tametſi divinâ gratiâ adiutum) poſſe totum illud bonum perficere, quod benè vellem. In hoc tamen non peccabat Paulus. ſed in hac infirmitate virtus ejus perficiebatur. Unde roganti ipſi, ut à ſtimulo carnis ſuæ Angelo Satanæ eum colaphizante liberaretur, *2. Cor. c. 12. v. 9.* reſpondit Dominus: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.*

DUBIUM VIII.

An ſit neceſſaria Gratia ad Victoriam Tentationum?

§. I.

Aliqua ſupponuntur.

I. Suppono primò: tentationem nil aliud eſſe, quàm motivum ſolicitans, ac inducens ad malum, vel retrahens à bono; quod ex triplici cauſa poteſt occurrere: nempe, ex ſuggeſtione Dæmonis, ex inclinatione appetitus, & ex occaſionibus, quæ in humano convictu ſeſe offerunt. Et hi ſunt tres humani generis hoſtes, vulgo dicti Dæmon, Caro, & Mundus.

II. Suppono ſecundò: quaſdam tentationes eſſe graves, magnas, vehementes, & difficilis repreſſionis; alias leves, parvas, parum urgentes, & facilis repreſſionis. Primi generis ſunt,

Digitized by Google

ſunt, quæ vel multùm durant, vel multùm impellunt; quia ſunt de objecto valdè alliciente ad ſui proſecutionem, & ad quod tentatus valdè eſt propenſus, vel ex complexione, vel ex habitu. Secundi generis ſunt, quæ vel parùm durant, vel non multum alliciunt. Ad cognoſcendum autem, quæ ſit gravis, quænam verò ſit levis tentatio, nulla certa regula præſcribi poteſt: nam quæ reſpectu unius eſt gravis, poteſt eſſe levis reſpectu alterius. Quare ad formandum judicium de gravitate, vel levitate tentationis, attendendum eſt ad circumſtantias, & præcipuè perſonæ, quæ tentatur.

III. Suppono tertiò: tripliciter poſſe vinci tentationem. Primò: ex fine pravo; ut ſi quis vincat tentationem luxuriæ ex avaritia, aut gulæ ex inani gloria. Quo pacto multi Ethnici tentationes ad vitia habentia turpitudinem ex gloriæ cupiditate vicerunt, & alia multa graviora, & difficillima ſuperarunt: & ad vincendam tentationem ex hoc fine, certum eſt, gratiam neceſſariam non eſſe; cùm hæc non ſit bona, & vera victoria: quoniam *carnalis cupiditas, quâ peccatum commutatur potiùs, vel augetur, cupiditate aliâ non ſanatur*, ut ait Auguſt. *l. 3. contra duas Epiſt. Pelagian. c. 4.* & ita vincens non vincat, niſi ab alio peccato victus. Unde Proſper *Carmine de Ingratis* de eo dicit: *In vulnera vulnere ſurgit:* hoc eſt unum peccatum vincit altero peccato. Nec tàm ipſe homo vincit peccatum, quàm unum peccatum vincat aliud; ideoque ad eiuſmodi falſam victoriam nec gratia, nec auxilium Dei concurrunt; cùm Deus neminem adjuvet ad peccandum.

Secundò: victoria tentationis contingere poteſt ex amore Dei, & caritate: & hoc modo certum eſt, non poſſe vinci ſinè ſpeciali gratiâ. Victoria enim hoc modo confert ad ſalutem. In negotio autem ſalutis: *Solâ, quæ per Chriſtum eſt, gratiâ homines liberantur à malo, & ſinè eâ nullum prorſus, ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt bonum*, ut ait Auguſt. *l. de Corrept. & gratia c. 2.* Et in hoc ſenſu intelligendum eſt illud Pſalm. 117. v. 13. *Impulſus, everſus ſum, ut caderem, & Dominus ſuſcepit me*. Pſalm 17. v. 30. *In te eripiar à tentatione*. Et Matth. 6. v. 13. *Ne nos inducas in tentationem*.

Tertiò modo poteſt vinci tentatio ex fine, vel motivo naturalis honeſtatis virtutis, & odio turpitudinis peccati, non tamen ex amore Dei, nec cum proventu, aut lucro animæ; ita ut talis victoria ad ſalutem animæ, aut juſtificationem nec proximè, nec remotè conducat, aut diſponat. Et in hoc ſenſu Dubium procedit.

IV. In hoc Vazquez, & omnes illi, qui tenent, abſque auxilio ſpeciali gratiæ nullum prorſus opus moraliter bonum poſſe effici ab homine lapſo; conſequenter dicunt, nullam tentationem, quamvis leviſſimam, poſſe ab eo vinci ſinè ſpeciali gratiæ auxilio. Qui verò affirmant, hominem lapſum ſinè ſpeciali auxilio gratiæ poſſe aliquod opus bonum morale facere; ſuſtinent, poſſe etiam ſinè ſpeciali auxilio aliquam tentationem levem ſuperare, non tamen gravem.

§. II.

Prima Reſolutio.

V. Dico primò. Contingere poteſt, quòd homo lapſus ſinè auxilio ſpeciali gratiæ, cum ſolo auxilio generali Dei moventis, aliquam levem tentationem ſuperet. Prior pars ex dictis ſuperiùs ſequitur: Docuimus enim, naturam hominis non eſſe ita corruptam, & liberum arbitrium non eſſe ita extinctum, quin aliquando ſuis viribus aliquod bonum morale facere, & aliquod præceptum naturale ſervare poſſit; ergo etiam poterit aliquam levem tentationem vincere. Conſ. prob. Dum enim voluntati proponi-

ponitur judicio indifferente aliquid faciendum; non ſolùm ei proponitur bonum, ſed etiam repræſentatur malum, & utrumque, ut ſibi conveniens, & aliquomodo alliciens; ergo dum voluntas relicto malo proſequitur bonum, aliquam ſaltem levem tentationem vincit; ergo ſi aliquando bonum operari poteſt ſinè gratiâ, poterit etiam aliquando vincere tentationem levem ſinè gratiâ.

VI. Secundò probatur. Neque eſt ſpecialis gratia, quòd una, vel altera tentatio levis ſit: neque eſt ſpecialis gratia, quòd aliquando vincatur, ſuppoſito, quòd levis ſit; ergo &c. Ant. pro prima parte probatur. Non eſt connaturale homini etiam lapſo, quòd objecta delectabilia ipſum ſemper nimis alliciant, quòd ex humorum commotione ſemper graviter moveatur, & quòd Deus ſemper permittat, hominem à Dæmone tentari: ſed potiùs cùm in eo inclinatio ad bonum honeſtum non ſit prorsùs extincta, convenit, ut objecta ſenſibilia minùs moveant, ac minùs repugnent rationi, in iis præſertim actibus, ad quos homo eſt naturaliter propenſus, ut honorare Parentes, vel dare eleemoſynam extremè indigenti, qui actus facilè, & cum magna delectatione ſæpe fiunt. Et licèt homo in pœnam tentetur à Dæmone; ad ſuavem tamen Dei providentiam pertinet, quòd non ſemper reſpiciat ad hominis indignitatem, ſed aliquando concedat, tentari ſolùm leviter; ergo non eſt ſemper ſpecialis gratia, quòd tentatio ſit levis.

Secunda autem pars prob. Indifferenti, & expedito ad bonum, & malum, & potiùs aliqualiter inclinato ad bonum, debetur, ut non ſemper permittatur malum; ſed potiùs connaturale videtur, ut aliquando determinetur ad bonum, & aliquando permittatur malum: ſed homo lapſus, etiam leviter tentatus, manet indifferens ad bonum, & malum, & aliqualiter inclinatus ad bonum; ergo &c.

Et confirmatur. Quia infirmitas naturæ lapſæ tollit quidem potentiam expeditam ad opus difficile, quod eſt proprium hominis ſani, non tamen ad opus facile, ut vidimus: ſed vincere levem tentationem eſt opus facile; ergo &c.

Hinc S. Pius V. inter propoſitiones Baii damnavit hanc, *num.* 30. quâ negabat: *Tentationi ulli ſinè gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea ſuperetur*. Ex quo conſtat, liberum arbitrium alicui tentationi reſiſtere poſſe ſinè gratiæ Chriſti adjutorio, ſic ut non inducatur in tentationem, neque ab ea ſuperetur, eſſe doctrinam catholicam.

VII. Huc etiam pertinet, quòd S. Auguſtinus *l.* 1. *de Peccat. meritis c.* 22. agnoſcit hominem à pueritia modeſtiorem, ingenioſiorem, temperatiorem, magna ex parte libidinum victorem, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad cæteras virtutes pronior, aptiorque conſiſtat: & tamen eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit. Loquitur enim de illo, qui ſinè fide, & fidei voluntate, imò & ſinè cognitione, ſinè ſpeciali gratiâ operatur; ergo iſte poterit ſinè ſpeciali gratiâ aliquam levem tentationem vincere, & opus bonum facere.

VIII. Quòd verò ſinè auxilio Dei moventis nemo poſſit, (quæ eſt altera Aſſertionis pars) conſtat. Quia levem aliquam tentationem vincere, eſt quoddam bonum morale: ut autem docet S. Tho. hâc *q.* 109. *a.* 2. & reliquis, nullum bonum morale fieri poteſt abſque Dei primæ cauſæ, & primi motoris auxilio.

IX. Sed objicies primò. Scripturam, Concilia, & Patres victoriam tentationum ſoli divinæ gratiæ tribuere: Scripturam quidem. Nam *Pſalm.* 17. *v.* 30. dicitur: *In te eripiar à tentatione*. Pſalm. 117. v. 13. *Impulſus, everſus ſum, ut caderem, & Dominus ſuſcepit me*. Matth. 26. v. 41. *Orate,*

ut

ut non intretis in tentationem. Concilia etiam. Nam Arauſicanum 2. Can. 9. *Divini* (inquit) *muneris eſt, cum rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitiâ continemus*. Et in Concilio Palæſtino, apud Dioſpolim, cogitur Pelagius retractare capita errorum ſuorum, quorum undecimum erat hoc: *Et victoriam noſtram non eſſe ex Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio*. Retractatio autem hæc erat: *Ut fateatur, quando contra tentationes, concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis, & illic propriam habemus voluntatem, non tamen ex illa, ſed adjutorio Dei, noſtram provenire victoriam*. Multa etiam Pontificum teſtimonia, & Patrum profert Ivenin *Tom. 5. Inſt. Theol. part. 6. diſſert. 1. de Gratia Actuali c. 5.* quibus conatur oſtendere, ad omnes omnino tentationes, etiam leves, ſuperandas requiri gratiæ adjutorium.

X. Reſpondeo, omnia præfata teſtimonia, tùm Scripturæ, tum Conciliorum, tùm Pontificum, & Patrum exponenda eſſe, vel non de una, aut alterâ levi tentatione; ſed de omnibus, aut ſaltem de pluribus, & per longum tempus, quod etiam nos concedimus: vel de vehementioribus, & magnis: vel de quarumcumque victoria cum animæ proventu: vel tandem de victoria, nedum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, nempe, procedentem ex caritate. Concilia enim, & Pontifices, ac Patres procedebant contra errores Pelagii, qui gratiæ neceſſitatem negabat etiam ad victoriam tentationum conducentem ad animæ proventum, & ſalutem æternam. Nos autem loquimur de victoria levis tentationis ex motivo, honeſto quidem, ſed naturali. Et hoc ſuſtinemus; ne, dum à Pelagii errore volumus extricari, incidamus in errorem oppoſitum Baii, liberum arbitrium ſpoliantis omnibus viribus ad operandum bonum, & reſiſtendum malo, qui, ut vidimus, damnatus fuit. — Nec dicat Ivenin, quòd Concilia &c. indefinitè dicunt, victoriam tentationum eſſe à Deo, & conſequenter omnium; quia propoſitio indefinita æquivalet univerſali. — Nam indefinitè quidem loquuntur, ſed in determinata materiâ, nempe, de victoria cum animæ proventu ad ſalutem: unde ſequitur quidem, omnem victoriam hoc modo reportatam eſſe ex ſpeciali gratia, non autem omnem omnino. Etenim etiam dicunt cum Scriptura, omne bonum de ſurſum eſſe, ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe: & tamen ipſe Ivenin, citato loco *cap. 1. a. 2.* concedit, hominem lapſum poſſe ſinè gratiâ opus aliquod referre ad finem honeſtum, licet perrarò. Cur ergo dici non poterit, poſſe etiam aliquando, & raro levem aliquam tentationem ſinè gratiâ ſuperare? — Idcircò à Deo petimus victoriam tentationum, etiam levium: quia aliquando vincere tentationem levem, eſtò non ſit ſpecialis gratia naturæ; quòd tamen hic homo lapſus, in hac occaſione, levem ſolùm patiatur tentationem, vel illam vincat, ſpecialis gratia eſſe poteſt huic individuo, ut ſupra diximus de actu bono facili: & ideo Deum rogamus.

XI. Objicies ſecundò, & replicabis. Quòd non omnis tentatio ſit gravis, ſed aliqua levis, ſpecialis gratia eſt; ergo &c. Ant. prob. ex Patribus ponderantibus inſidias Diaboli, qui totis viribus conatur ad hominis perditionem, & contra quem nobis continuò pugnandum eſt; cui certè ſemper ſuccumberemus, niſi divina gratia præſtò foret. Quòd ſi aliquando non graviter, ſed leviter tentet, meritis Chriſti adſcribendum eſt; qui Dæmonem ligavit, ne ſemper tentet, & ne quoties tentat, graviter tentet.

XII. Reſpondeo, diſt. ant. Specialis gratia eſt huic, vel illi individuo, conc. antec. Naturæ humanæ ſemper, nego ant. Quòd enim ego potiùs, quàm alter levi tentatione pulſer, & eam vincam, mihi certè gratia eſt ſpecialis. At quòd natura humana, viribus quidem ad bonum infirmata, ſed non peni-

penitus deſtituta in aliquo ſuo individuo, & aliquando tentatione ſolùm levi impetatur, & eam vincat, connaturale, & debitum eſt, non gratioſum; ſicut etiam, quòd in aliquo ſuo individuo aliquod opus bonum operetur. Ad probat. dato, quòd omnis pugna noſtra ſit contra Diabolum, cum ſæpè homo tentetur à concupiſcentia ſuâ, ut ait S. Jacobus *cap.* 1. *v.* 14. quæ non ſemper graviter tentat, concedo, quòd Diabolus, ſi ſibi relinqueretur, ſemper graviter nos tentaret; ſed hoc ſibi non ſemper à Deo permittitur, imò interdum coercetur: quæ Diaboli refrænatio, eſtò ex meritis Chriſti ſit, ad providentiam tamen generalem ſpectat. Suppoſito enim, quòd Deus hominem punire noluerit tantâ pœnâ, ſed illi juxta ſuam debilitatem providere, & ipſius Dei bonitatem; connaturale eſt, quòd aliquando pugna vel ceſſet, vel pugna ſit levis. Sicut ſuppoſito, quòd Deus noluerit, hominem ob peccatum annihilare; ad providentiam generalem pertinet, quòd ipſum conſervet.

XIII. Objicies tertiò. Indifferenti, ut tali, non debetur unum extremum præ alio, maximè ſi ad unum magis propendat: ſed homo, leviter tentatus, indifferens eſt ad vincendum, & ſuccumbendum, imò pronior ad ſuccumbendum; ergo ei non debetur auxilium ad vincendum.

Addo: quòd ſi ei deberetur, non poſſet abſque injuria denegari: ſed homini, leviter tentato, ſæpè ſinè injuriâ negatur, cùm de facto ſuccumbat, quin Deo imputetur ejus lapſus; ergo &c.

XIV. Reſpondeo, diſt. maj. Non debetur in omni individuo, & in omni occaſione, co. maj. Non debetur naturæ in aliquo individuo, & aliquâ occaſione, nego maj. Et ſimiliter diſt. conſ. Ut ergo dicebamus, auxilium ad vincendum potiùs, quàm ſuccumbendum tentationi, eſtò ſit ſpecialis gratia huic individuo, & in hac occaſione; eſt tamen debitum naturæ humanæ, cui debetur aliquando vincere, & non ſemper ſuccumbere: & licèt ratione corruptionis aliquam contraxerit pronitatem ad malum, retinet tamen indifferentiam, & inclinationem ad bonum. Quod exemplo firmatur: nam quòd aliquis homo gaudeat bono ingenio, & firmâ valetudine; ſpecialis gratia eſt individuo præ altero, cui non confertur: quia tamen ad generalem Dei providentiam pertinet providere, ut natura humana in aliquo ſuo individuo talibus donis fruatur; ideo naturæ humanæ ſpecialis gratia non ſunt.

Ad id, quod additur, dico, quod cui debetur, nunquam negatur; debetur autem naturæ humanæ in aliquo individuo vagè, & aliqua occaſione, & hoc nunquam negatur. Si autem negetur huic individuo, non fit injuria, quia illi non debetur: & ſi huic negetur, alteri tamen, vel illi in altera occaſione conceditur.

§. III.

Poſterior Reſolutio.

XV. Dico ſecundò. Homo lapſus non poteſt ſinè ſpeciali gratiâ facta, nedum individuo, ſed naturæ vincere gravem tentationem. Hanc veritatem probant primò omnes auctoritates Scripturæ, Conciliorum, Pontificum, & Patrum, quas Adverſarii §. præcedente attulerunt.

Deinde eam ſuadet ratio primò. Natura lapſa eſt debilis, & infirma, liberum etiam arbitrium ad bonum, etſi non ſit extinctum, eſt tamen viribus attenuatum; ergo, niſi ſpecialiter juvetur, ſolum poterit ad opera facilia, non ad difficilia, qualis eſt victoria gravis tentationis. Conſeq. probatur ex ſæpè allato exemplo hominis infirmi, qui aliqua quidem facere poteſt, non tamen omnia, quæ facere poteſt ſanus.

XVI. Secundò probatur. Gravis tentatio illa eſt, quæ vehementer inclinat

Digitized by Google

clinat ad malum, & retrahit à bono; & licèt non totaliter præveniat rationem, illam tamen obſcurat; ex quo fit, ut in illius præſentia tepidè, & remiſsè voluntatem alliciat: at eo ipſo, quòd ita contingit, non debetur homini determinatio ad bonum rationis; ergo ſi ad illud determinetur, ſpecialis gratia erit. Min. probatur primò. Voluntas poſita inter duo bona inæquali efficaciâ ſibi propoſita, connaturaliùs amplectitur bonum ſibi efficaciùs propoſitum; ergò amplecti bonum rationis tepidè, & remiſsè propoſitum, relicto bono delectabili efficaciùs movente, quod in gravi tentatione contingit, non debetur voluntati. Secundò. Connaturale eſt cuivis agenti, operari ſecundùm prævalentem inclinationem: ſed urgente gravi tentatione prævalet inclinatio ad bonum delectabile; ergo &c.

XVII. Sed objicies primò. Homo ex motivo humano, & ſæpè pravo, poteſt vincere gravem tentationem; imò multa mala, ac ſenſibilia pati, uſque ad ſuſtinendam mortem; ergo poterit etiam ex honeſto motivo vincere gravem tentationem, & fortia quæque pati. Conſ. probatur. Ideo ex motivo honeſto homo id non poſſet, quia in conſpectu gravis tentationis bonum rationis valde remiſsè, bonum autem delectabile valde intensè, & efficaciter ei proponitur: & ideo magis eum movet, & inclinat: ſed etiam homini graviter tentato v. g. de furto, remiſsè proponitur motivum pravum, puta inanis gloriæ, aliàs tentatio furti non eſſet gravis; ergo ſi non obſtante hoc, ex motivo inanis gloriæ poteſt vincere tentationem furti, quare non poterit eam vincere etiam ex motivo honeſto?

XVIII. Reſpondeo, con. ant. neg. conſ. ad prob. nego abſolutè min. Eſtò enim initio tentationis de furto, furtum magis moveat, & alliciat, quàm inanis gloria; conſiderans tamen, quòd ſi furetur, famam amittet, format judicium practicum, meliùs ſibi eſſe abſtinere à furto, quàm furando famæ jacturam pati: quo judicio cupiditas ſervandæ famæ magis incipit movere, quàm cupiditas furti, & ſic tentatio, quæ erat gravis, fit illi levis. Cumque hoc judicium viribus propriis formare poſſit, poteſt etiam viribus propriis, ex motivo humano, vincere tentationem gravem; ſeu veriùs de una tentatione in aliam ruere, eique ſuccumbere: non ſic autem poteſt eam vincere ex motivo honeſto: Nam, ut docet S. Auguſt. *l. de Patientia c. 16.* bonum rationis non ita efficaciter movet ſenſum, imo ſæpè opponitur illi. At cupiditas mundi, amor proprius, aliaque motiva prava valde propinqua ſunt, & amica ſenſui: ex quo fit, ut homo graviter tentatus, ex propriis, inſufficiens ſit ad graves tentationes vincendas, ex motivo honeſto; cujus convenientiam non facilè percipit, ſeu vix tunc percipit, niſi ſpeciali gratiæ lumine illuſtretur mens, & voluntas moveatur. At ex amore proprio, vel mundi cupiditate præſtò adeſt motivum: cupiditas enim ita exagitat voluntatem, ita efficaciter ſuadet, & fallaciter decipit, ut quæcumque etiam terribilia vincat, & ſuperet; quæ tamen victoria non eſt, ſed inſania, & jactura.

Hoc exponit S. Aug. citato loco, ſimili argumento reſpondens his verbis: *Qui hæc dicunt, non intelligunt, & quemque iniquorum tantò eſſe ad quæcumque mala perferenda duriorem, quantò in eo major eſt cupiditas mundi: & quemque juſtorum tantò eſſe ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quantò in eo major eſt caritas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progreſſum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo conſuetudinis. Caritas autem Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

XIX. Objicies ſecundò. Non reſiſtere gravi tentationi imputatur homini ad culpam; ergo ei poteſt reſiſtere ſuis viribus: nemini enim imputa-

tur ad culpam, quod vitare non poteſt.

Confirmatur. Voluntas libera eſt ad reſiſtendum gravi tentationi libertate nedum à coactione, ſed à neceſſitate: atqui, ſi non poſſet reſiſtere &c. eſſet neceſſitata ad ſuccumbendum, & non libera à neceſſitate; ergo &c.

XX. Reſpondeo ex ſæpè dictis, neg. conſ. Ad prob. ibi adjunctam diſt. ant. Quod vitare non poteſt, nec propriis, nec ab alio acceptis viribus, conc. ant. Quod non poteſt propriis viribus præcisè, nego ant. Sicut enim, ut homo dicatur poſſe obſervare præcepta etiam ſupernaturalia, & vitare peccata contra illa, non eſt neceſſe, ut id præſtare valeat propriis viribus; ſed ſufficit, ut id præſtare valeat gratiâ ſufficiente, quæ ipſi à Deo præſtò adeſt, cum eorum urget obligatio: ita, ut homo graviter tentatus contra præcepta naturalia poſſit tentationi reſiſtere, non requiritur, ut id propriis viribus poſſit; ſed ut poſſit viribus gratiæ, quæ illi quoties tentatur, adeſt, & quâ, ſi velit, poteſt tentationi reſiſtere.

Ad Confirm. dico, voluntatem, dum tentatur, eſſe liberam à neceſſitate ſuccumbendi, non libertate naturæ ſibi relictæ, ſed adjutæ per gratiam. Unde Paulus, Galat. 4. v. 31. *Non ſumus* (inquit) *ancillæ filii, ſed liberæ, quâ libertate Chriſtus nos liberavit.*

XXI. Objicies tertiò. Ex S. Auguſtino *lib. de Patientia c.* 27. Poteſt quis ab Eccleſia ſeparatus, non pro errore, qui eum ſeparavit, ſed pro veritate dogmatis, quæ apud eum remanſit, qualecumque ſupplicium perpeti, etiam mortis: at is propriis naturæ viribus, & humanis motivis inductus, mortem, aliaque ſuſtineret; ergo &c.

Reſpondeo ex S. Auguſt. ibi *c.* 29. diſt. maj. Poteſt ſeparatus ab Eccleſia pro veritate fidei &c. perpeti per donum Dei, quod S. Aug. ibi *Donum Exhæredatorum* appellat, con. maj. Per naturæ vires, diſtinguo rurſus. Si dominetur in illius animo paſſio aliqua vehementior, puta, ſtudium conſervandæ apud Sectarios famæ, concedo. Si ſecus, nego. Sic idem S. Doctor fortitudinem Gentilium, quâ ad afferendam patriæ libertatem, & incolumitatem, mortem obierunt, appellat *donum Dei*, diverſum tamen à donis filiorum Cœleſtis Jeruſalem.

DUBIUM IX.

An ad diu vitanda omnia Peccata Mortalia, quæ ſunt contra Legem Naturæ, requiratur Specialis Gratia?

§. I.

Aliqua Supponuntur.

I. De peccatis mortalibus hìc ſermo eſt; an ſinè gratiâ poſſit homo lapſus omnia vitare. Nam de venialibus ſequenti dubio agemus. Inſuper de peccatis mortalibus contra legem naturæ: nam de peccatis contra præcepta ſupernaturalia hìc non loquimur. Dixi quoque: an ad ea *Diu* vitanda: nam ad ea vitanda per breve tempus, hominem potentem eſſe ſinè gratiâ, ſuppono. Non enim homo in ſtatu peccati mortalis exiſtens in omnibus ſuis actibus peccat, ut contra hæreticos, & Bajum ſtatuit Eccleſia. Unde ſuperiùs diximus, hominem in peccato mortali exiſtentem non ſemper operari ex affectu ad peccatum; ſed aliquando opera moraliter bona facere poſſe. Addo: quòd ſi homo in peccato mortali exiſtens in omni actu ſuo peccaret, ut peccatum vitare non poſſet, peccata illi voluntaria non eſſent; quod enim vitari non poteſt, nec peccatum eſt, nec voluntarium. Sermo igitur eſt: an poſſit ſinè gratiâ homo lapſus peccata mortalia vitare, per diuturnum tempus. Ita S. Thomas hìc *q.* 109. *a.* 8. his verbis: *Antequam hominis ratio, in qua eſt peccatum mortale, reparetur per gratiam*

tiam juſtificantem, poteſt ſingula pecca-ta mortalia vitare, & ſecundùm ali-quod tempus: quia non eſt neceſſe, quòd continuò peccet in actu. Sed quod diù maneat abſque peccato mortali, eſſe non poteſt.

II. Loquimur etiam de homine in ſtatu naturæ corruptæ: ſupponimus enim cum S. Thom. citato loco, quòd in ſtatu naturæ integræ poterat homo abſque uſu, & influxu gratiæ habitualis (*non tamen ſinè auxilio Dei eum in bono conſervantis, quo ſubtracto etiam ipſa natura in nihilum decideret*) omnia peccata ſivè mortalia, ſive venialia vitare. Et rationem dat: quia peccare contra legem naturæ eſt recedere ab eo, quod eſt ſecundùm naturam: ſed natura integra poterat non recedere ab eo, quod eſt ſecundùm naturam: poterat enim omne id, quod eſt naturale; ergo poterat vitare omne, quod eſt contra naturam.

III. Neque inferas, quòd ſi homo in ſtatu naturæ integræ potuiſſet, vitando omnia peccata, evadere damnationem ſinè gratiâ, ſeu ſinè uſu gratiæ, potuiſſet etiam abſque uſu gratiæ ad ſalutem pervenire — Nam plùs requiritur ad ſalutem conſequendam, quàm ad evadendam damnationem, ſi utrumque abſolutè conſideretur, præſcindendo à præſenti ſtatu. Ad evadendum enim damnationem ſufficit, nec peccatum habere, nec peccare: ad habendam verò ſalutem, ulteriùs requiritur, eſſe filium Dei adoptivum per gratiam, & eâ gratiâ benè uti, quando occurrit obligatio implendi divina præcepta, ut ad ſalutem oportet. Ita S. Thom. Q. 24. *de Verit. a.* 12. *ad* 2. ubi ait: *Et propterea non ſequitur*, quòd *ſi aliquis evadat damnationem ex libero arbitrio, propter hoc ex viribus liberi arbitrii poſſit gloriam acquirere: hoc enim majus eſſet, & patet inſtantia de homine in ſtatu innocentiæ.* His ſuppoſitis

§. II.

Reſolutiones.

IV. Dico primò. Homo in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt peccata mortalia contra legem naturæ per diuturnum tempus vitare, niſi ſanetur per gratiam ſanctificantem. Ita D. Thom. hoc *a.* 8. cujus ratione ſic probo. Quamdiù ratio non eſt perfectè ſubjecta Deo, non poteſt eſſe, quin inſurgant multæ inordinationes in actibus rationis: ſed ratio non ſit perfectè ſubjecta Deo, niſi per gratiam habitualem, eam à peccato ſanantem; ergo &c. Maj. probatur. Sicut inferior appetitus debet ſubdi rationi, & per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitus; ita etiam ratio debet ſubdi Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis, ita ut ex ipſo regulentur omnes actus humani: ſed quamdiu inferior appetitus non eſt totaliter ſubjectus rationi, non poteſt eſſe, quin contingant inordinati motus in appetitu ſenſitivo; ergo ratione hominis non totaliter exiſtente ſubjectâ Deo, conſequens eſt, ut contingant multæ inordinationes in ipſis actibus rationis, & proinde peccata mortalia; quæ nil aliud ſunt, quàm deordinationes rationis humanæ à Deo ultimo fine.

V. Confirm. ex eodem S. Doctore. Ut homo poſſit vitare omnia, & ſingula peccata mortalia, debet habere cor ſuum firmatum in Deo; ita ut pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando, ab eo ſeparari velit: ſed qui eſt in peccato mortali, non habet cor ſuum firmatum in Deo, ſed habitualiter à Deo averſum; ergo &c. Maj. probatur. Cùm enim multa occurrant in hac vitâ mala, quæ formidamus, & bona delectabilia, ad quæ allicimur; ſi homo non habet cor ſuum firmatum in Deo, facilè, propter conſequenda illa bona, aut vitanda illa mala, recedet ab illo, & contemnet

præcepta ejus. Tùm etiam, quia in repentinis homo operatur ſecundùm præconceptum finem, & ſecundùm habitum præexiſtentem; ergo qui habet cor ſuum firmatum, non in Deo, ſed in bono commutabili, ſtatim eliget illud, quod huic eſt conſonum: *Quamvis enim ex præmeditatione rationis poſſit homo aliquid agere, præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus:* tamen, *quia homo non poteſt eſſe ſemper in tali præmeditatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundùm convenientiam voluntatis deordinatæ à Deo, niſi citò per gratiam ad debitum ordinem reparetur.* Ita S. Thomas.

VI. Neque dicas, ex hac ratione ſolùm concludi, quòd, ratione hominis non perfectè ſubjectâ Deo, non poſſint vitari ſubitæ inordinationes, quæ ſunt peccata venialia, cùm ob defectum deliberationis non poſſint eſſe mortalia.

Nam in primis dicta proportio ſic eſt accipienda: ut ſicut ſenſualitas non ſubjecta rationi, intra breve tempus, incidit in peccata venialia; ita ratio non ſubjecta Deo, intra breve tempus, incidit in mortalia: quia is, qui alicui fini perverſo inhæret, non diù ſtat, quin eligat aliquid conformiter ad ipſum — Deinde: dum S. Thom. dicit, quòd qui eſt fini pravo affixus, facilè habet ſubitas inordinationes, non vult, eas eſſe ita ſubitas, ut ſint abſque omni deliberatione requiſitâ ad peccatum mortale: ſed quia ſint abſque deliberatione tali, quæ ſufficiat, eum à peccato mortali perpetrando retrahere. Qui enim eſt animo malè affectus, quando ad novum peccatum mortale tentatur, vel non actu advertit, ſicut poſſet, ac deberet, quòd ſit contra Dei legem; vel ſi advertit, ea cogitatio non ſufficit, ut ipſum à peccando retrahat; quia minoris æſtimat Deum, quàm finem illum perverſum, cui adhæret. Unde vel contingit, quòd priuſquam bona cogitatio illi occurrat, jam conſenſerit: vel ſi occurrat, ipſum non moveat ſtatim ſinè majori deliberatione, quæ non ſemper adeſt. Unde S. Thomas Q. 24. de Verit. a. 12. *Quando* (inquit) *homini ſic diſpoſito occurrit aliquid faciendum, quod præcedenti electioni conveniat, repentè fertur in illud per electionem, niſi multâ deliberatione ſeipſum cohibeat. Nec tamen per hoc, quod ſic repente illud eligit, à peccato mortali excuſatur, quòd aliquâ deliberatione indiget: quia deliberatio illa ſufficit ad peccatum mortale, quâ perpenditur, illud, quod eligitur, eſſe peccatum mortale, & contra Deum.*

VII. Accedit: quòd, ut ait S. Gregorius Homil. 11. in Ezech. & lib. 25. Moral. c. 9. *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere in aliud trahit.* Quia, ut idem *Homil. 17. in Ezech.* advertit, peccatum, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum eſt, aut cauſa peccati; ſi citiùs pœnitendo non tergitur, juſto judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere. Si ergo peccatum manens reatu, aliud peccatum trahit, & peccator meretur, ut Deus in pœnam præcedentis, & nondum deleti per pœnitentiam peccati, ſinat, eum labi in alia; quomodo poterit diu manere, quin in novum labatur peccatum?

Adde: quòd hominem in tali ſtatu multa circumſtant, tàm intrinſeca, quàm extrinſecâ ipſum provocantia ad peccandum: nimirum rebellio appetitus, tentatio Dæmonum, & ſocietas pravorum hominum, qui exemplis, & conſiliis ſuis rationem, per peccatum habitualiter à Deo averſam, in continuo periculo noviter peccandi tenent; quod propriis viribus certè, ſaltem diu, vitare non poteſt.

VIII. Dico ſecundò. Homo per gratiam habitualem ſanatus, ut diu vitet peccata mortalia, indiget adhuc gratiâ actuali auxiliante. Ita S. Thomas hîc q. 109. a. 9. & probat primò exemplo S. Auguſt. l. de Nat. & grat. c. 26. *Sicut oculus corporis pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non*

poteſt

Digitized by Google

poteſt cernere; ſic & homo perfectiſſimè etiam juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Deinde id probat, tùm ratione generali; propter hoc ſcilicet, *quod nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ*. Tùm *ratione ſpeciali, propter conditionem ſtatus humanæ naturæ; quæ licèt per gratiam ſanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio, quantùm ad carnem, per quam* ſervit legi peccati, *ut dicitur Rom.* 7. *Remanet etiam quædam obſcuritas in intellectu, ſecundùm quam, ut etiam dicitur Roman.* 8. Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. *Propter varios enim rerum eventus, & quia etiam nos ipſos non perfectè cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire, quid nobis expediat ſecundùm illud Sapientiæ* 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ: *Et ideò neceſſe eſt nobis, ut à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia novit, & omnia poteſt. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere*: Et ne nos inducas in tentationem; *&* fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra; *& cætera, quæ in oratione Dominica continentur, ad hoc pertinentia*. Hæc S. Thomas.

Ex his hæc conficitur ratio. Juſti, etſi ſanati quantùm ad mentem, egent tamen ſanari quantùm ad carnem, quæ menti adhuc rebellat: & ideo Deum orant, ne illos patiatur, tentatione vinci. Inſuper incerti ſunt, quid illis ad ſalutem expediat: & ideo Deum rogant, ut eis voluntatem ſuam oſtendat; ergo ultra gratiam habitualem, quam habent, aliam gratiam petunt, eâque indigent, & hæc eſt gratia actualis auxilians.

IX. Hoc idem oſtendit S. Doctor 3. *Contra Gentes c.* 155. hoc diſcurſu. Omne, quod eſt variabile, ad hoc ut figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis: ſed homo variabilis eſt, & de bono in malum, & de malo in bonum; ergo ut immobiliter perſeveret in bono, eget auxilio divino. Hinc eſt, quòd homines, etſi juſti, debent ſemper manere in timore, debent ſemper Deum orare, ut illis concedat auxilium ad vitanda peccata, & pro eo obtento ſupplices gratias agere.

X. Hinc ſequitur, hominem juſtum poſſe vitare omnia peccata mortalia, nec indigere Dei auxilio, ut poſſit, ſed ut de facto vitet. Nam peccatum mortale in ratione conſiſtit, hoc eſt in parte rationali, quæ complectitur intellectum, & voluntatem: ſed per gratiam habitualem ratio & ſanata eſt, & reparata, quia Deo ut fini ſubjecta; ergo habet poſſe ſufficiens ad vitanda omnia peccata mortalia. Unde qui juſtificatus eſt, poteſt in novitate vitæ, & non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum, ambulare, exhibere membra ſua ſervire juſtitiæ in ſanctificationem, quia peccatum in eo non dominatur, ut *Rom.* 6. dicitur, quia ex Deo natus eſt: *Omnis autem, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*. (1. Joann, 3. v. 9.) Et ratio eſt: quia is, qui per gratiam juſtificatus eſt, Deum diligit per caritatem; qui autem Deum diligit, præcepta ſervat, vel ſervare poteſt, juxta illud Joann. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*. Quibus accedit: quòd 2. *Cor.* 12. *v.* 9. Deus dixit Paulo: *Sufficit tibi gratia mea*; non autem ea ſufficeret, ſi eâ præditus non poſſet vitare omnia peccata mortalia. Et propterea Tridentinum *Seſſ.* 6. *cap.* 11. declarat, juſtificatos poſſe cum divino auxilio ſermones Dei ſervare.

§. III.

Contrariorum Rationes.

XI. PRimò objiciunt contra primam Aſſertionem. Homo integer poterat ſinè gratiâ-diù non peccare contra

tra legem naturalem; ergo etiam homo lapſus, non enim perdidit, quæ ſpectant ad naturam. — Reſpondetur tamen, quòd licèt ea, quæ ſpectant ad naturam, non perdiderit homo per lapſum; manſerunt tamen infirmata, & vulnerata in ordine ad bonum.

XII. Secundò objiciunt. Homo non habens potentiam ad diù vitandum peccatum, neceſſariò peccaret, eique non imputaretur peccatum: ſicut illi non imputatur, non habere gratiam, ſinè quâ non poteſt peccata vitare.

Reſpondeo, negando, quòd abſolutè neceſſariò peccaret: Deus enim omnibus dat auxilia ſufficientia, quibus, ſaltem remotè, poſſit ad gratiam habitualem ſe diſponere, vel ſaltem à Deo petere auxilium ad non peccandum. Quòd ſi ad eam nec ſe diſponit, nec illud petit, neceſſitatur ad peccandum, ſed à propria voluntate; quâ, cùm poſſet exire à ſtatu peccati, & ſe firmare in bono, mavult in ſtatu peccati perſeverare. Et licèt in hominis poteſtate non ſit, gratiam habere, vel advocare; in ejus tamen poteſtate eſt, per auxilium Dei ad eam ſe diſponere, aut auxilium petere, vel ſaltem ei obicem non ponere. Reſponderi etiam poteſt ex D. Tho. Qu. 24. de Verit. a. 12. ad 7. *Quòd aliquis exiſtens in peccato mortali poteſt vitare omnia peccata mortalia auxilio gratiæ; poteſt etiam ex naturali virtute ſingula vitare, quamvis non omnia: & ideo non ſequitur, quòd peccatum committendo non peccet.*

XIII. Tertiò objiciunt. Homo ſinè gratiâ ſervare poteſt omnia præcepta naturalia diviſivè, & in particulari: ſed unum ex præceptis naturalibus eſt, non peccare contra legem naturalem; ergo poteſt contra eam non peccare.

Reſpondeo primò, neg. maj. Ut enim ſupra vidimus, non poteſt ſinè gratiâ ſervare præceptum diligendi Deum auctorem naturæ ſuper omnia, quia includit obſervantiam totius legis: nec etiam poteſt obſervare præceptum non peccandi contra legem, quia hoc etiam eſſet, poſſe totam legem obſervare — Secundò, datâ maj. nego min. Præceptum enim non peccandi contra legem non eſt unum præceptum, ſed dicit collectionem omnium præceptorum: & ideo impleri non poteſt, niſi omnia impleantur.

XIV. Quartò objiciunt. Si ad non peccandum diù, requiritur, ut homo ſit in gratia, poſſet aliquis ſinè revelatione certò ſcire, ſe eſſe in gratia: ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Maj. probatur. Homo enim per experientiam poteſt ſcire, ſe diu abſtinuiſſe à peccato mortali, quia peccatum mortale procedit ex deliberatione rationis: certò autem innoteſcere poteſt homini id, quod ex deliberatione facit.

Reſpond. neg. maj. ad prob. nego ant. Nemo enim, ſeclusâ Dei revelatione, certò poteſt ſcire, an amore, vel odio dignus ſit, ac proinde ſe ab omni mortali labe eſſe immunem, maximè per longum tempus. Quia eſtò peccata tranſgreſſionis cognita facilia videantur, omiſſionis tamen difficillimè cognoſcuntur. Et quamvis peccatum mortale cum deliberatione fiat, multa tamen ſunt, quæ, ut affecti ſumus, repentè, & præcipiti judicio facimus; de quibus ambigimus, an deliberatè fecerimus, & an deliquerimus circa illa mortaliter, an ſolùm venialiter. Unde meritò ajebat David Pſalm. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Et Paulus 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil enim mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.*

XV. Quintò objiciunt. Si homo, ut vitaret peccatum, teneretur eſſe in gratia, teneretur poſt peccatum ſtatim agere pœnitentiam; quia ſi ſtatim non ageret, exponeret ſe periculo iterum peccandi: periculum autem peccandi quiſque vitare tenetur.

Reſpondeo, negando ſequelam. Cùm enim non ſemper occurrat occaſio peccandi, illud periculum eſt ſolùm remotum,

Digitized by Google

motum, & ideo non obligatur illud vitare. Si tamen gravis occurrat tentatio, ſecum ferens periculum proximum peccandi; tunc tenetur orare, pœnitere, & Dei gratiam implorare. Et ideo non ſequitur, quòd peccator ſit obligatus ſtatim pœnitere; ſed ſolùm in iis occaſionibus, in quibus urget periculum proximum iterum peccandi.

XVI. Sextò objiciunt contra ſecundam Aſſertionem. Ideo homo lapſus non poteſt ſinè gratiâ habituali omnia peccata contra legem naturæ vitare, quia hoc eſt opus hominis ſani: ſed homo in gratia eſt homo ſanatus; ergo homo in gratia ſinè ulteriori auxilio poteſt &c.

Confirmatur. Gratia habitualis ad hoc datur, ut poſſimus, bonum facere, & peccatum vitare; ergo ſi per gratiam homo non poteſt abſque ulteriori auxilio, vel gratia fruſtra datur, vel eſt imperfecta.

Reſpondeo, diſt. min. Eſt ſanatus quantùm ad mentem, conc. min. Quantùm ad carnem, nego min. Reſponſio eſt D. Thomæ hoc *a.* 9. Eſtò enim homo per gratiam ſanetur quantùm ad mentem, quia per illam mens hominis ſubjicitur Deo; remanet tamen in eo corruptio quantùm ad carnem, nempe, concupiſcentia, ex qua variæ, graveſque tentationes oriuntur, voluntatem ad peccatum trahere molientes: quare, ut homo juſtificatus illas ſuperet, & peccata vincat, præter gratiam habitualem, eget ſpeciali auxilio Dei, de quo dicemus infra *Dub.* 12.

XVII. Sed dices. Idem S. Doctor 3. *p.* *q.* 62. *a.* 6. *ad* 3. referens hanc reſponſionem, illam retractat dicens: *Alii dicunt, quòd Circumciſio conferebat gratiam, etiam quantùm ad aliquem effectum poſitivum, qui eſt facere dignum vitâ æternâ; non tamen quantùm ad hoc, quod eſt reprimere concupiſcentiam impellentem ad peccandum; quod & aliquando mihi viſum eſt. Sed diligentiùs conſideranti apparet, hoc etiam non eſſe verum: quia minima gratia reſiſtere poteſt cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam;* ergo &c.

Reſpondeo, D. Tho. non retractare doctrinam, quam hîc docet, ſed quam admiſerat, ut probabilem *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 2. *a.* 4. *quæſt.* 3. nimirum, quæ aſſerebat, gratiam, quæ in Circumciſione dabatur, eſſe quidem ſufficientem ad faciendam animam dignam vitâ æternâ; non tamen eſſe ex ſe ſufficientem ad reprimendum motus concupiſcentiæ, ſicut ſufficiens eſt gratia Baptiſmalis. Hanc ergo doctrinam in 3. *p.* retractat, dum ait: quòd *minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ*, nimirum, de ſe, & quantùm ad ſufficientiam. Non autem retractat id, quod docet hâc *q.* 109. nimirum, quòd eſtò gratia de ſe ſufficiens ſit, utramque ſanitatem, & mentis, & carnis conferre; attamen ratione corruptionis, quam invenit in ſubjecto, priorem quidem conferat, non tamen ſecundam, ſaltem perfectè. Quemadmodum, licet calor aquæ bullientis de ſe ſuperet ejus frigiditatem, & ſufficiens ſit, eam tollere; quia tamen aqua non eſt ſubjectum connaturale caloris, à frigore demum expellitur: ita quia gratia in nobis viatoribus eſt in ſubjecto multùm infirmo, indiſpoſito, & vèrtibili, licèt ipſa fortior ſit concupiſcentiâ, & potens eam extinguere, ab ea tamen, niſi auxilio ſpeciali Dei ſuſtentetur, tandem ſuperabitur, & corrumpetur.

XVIII. Ad Confirm. dico cum S. Tho. hoc a. 9. ad 1. *Quòd donum habitualis gratiæ non ad hoc datur nobis, ut per ipſum non indigeamus ulteriùs divino auxilio: indiget enim quælibet creatura, ut à Deo conſervetur in bono, quod à Deo accepit. Et ideo ſi, poſt acceptam gratiam, homo adhuc indiget divino auxilio, non poteſt concludi, quòd gratia ſit in vanum data, vel quòd ſit imperfecta: quia etiam in ſtatu gloriæ, quando erit omnino perfecta, homo divino auxilio indigebit.*

Hic

Hic autem aliqualiter imperfecta eſt, inquantùm hominem non totaliter ſanat.

XIX. Septimò objiciunt contra eamdem. Ideo homo in peccato mortali exiſtens nequit vitare omnia peccata, quia non habet cor firmatum in Deo: ſed homo in gratia habet cor jam firmatum in Deo; ergo &c.

Reſpondeo primò cum D. Tho. hìc *ad* 3. rationem hanc concludere, hominem in gratia non indigere aliâ habituali gratiâ, non verò non indigere divino auxilio actuali. — Secundò reſpondeo, diſt. min. Habet cor firmatum in Deo, mobiliter tamen, co. min. Immobiliter, nego min. & conſ. Etenim negatio firmitatis cordis in Deo eſt quidem cauſa, cur homo lapſus non poſſit diù peccata vitare; poſitio tamen talis firmitatis non eſt adæquata cauſa vitationis: quia cùm homo in hac vitâ non firmetur in bono immobiliter, ſi ulterior actualis gratia non adſit, & gravis urgeat tentatio, in bono gratiæ, quam à Deo accepit, non conſervabitur.

DUBIUM X.

An ut Homo lapſus vitare poſſit omnia Peccata Venialia, indigeat Gratiâ, & quali?

§. I.

Aliqua Præſupponuntur.

I. SUppono, hìc non eſſe ſermonem de homine in ſtatu integritatis, & innocentiæ: in illo enim felici ſtatu potuiſſet vitare omnia peccata venialia, non ſolùm diviſivè, ſed etiam collectivè ex vi auxiliorum, quæ erant conſona illi ſtatui. Et ratio eſt: quia homo in illo ſtatu gaudebat perfecta integritate; adeo ut appetitus ſenſitivus eſſet totaliter ſubjectus rationi, & omnis pars inferior parti ſuperiori: ſed peccatum veniale conſurgit ex inordinato motu appetitus contra rationem, vel partis inferioris contra ſuperiorem; ergo &c. Imò *Tom.* 6. *in* 1. *p. q.* 5. *Dub.* 7. oſtendimus, hominem durante ſtatu innocentiæ non potuiſſe peccare venialiter.

II. Suppono etiam, ut certum, hominem cum ſolis auxiliis ſtatui præſenti ordinariis poſſe vitare omnia peccata venialia diviſivè. Et ratio eſt: quia nullum eſt peccatum veniale, quod ab homine lapſo, ſed juſtificato, cum ſolo concurſu generali vitari non poſſit: nulla enim eſt materia venialis peccati, ad quam non poſſit homo juſtificatus practicè attendere, & eam vitare; aliàs ſi non poſſet, ei peccatum non imputaretur. Loquimur ergo de omnibus peccatis venialibus collectivè.

III. Procedit etiam quæſtio de vitatione eorum per totam vitam, aut per longum tempus. Nam per aliquod breve tempus poſſe hominem juſtum eſſe abſque omni peccato veniali, probabilius cenſemus. Unde illud 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt:* ait D. Th. 3. p. q. 79. a. 4. *Non eſt ita intelligendum, quin aliquâ horâ poſſit homo eſſe abſque omni reatu peccati venialis: ſed quia vitam iſtam ſancti non ducunt ſinè peccatis venialibus*. Quod confirmari poteſt ex S. Hieronymo *lib.* 3. *adverſùs Pelagiànos*; & ratione etiam. Tùm quia: qui recenter ſunt Baptizati, non omnes ſtatim peccant, etiam venialiter. Tùm quia: nullus juſtus adultus poſſet immediatè poſt mortem migrare in Cœlum, quin ad abluendam maculam priùs detineretur in Purgatorio; quod tamen eſt falſum.

Nec obſtat illud Proverb. 24. v. 16. *Septies in die cadet juſtus*. Hoc enim verbum *in die* nec eſt in Hebræo, nec apud lxx. nec in Latinis Vulgatis emendatioribus legitur, ſed: *Septies enim cadet juſtus, & reſurget*. Imò S. Aug. l. 11. de Civit. Dei c. 31. *Septies* (inquit) *cadet juſtus, & reſurget, ideſt*, quo-

Digitized by Google

quotieſcumque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, ſed de tribulationibus ad humilitatem pertinentibus, intelligi voluit. Quòd ſi de lapſu in peccatum accipere velimus, non ſignificatur, quòd juſtus quolibet die ſepties peccet; ſed quòd etiamſi ſæpius, aut multoties peccet, facilè reſurgat.

Cæterùm quantum ſit illud breve tempus, in quo poſſit juſtus eſſe abſque omni peccato veniali, prorſus incertum eſt, nec ab ullo homine definiri poteſt. Poſſe tamen unum diutiùs altero illis omnibus carere, prout fuerit in Dei amore ferventior, nulli dubium eſt. Poſſe quoque ad unum diem, vel etiam diutiùs, ſi ſit honeſtis exercitiis occupatus, & in templo Dei vigilans, probabile eſt.

His ergo ſuppoſitis, quærimus: an homo in ſtatu naturæ lapſæ, ut poſſit omnia peccata venialia collectivè per totam vitam vitare, egeat ſpeciali gratia, quæ ſit extraordinaria, & ſpeciale privilegium. Secundò: an hoc privilegium ſit neceſſarium, ut, poſſit vitare, an verò ſolùm, ut de facto vitet. Tertiò: an alicui ex hominibus hoc privilegium fuerit conceſſum.

§. I I.

Reſolutiones.

IV. Dico primò. Nemo per totam vitam, aut per diuturnum tempus, cum ſolis auxiliis gratiæ habituali annexis, poteſt omnia peccata venialia collectivè ſumta vitare; ſed ad hoc indiget ſpeciali privilegio. Ita ex S. Th. hâc *q.* 109. *a.* 8. cujus rationem infra expendemus. Colligitur quoque ex Scripturis. 3 *Reg.* 8. *v.* 46. ait Salomon: *Non eſt enim homo, qui non peccet*: quod repetitur 2. Paralip. 6. v. 36. Pſalm. 31. v. 6. *Pro hac* (nimirum pro remiſſione peccatorum) *orabit ad te omnis Sanctus*. Proverb. 18. v. 17. *Juſtus, prior eſt accuſator ſui*. Proverb. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Eccleſiaſtæ 7. v. 21. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Jacobi 3. v. 2. *In multis enim offendimus omnes*. Et 1. Joann. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Quibus apertè apparet, homines etiam juſtos, cum ſolis auxiliis gratiæ regulariter annexis, abſque omni peccato vivere non poſſe. Et hinc eſt, quòd omnes etiam juſti debent orando quotidie dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*.

V. Idem affirmant Patres. Hieronymus *Epiſt. ad Cteſiphontem*. Et *l.* 2. *adverſùs Pelagianos*; quorum, inter alios, hic erat error, poſſe hominem vivere ſinè peccato. Unde S. Auguſt. Serm. 29. de Verbis Apoſt. c. 2. *Sunt quidam* (inquit) *inflati viri, ita ſpiritu elationis pleni, ut dicere audeant, inveniri homines abſque peccato. Dicunt ergo, juſtos prorſùs in hac vita nullum habere peccatum. Hæretici autem ſunt Pelagiani, idemque Cœleſtiani, qui hoc dicunt*. Et *c. 6. Non autem quia dico, quòd non poſſumus hìc eſſe ſinè peccato; homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cætera mortifera peccata, quæ uno actu perimunt. Talia non facit bona fidei, & bona ſpei Chriſtianus: ſed illa ſola, quæ quotidiano orationis peniculo terguntur*. Tract. 1. in primam Joann. *Non poteſt homo, quamdiu carnem portat, non habere levia peccata*. Et *lib.* 2. *contra Julian. c.* 8. refert, & laudat S. Cyprianum ſic dicentem: *Si nemo eſſe ſinè peccato poteſt, & quiſquis ſe inculpatum eſſe dixerit, aut ſuperbus, aut ſtultus eſt. Quàm neceſſaria, quàm benigna eſt divina clementia; quæ cùm ſciat, non deeſſe Sanctis quadam poſtmodum vulnera, dedit curandis denuo, ſanandiſque vulneribus remedia ſalutaria?* Idem paſſim S. Aug. contra Pelagianos docet. Ut *lib. de Perfect. Juſtitiæ. Lib. de Natura, & gratiâ cap.* 12. & ſequent. *Lib. de Gratia Chriſti c.* 45. & 48. Et *Lib. de Dono perſever. cap.* 2. ubi inter ea, quæ con-

contra Pelagianos defendit Eccleſia, hoc ſecundo loco recenſet: *In quantacumque juſtitiâ, ſinè qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.*

VI. Quia verò Pelagiani reſpondere ſolebant, verba è Scripturis petita, maximè ex *Ep.* 1. *S. Jo. c.* 1. ſolùm velle, Juſtos fateri debere, ſe habere peccata, causâ humilitatis: vel quia ſunt pars populi, qui in peccatis eſt.

VII. Priori reſponſioni obſtat, quòd S. Joannes non dicit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus*, nos ſuperbimus, & humilitas in nobis non eſt (quod juxta Pelagianum ſenſum erat dicendum) *ſed ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: imò ſubditur: *Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*. Sentit ergo S. Joannes, debere nos confiteri, eſſe peccatores, non ex humilitate, ſed quia omnes in peccatis ſumus. Ita intellexerunt S. Auguſt. *Serm.* 29. *de Verb. Apoſt.* & Concilium Milevitanum *Canon.* 6. his verbis: *Quiſque ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem dici, nos habere peccatum, non quòd verè ita eſt, anathema ſit.*

VIII. Poſteriori reſponſioni obſtant teſtimonia ſupra laudata ex *Proverb.* 20. *Eccleſiaſt.* 7. *Pſalm.* 31. quibus abſolutè dicitur, non eſſe hominem, qui non peccet: cui addi poteſt illud Pſalmi 142. v. 2. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Unde ſignanter Daniel vir ſanctiſſimus, ſua, & populi peccata ſeorſim agnoſcit, *cap.* 9. *v.* 20. dicens: *Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael.* Ubi S. Hieron. *l.* 2. *contra Pelagian.* prope finem: *Vides* (inquit) *quòd tàm pro peccatis ſuis, quàm pro peccatis populi Dominum ſit deprecatus?* Meritò igitur Synodus Milevitana C. 7. rejicit explicationem, quâ Pelagiani hæc orationis Dominicæ verba: *Dimitte nobis debita noſtra*, contendebant à Sanctis dici, non pro ſeipſis, ſed pro aliis. Cui adhærens Tridentina Seſs. 6. cap. 11. *Illa* (inquit) *vox eſt, & humilis, & verax: Dimitte nobis debita noſtra.* Et ex hac doctrinâ confecit *Canonem* 23. ubi ait: *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit ..... poſſe in tota vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.*

IX. Ex prælaudatis teſtimoniis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum duplex argumentum conficitur. Primum eſt: Si cum ordinariis gratiæ auxiliis homo juſtus poſſet per totam vitam, aut diuturnum tempus, omnia peccata venialia vitare, aliqui iiſdem gratiæ auxiliis adjuti ea vitaſſent: atqui reverà non vitarunt, cùm non ſit homo, qui non peccet, cùm omnis Sanctus oret pro ſui peccati remiſſione, cum nullus vivens in conſpectu Dei juſtificetur, cum, ſi quis dixerit, quoniam peccatum non habet, ipſe ſe decipiat, & veritas in eo non ſit: & tandem cùm nemo ſit, qui ſuorum peccatorum remiſſionem in oratione Dominica verè non poſtulet; ergo &c.

Alterum eſt: Pelagius, & Cœleſtius damnati ſunt ab Eccleſia Catholicâ, quòd vellent, juſtos quoſdam eâ perfectione commendatos fuiſſe, ut nunquam venialiter peccaverint; ergo Eccleſia Catholica ſentit, nullum unquam omnia peccata venialia vitaſſe.

X. Probatur deinde ratione Theologica. Ut quis per totam vitam, aut diuturnum tempus, omnia venialia cum ordinariis gratiæ auxiliis vitaret; neceſſe eſſet, ut omnes, qui inſurgunt concupiſcentiæ motus, ſtatim comprimeret, & ut collectivè omnia ſciret, quæcumque ſibi agenda ſunt: atqui hæc duo cum ordinariis gratiæ auxiliis haberi non poſſunt. Ut enim Juſtus omnes omnino concupiſcentiæ motus ſtatim comprimeret; deberet continuò, ac ſinè intermiſſione ad ſeipſum attendere, nullâ negligentiâ tor-

pere,

gere, nulli omnino concupiſcentiæ motui nec leviter conſentire. Ut collectivè ſciret omnia, quæ ſibi agenda ſunt, deberet nullâ ignorantiâ laborare: atqui hæc nemo hominum in hoc ſtatu ſolis ordinariis gratiæ auxiliis adjutus habet, aut habere poteſt; ergo &c. Unde D. Tho. hoc *a.* 8. ait: *Non autem poteſt homo abſtinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis; cujus motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt, & ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii; non autem omnes: quia dum uni reſiſtere nititur, fortaſſis alius inſurgit; & etiam quia ratio non ſemper poteſt eſſe pervigil ad hujuſmodi motus vitandos.*

XI. Confirmatur. Per gratiam cum ſolis ordinariis auxiliis non extinguitur, aut ligatur fomes peccati; hoc enim eſt privilegium nulli hactenus conceſſum, exceptâ B. Virgine, ut dicemus: ſed non extincto, aut ligato fomite, non poteſt homo per totam vitam, aut diu omnia venialia peccata vitare; ergo &c. Min. probatur. Nam ſi fomes non extinguitur, aut ſaltem ligatur, continuò ferè contra rationem pugnat, contra eam appetitus inſurgit; cujus motus rationem aliquando præveniunt omnino, aliquando ſolùm ejus plenam deliberationem: hique adeo frequentes ſunt, ut dum uni ratio reſiſtit, inſurgat alius, adeoque contingat, ut, dum vincit unum, vincatur ab altero; ſic in tot conflictibus impoſſibile ſit, ut aliquando ſaltem leviter non ſuccumbat; ergo &c.

XII. Sed dices, hanc rationem, quæ eſt D. Thomæ ſupra laudati, convincere ad ſummum, quòd homo per totam vitam, aut diu vitare non poſſit omnia ea peccata venialia collectivè, quæ ex ſurreptione appetitus, & inadvertentia, ac indeliberatione rationis contingunt: at non ea, quæ ex objecto ſolùm venialia ſunt, ut parva furta, verba otioſa, mendacia jocoſa.

XIII. Verùm hæc non obſunt, quin S. Thomas generaliter de omnibus peccatis venialibus locutus ſit; quamvis ejus probatio ſolùm procedat de venialibus, quæ contingunt ex imperfectione actus. Tùm quia: illi ſatis erat concluſionis ſuæ veritatem declarare per id, quod eſt magis clarum. Quemadmodum enim ſi dicatur, quòd homo non poteſt vitare omnem morbum, non eſt neceſſe, ut hujus veritatis probatio procedat, & de hoc, & de illo genere morbi, & ſic de omnibus; ſed ſatis eſt, quòd de uno, eoque notiore procedat: ita ad probandum, quòd homo non poteſt vitare omne peccatum veniale, ſufficit, hoc probare de uno genere peccati venialis. Tùm quia S. Doctor procedere voluit ab eo, quod certiùs eſt. Eſtò autem tenendum ſit, hominem nec poſſe vitare omnia peccata, quæ ex genere ſunt venialia, per totam vitam, aut diu; quia homo juſtus non ſemper operari poteſt ex fervore caritatis, ſecluſo ſpeciali privilegio; non adeo tamen certum eſt, quin ab aliquibus in dubium revocetur: imò non deſunt, qui aſſerant, fuiſſe aliquando homines tantæ perfectionis, ut nunquam, vel ferè nunquam in peccata, ex objecto venialia, ex plena deliberatione lapſi ſint; ſed in ea tantùm, quæ per ignorantiam, aut ſurreptionem contingunt. Animæ namque puriſſimæ (quales Apoſtoli, S. Joſeph, S. Joannes Baptiſta) ſummâ diligentiâ, & ſummâ cautione declinarunt ea omnia, quibus Deum offenſum iri certè noverunt.

XIV. Dico ſecundò. Privilegium, quod requiritur ad vitanda per totam vitam, aut per longum tempus, omnia peccata venialia collectivè generaliter, eſt neceſſarium homini lapſo, non ſolum ut de facto ea vitet, ſed etiam ut vitare poſſit. Hinc homo in præſenti ſtatu cum ſolis auxiliis ordinarii habet impotentiam, non ſolùm conſequentem, ſed etiam antecedentem ad ea omnia vitanda: impotentiam, inquam, non ſolùm moralem, ſed etiam aliquo modo phyſicam.

Digitized by Google

Colligitur ex ſupradictis. Nam ſecundùm doctrinam S. Tho. homo lapſus, non extincto, aut ligato fomite, ſi non ſit ſemper in continua vigilia, non poteſt potentiâ nec moraliter, nec phyſicè expeditâ, omnia venialia collectivè vitare: ſed homo lapſus non poteſt ſemper eſſe in continua vigiliâ, & advertentiâ ſupra ſe ipſum; ergo &c. Maj. probatur de impotentia phyſicâ, quia de morali non negatur. Ibi non adeſt poſſe phyſicum phyſicè completum, ubi non adeſt phyſicum principium phyſicè complens vires phyſicas: ſed fomite non extincto, aut ligato, non adeſt huiuſmodi principium ad vitanda omnia peccata venialia &c. ergo &c. Min. prob. Principium phyſicum phyſicè complens vires ad vitanda omnia peccata venialia collectivè, eſt perpetua vigilia, & advertentia rationis: ſi enim continuò non advertat homo, motus inordinatos non ſtatim reprimet, & ſic peccabit venialiter: ſed hanc continuam vigiliam, & advertentiam homo cum ſolis auxiliis ordinariis habere non poteſt; ergo &c.

XV. Confirmo. Ad id, ad quod vitandum homo non habet plenam libertatem, non habet potentiam phyſicè expeditam: ſed ad vitanda omnia venialia collectivè non habet homo plenam libertatem: cùm enim non advertente ratione inſurgant motus, & dum homo unum conatur reprimere, alius eo ipſo nolente ſurrepat; non eſt in eius plena libertate, omnes reprimere. Hoc teſtatur Paulus, Rom. 7. v. 19. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.*

XVI. Hæc dixi circa illa peccata venialia, quæ procedunt ex inadvertentia rationis, & non plenâ libertate. Cæterùm ad vitanda omnia, quæ ſunt venialia ex objecto, & levitate materiæ, quæ ex plena deliberatione committuntur, habet homo plenam libertatem, & potentiam phyſicam: eſt tamen impotens, ſaltem moraliter, omnia vitare. Et ratio eſt: quia frequentiſſimè occurrunt, & cum amicitiæ, & gratiæ Dei non opponantur, nec homo ſemper ex fervore caritatis operetur, facillime, & ſinè ſcrupulo committuntur.

XVII. Dico tertiò. Privilegium vitandi omnia peccata venialia collectivè, etſi in aliqua determinata materia videatur conceſſum aliquibus viris probis, & Sanctis; generaliter tamen, & in omni materiâ ſoli B. Virgini conceſſum eſt. Prior pars, inter cæteros, verificata videtur in S. Thoma, de quo canit Eccleſia: *O munus Dei gratiâ vincens quodvis miraculum! Peſtiferæ ſuperbiæ nunquam perſenſit ſtimulum.* Et de eodem dicit: *Per quietem ſentire viſus eſt, ſibi ab Angelis obſtringi lumbos: quo ex tempore, omni prorſus libidinis ſenſu caruit.* Similiter S. Joannem Baptiſtam omnia venialia, quæ locutione committuntur, declinaſſe; & B. Joſeph ea, quæ contra virtutem caſtitatis pugnant (hoc enim decebat Sponſum Virginis puriſſimæ) evitaſſe, multi aſſerunt. Quod idem B. Gregorius refert de S. Benedicto: nempe, poſtquam ſe inter ſpinas volutaſſet, rebellionem carnis nunquam ſenſiſſe.

XVIII. Secunda verò pars, nempe, ſoli B. Virgini privilegium non peccandi venialiter in nullo genere fuiſſe conceſſum, præter teſtimonium Tridentini ſupra relatum *Seſſione 6. Can.* 23. traditur à S. Auguſtino *lib. de Nat. & gratia c.* 36. ubi de Sanctis viris, ac mulieribus, quos Pelagius enumerabat, ſinè peccato vixiſſe; *Exceptâ* (inquit) *Sancta Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: Unde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit*

Digitized by Google

rit ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat, nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo Virgine exceptâ, ſi omnes illos Sanctos, & Sanctas, cùm hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſinè peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus: utrum hoc, quod iſte (Pelagius) *dicit: an quod Joannes Apoſtolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, nonne una voce clamaſſent: Si diximus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt?* Item à S. Bernardo, qui *Epiſt.* 174. ſcribit: *Ego puto, quòd & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolùm ſanctificaret ortum; ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem.*

XIX. Scio, aliquos, inter quos Ambroſius Catharinus noſter, docere, quoſdam alios Sanctos, quos vocat inſigniter prædeſtinatos, à mortali, & veniali per totam vitam abſtinuiſſe, ſpeciali Dei præordinatione. Inter hos reponit Hieremiam, & S. Joannem Baptiſtam, qui fuerunt in utero ſanctificati. — Verum cùm non liceat aliquem à lege generali eximere, ſinè fundamento in Scriptura, Patribus, & Conciliis; & ex alia parte Scriptura potiùs omnes Juſtos peccare aſſerat; & Patres, ac Concilia neminem excipiant, niſi Beatam Virginem, & hoc tanquam de fide ſub anathemate proponatur: ideo exiſtimo, non ſinè cenſura dictum privilegium poſſe extendi ad alios, niſi in aliquo determinato genere, vel materiâ, ut dictum eſt. Alioquin potiori jure deberet extendi ad Apoſtolos, quos Sanctus Thomas *lect.* 5. *in cap.* 8. *ad Roman.* ſcribit, quòd ſint *omnibus aliis Sanctis præferendi:* cum tamen, & S. Petrus fuerit verè reprehenſibilis, ut ex *cap.* 2. *ad Galat.* & SS. Jacobus, & Joannes ita loquantur, ut appareat, nec ipſos ab omni culpa immunes fuiſſe.

XX. Si quæras: in quo conſiſtat hoc Privilegium non peccandi unquam nec venialiter, quod dicimus B. Virgini fuiſſe conceſſum?

Dici poteſt, conſiſtere partim in perfectione gratiæ, & virtutum; partim in ligatione, vel potiùs extinctione fomitis, & in extrinſeca Dei manutentione, & providentia ſpeciali circa talem Perſonam.

§. III.

Contraria Fundamenta.

XXI. PRimò objici poſſunt varia Scripturæ teſtimonia: quæ aliquos laudat tanquam perfectos, ad Philipp. 3. v. 15. *Quicumque ergo* (ait Paulus) *perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Aliquos tanquam omnino immaculatos, Pſalm. 118. v. 1. *Beati immaculati in via.* Lucæ 1. v. 6. de Zacharia, & Eliſabeth dicitur: *Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſinè querelâ.* Et de Job hæc habentur *Job.* 1. *v.* 8. ex ore Dei: *Quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Qui autem pronunciantur immaculati, perfecti, incedentes in omnibus mandatis Dei ſinè querelâ, abſtinentes à malo; dicuntur caruiſſe omni culpâ etiam veniali.

XXII. Reſpondeo, aliquos in hac vitâ dici perfectos, quia ad perfectionem toto conatu tendant, non quia eam jam conſecuti ſint. Unde Paulus, *ad Philip.* 3. ubi ſeipſum inter perfectos recenſet *v.* 12. dixerat: *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim.* Quæ verba Auguſtinus *lib.* 3. *ad Boniſac. c.* 5. ideo ab Apoſtolo dicta eſſe contendit: *Ut oſtenderet, ſecundùm iſtius vitæ modum eſſe quamdam perfectionem; eique perfectioni hoc quoque deputari, ſi ſe quiſque noverit, nondum eſſe perfectum.*

Immaculati etiam in hac vitâ dicuntur, non qui nullam prorsùs habeant

macu-

maculam, vel rugam, cum omnes verè dicant Deo: *Dimitte nobis debita noſtra*: ſed, vel qui nullam habent peccati mortalis maculam, quæ ſola perfectionem in hac vitâ poſſibilem deſtruit; vel quamvis levia quædam committant, citò tamen ab eis mundari curant. Unde Auguſtinus lib. de Perfectione juſtitiæ c. 9. *Ingredi* (inquit) *ſinè maculâ non abſurdè etiam ille dicitur, non qui jam perfectus eſt; ſed qui ad ipſam perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa peccata venialia non negligens mundare eleemoſynis*. Et D. Thom. 2. 2. *q.* 24. *a.* 8. *ad* 2. docet, quòd *peccata venialia, quæ non contrariantur habitui caritatis, ſed actui, non repugnant perfectioni viæ, ſed perfectioni patriæ*.

Dicuntur etiam quidâm ambulaſſe in omnibus mandatis, & juſtificationibus ſinè querelâ, ideſt, ut interpretatur Auguſt. l. de Gratia Chriſti c. 48. *Secundùm quamdam inter homines converſationem probabilem, atque laudabilem, quam nullus hominum juſtè poſſet in accuſationis, & criminationis querelam vocare. Quam propterea in Dei conſpectu Zacharias, & ejus uxor habuiſſe referuntur; quia in ea homines nullâ diſſimulatione fallebant, ſed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum eſt hoc ſecundùm illam perfectionem juſtitiæ, in qua verè, & omnimode immaculati, perfectique vivemus*: nempe, in Patria.

Job autem quantumcumque juſtus fuerit, & abſtinuerit ab omni opere malo ex deliberata voluntate; donec tamen in hac vitâ mortali manſit, non fuit liber à lege, quæ repugnat legi mentis, & proinde nec à levibus ſordibus, quæ ex ejus ſurreptione contrahuntur. Unde ipſe Job coram Deo peccata ſua confitetur, & apertè ait, quòd non juſtificabitur in conſpectu ejus omnis vivens. Hinc S. Auguſt. lib. 2. de Peccat. meritis, & remiſſ. c. 12. *Non igitur* (inquit) *præclarum illud teſtimonium Dei, quo laudatus eſt Job, contrarium eſt ei teſtimonio, quo dictum eſt*: Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Quia non id perſuadet, prorſus in illo nihil fuiſſe, quod vel ab ipſo veraciter, vel à Domino Deo rectè reprehenderetur; quamvis jam juſtus, & verax Dei cultor, & ab omni opere malo ſe abſtinens non mendaciter diceretur*.

XXIII. Secundò objici poteſt. 1. Joann. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit.... & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*; ergo juſtus, dum juſtus eſt, peccatum non facit, nec veniale, nec facere poteſt.

Reſpondeo, neg. conſ. Joannis enim verba duplicem ſenſum facere poſſunt. Vel quòd juſtus nec peccat, nec peccare poteſt, ne quidem venialiter, quatenus talis; ideſt, quatenus operatur ut juſtus, nempe, ex Dei gratia, & caritate. Vel quòd juſtus nec peccet, nec peccare poſſit, componendo cum juſtitia peccatum juſtitiæ oppoſitum, atque adeo mortali, dum juſtus manet: ſimul enim ſtare nequeunt, peccare mortaliter, & manere juſtum: unde ſuperiùs dixerat v. 8. *Omnis, qui facit peccatum, ex Diabolo eſt*. Quibus indicat, ſe loqui de peccato mortali, & de eodem loqui, cum ait: *Omnis, qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit*.

XXIV. Tertiò objiciunt. Homo, etiam non extincto, aut ligato fomite, poteſt vitare omnia peccata venialia; ergo nulla eſt ratio ſupra adducta. Antec. prob. Poteſt Deus homini, quoties inſurgunt motus inordinati, vel urget motivum peccandi venialiter, conferre auxilium efficax, quo de facto vitet peccatum: ſed hoc poſito vitabit omnia venialia, nec habebit extinctum, aut ligatum fomitem: quia tale auxilium non faceret, ne motus inordinati inſurgerent; ſed ſolùm, quòd quoties inſurgerent, reprimerentur, & non eſſent peccata, neque venialia.

XXV.

XXV. Reſpondeo, neg. antec. Ad prob. diſt. maj. Poteſt &c. attentâ potentiâ abſolutâ, admitto maj. Attentâ potentiâ ordinariâ, nego maj. Dato ergo, quòd de potentia abſoluta poſſit Deus, mediis auxiliis efficacibus, facere, ut homo vitet omnia peccata venialia ſinè extinctione, aut ligatione fomitis: attamen de ordinaria potentia, quæ omnia connaturaliter diſponit, non datur privilegium vitandi omnia peccata venialia, non priùs extincto, aut ligato fomite. Hoc enim connaturalius eſt; ſicut connaturalius eſt, quòd antequam Deus det gratiam efficacem ad victoriam tentationis gravis, immittat ſanctas cogitationes, & affectus tentationem minuentes, vel auferentes. Hinc B. Virgini, cui ſoli conceſſum credimus privilegium generaliter vitandi omnia venialia, conceſſum fuit per extinctionem fomitis; in aliis autem, in quibus non fuit extinctus fomes, non eſt conceſſa gratia omnia venialia vitandi.

Addo: quòd majus privilegium, & miraculum eſſet, ſinè extinctione, aut ligatione fomitis dare auxilium efficax ad vitanda omnia venialia, quàm fomitem extinguere, vel ligare. Majus enim eſt, hominem cum effræni appetitu ſemper operari conformiter ad rationem; quàm ita operari, appetitu extincto, vel frænato: ſicut major victoria eſt, de hoſte fortiter pugnante triumphare, quàm illum ad pugnandum reddere impotentem; & vincere, hoſte jam reddito impotente.

XXVI. Quartò objiciunt. Ex Divo Thoma probavimus, hominem non poſſe vitare omnia peccata venialia collectivè; quia non poteſt eſſe ſemper pervigil ad reprimendos motus appetitus inſurgentis contra rationem; ergo faltem vitare poterit omnia venialia ex objecto talia, quæ cum plena advertentia committuntur.

XXVII. Reſpondeo ex dictis ſ. præcedenti, negando conſeq. Fieri enim non poteſt, quòd animus hominis in hac viâ inclinatus ad ſenſibilia, per totam vitam, ſive per longum tempus, non cedat plus, quàm oportet vanitatibus, voluptati, aut curioſitati. Nimiæ enim, & frequentes ſunt occaſiones, & materiæ, quæ occurrunt. Fomes etiam peccati, & deordinatio appetitus non ſolùm eſt cauſa, vel occaſio, ut homo ex imperfecta deliberatione peccet; ſed etiam, ut ſtante perfectâ deliberatione, frequenter trahatur à paſſione aliquâ, & ut non ſemper, & in levibus rationi adhæreat. An verò ad hoc evitandum, requiratur ſpeciale privilegium; judico requiri; quia Scriptura, & Patres generaliter de omnibus venialibus loquuntur, ut ſupra dicebamus.

XXVIII. Quintò objiciunt contra ſecundam Aſſertionem. Nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt, ut ait Auguſt. *lib. 3. de Libero arb. cap. 18.* ſed homo non vitando omnia venialia peccat; ergo ea vitare poteſt.

Reſpondetur communiter, diſt. min. Non vitando omnia diviſivè, & ſingulatim, conc. min. Omnia collectivè, nego min. & conſeq. Ut enim peccata imputentur, ſatis eſt, ut homini adſit auxilium, quo valeat, ſingula diviſivè vitare: peccata enim non collectivè, ſed diviſivè vitanda occurrunt. Ita S. Tho. hâc q. 109. art. 8. *Non poteſt* (inquit) *homo abſtinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis; cujus motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt: & ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii, non autem omnes*. Et ſuperiùs *q. 74. a. 3. ad 2.* dixerat: *Talis corruptio fomitis non impedit, quin homo rationabili voluntate poſſit reprimere ſingulos motus inordinatos ſenſualitatis, ſi præſentiat; puta, divertendo cogitationem ad alia. Sed dum homo cogitationem ad aliud divertit, poteſt etiam circa illud aliquis inordinatus motus inſurgere: ſicut cùm aliquis transfert cogitationem ſuam à delectationibus carnis, volens concupiſcentiæ motus vitare, ad ſpeculationem ſcientiæ; inſurgit quandoque aliquis motus*

inanis

Digitized by Google

inanis gloriæ impræmeditatus. Et ideo non poteſt homo vitare omnes hujuſmodi motus, propter corruptionem prædictam. Sed hoc ſolùm ſufficit ad rationem peccati voluntarii, quòd poſſit vitare ſingulos. Idem docet in 3. *contra Gentes cap.* 160. Ratio autem eſt: quia homo tunc ſolùm peccat, quando non reprimit motus inordinatos, quos reprimere poteſt: cùm autem non poſſit reprimere totam collectionem motuum inordinatorum, ſtante corruptione fomitis; ſeu in poteſtate ejus non ſit, ſeparari à fomitis corrupti conjunctione, hinc fit, quòd non peccat.

XXIX. Sed dices. Habetur præceptum de nunquam peccando venialiter; ergo habetur præceptum de vitanda totâ collectione venialium; quia nunquam peccare, eſt idem, ac vitare totam collectionem peccatorum: ſed præceptum non datur de impoſſibili, Deus enim impoſſibilia non jubet; ergo eſt poſſibile vitare &c.

XXX. Reſpondeo, neg. conſ. Præceptum enim de nunquam venialiter peccando eſt de vitandis peccatis, pro ut hìc, & nunc vitanda occurrunt: occurrunt autem vitanda, non collectivè, ſed diviſivè. Unde ſufficit, ut omnia poſſit vitare diviſivè; quod eſt, nullum de facto occurrere poſſe veniale, quod non poſſit vitare; aut quòd ſic illud committat, quòd poſſit non committere: quod benè ſtat cum in potentia ad omnia collectivè. Sicut impoſſibile eſt, quòd non veniant ſcandala, & in collectione hominum potentia non eſt ad vitanda ſcandala: & tamen nullus datur homo, qui non poſſit ſcandalum vitare, & ſi non vitet, non peccet. Unde ait Chriſtus, Matth. 18. v. 7. *Neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Ita in caſu. Et ſicut ut homo poſſit vitare ſcandala, requiritur quidem, ut poſſit vitare ſcandalum hìc, & nunc ſibi occurrens; non autem ut poſſit vitare ſcandala præbenda ab aliis, & in collectione omnium occaſionum: ſic, ut quis poſſit vitare omnia venialia, requiritur quidem, ut poſſit vitare omne veniale in hac, vel illâ occaſione committendum; non tamen ut poſſit vitare in collectione omnium occaſionum: quia ſic neceſſe eſt, eſſe in natura corruptâ peccata venialia, ſicut neceſſe eſt, in Mundo dari ſcandala.

XXXI. Replicabis. Iſte actus: *Nolo vitare omnia peccata venialia*, licitus non eſt; ergo poteſt, & tenetur &c. Si enim non poſſet, licitè poſſet nolle: poſſum enim nolle facere, quod facere non poſſum.

Confirmatur. Qui ſemper facit quantum poteſt, nunquam peccat; ergo qui ſemper poteſt facere quantum poteſt, poteſt nunquam peccare: ſed quilibet homo, præſertim juſtus, ſemper poteſt facere quantum poteſt; ergo poteſt nunquam peccare ſinè privilegio.

XXXII. Reſpondeo primò, neg. conſ. Nam iſte actus: *Nolo vitare omnia venialia collectivè*, includit etiam nolle vitare aliqua, imò & ſingula diviſivè: non enim poſſunt non vitari omnia, quin non vitentur aliqua — Secundò reſpondeo, neg. item conſ. quia non vitare omnia venialia, eſt objectum turpe, & ex ſe malum; ergo non licet deliberatè illud velle. Nec refert, quòd vitare illud non poſſit. Nam ſi ex ſe malum ſit, quamvis mihi neceſſarium, velle illud non poſſum: ſicut peccatum Antichriſti vitare non poſſum; & tamen mihi licitum non eſt, velle, quod Antichriſtus peccet.

XXXIII. Ad Confirm. nego ſubſumptum. Attentâ enim hominis, etiam juſti, corruptione, inſtabilitate, & fragilitate; ac perpenſis ſimul quotidianis tentationibus, ac peccandi occaſionibus, moraliter loquendo, iſta duo non conſiſtunt: hominem eſſe in hoc ſtatu mortalitatis, & ſemper facere totum, quod poteſt: ideoque in ſenſu compoſito præſentis corruptionis, verum non eſt, quòd homo ſemper poſſit facere totum, quod poteſt; quamvis abſolutè, & in ſenſu diviſo, ac ſimpliciter, verum ſit.

Digitized by Google

XXXIV. Sed inſtabis. Si non poſſumus ab omni peccato abſtinere, nec poſſe à Deo ſperamus, cur ab eo petimus, eſſe ſinè peccato: *Ut ad nullum declinemus peccatum?*

Reſpondeo, id rationabiliter nos à Deo petere, quia nullum prorſus eſt peccatum, quod cum Dei gratia vitare non poſſimus; & conſormiter ſperamus à Deo gratiam, quâ unumquodque vitare poſſimus: & licèt gratiam non ſperemus, quâ omnia collectivè vitare poſſimus, valet tamen hæc oratio. Tùm quia: nunquam peccare, quia bonum, ſemper optandum eſt. Tùm quia: oratio illa valet, ut rariùs peccemus, & peccata quæ commiſimus, aut deleantur, aut minuantur: & ut tale deſiderium nunquam peccandi manuducat nos ad ſtatum Regni Cœleſtis, ubi nulla penitus peccata erunt.

XXXV. Sextò objici poteſt contra tertiam Aſſertionem Chryſoſtomus, qui *Homil.* 20. *in Joann.* ait, B. Virginem ex motu ambitionis dixiſſe Filio: *Vinum non habent*. Et Auguſtinus, qui *lib. Quæſt. Vet. & novi Teſt. qu.* 73. ſuper illa verba Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, dicit, eam habuiſſe dubitationem fidei in Paſſione Chriſti. Tandem B. Virgo potuit & ipſa dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*, & dixiſſe credenda eſt; ergo ab omni veniali nec ipſa fuit immunis.

XXXVI. Reſpondeo ad 1. ex D. Th. 3. p. q. 27. a. 4. ad 3. *Quòd in verbis illis Chryſoſtomus exceſſit. Poſſunt tamen exponi, ut intelligatur, in ea Dominum cohibuiſſe, non inordinatum inanis gloriæ motum quantùm ad ipſam: ſed id, quod ab aliis poſſet æſtimari.*

Ad ſecundum dico cum eodem S. Th. citato ad 2. *Quòd illud verbum Simeonis, Origenes homil.* 17. *in Lucam, & alii Doctores, exponunt de dolore, quem paſſa eſt in Chriſti Paſſione. Ambroſius autem in hunc locum*, per gladium, *dicit, ſignificari prudentiam Mariæ non ignaram myſterii Cœleſtis. Vivum eſt enim Verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo. Quidam verò per gladium dubitationem intelligunt. Quæ tamen non eſt intelligenda dubitatio infidelitatis, ſed admirationis, & diſcuſſionis. Dicit enim Baſilius in Epiſt. ad Optimum* (quæ eſt 317.) *Quòd* B. Virgo aſſiſtens Cruci, & aſpiciens ſingula, poſt teſtimonium Gabrielis, poſt ineffabilem divinæ conceptionis notitiam, poſt ingentem miraculorum oſtenſionem, animo fluctuabat: *Ex una ſcilicet parte videns, eum pati abjecta, & ex alia parte conſiderans ejus mirifica*. Hæc S. Thom. Ad tertiam dico, quòd B. Virgo potuit dicere, & de facto dixit: *Dimitte nobis debita noſtra*, orans totius Eccleſiæ nomine, aut cum communitate Fidelium, quamvis ipſa in ſe nullum debitum haberet.

DUBIUM XI.

De Neceſſitate Gratiæ ad ſe præparandum ad Gratiam.

§. I.

Errores, & Opiniones.

I. Duo fuerunt circa hoc ſuperiùs recenſiti extremi errores. Primus eſt Lutheri, & ſuorum, qui cùm aſſerant, omnia opera hominis, ante juſtificationem facta, eſſe peccata; conſequenter dicunt, hominem, etſi à gratia excitetur, nihil agere poſſe, quo ſe ad juſtificationem præparet, ac diſponat. Utrumque hunc errorem confixit Tridentinum *Seſſ.* 6. Priorem quidem *Can.* 7. his verbis: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare: anathema ſit*. Contra quem errorem ſupra pugnavimus *Dub.* 4. §. 3. & contra Bajum, & Janſenium §. 4. & 5. Poſteriorem verò Can. 4. *Si quis dixerit*,

tenerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendum juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet .... anathema ſit.

II. Secundus error fuit Pelagii, & Pelagianorum dicentium, homines per naturales vires liberi arbitrii, abſque ullo gratiæ interioris auxilio, ad gratiam ſe præparare poſſe: cui Semipelagiani præcipuè ſubſcripſerunt, volentes, initium juſtificationis eſſe ex nobis, & gratiam ſecundum merita noſtra dari. Contra hos ſtant plures Conciliorum definitiones, & præcipuè Arauſicani II. *Can.* 4. ubi ſtatuitur: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit; non autem, ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit Spiritui Sancto dicenti.* Præparatur voluntas à Domino: & Tridentini *Seſſ.* 6. *Can.* 1. 2. & 3. Pelagii perſonam, & errores deſcripſimus, ac eos impugnavimus *Tom.* 4. *in* 1. *p. Qu.* 3. *de Cauſis Prædeſtinationis Dub.* 1. per totum. Unde ne inutiliter repetantur, quæ ibi diximus, illuc Lectorem remitto.

III. Porro S. Thomas, & cum eo Catholici omnes mediâ viâ inter iſtos duos errores incedentes, ajunt, hominem quidem ſe ad gratiam præparare; non tamen per ſeipſum, ac ſuas vires, ſed auxilio gratiæ moventis. Ita Angelicus Doctor hâc *q.* 109. *a.* 6. dicens: *Duplex eſt præparatio ad bonum. Una quidem, quâ præparatur ad benè operandum, & ad Deo fruendum. Et talis præparatio voluntatis non poteſt fieri ſinè habituali gratiæ dono, quod ſit principium operis meritorii. Alio modo poteſt intelligi præparatio voluntatis ad conſequendum ipſum gratiæ habitualis donum. Ad hoc autem, quòd ſe præparet homo ad ſuſceptionem hujus doni, non oportet præſupponere aliud donum habituale in anima, quia ſic procederetur in infinitum: ſed oportet præſupponere aliquod auxilium gratuitum Dei interiùs animam moventis, ſive inſpirantis bonum propoſitum.*

IV. Neque oppoſitum docuit in 2. *diſt.* 28. *q.* 1. *a.* 4. ubi ait: *Quòd ad gratiam gratum facientem habendam, ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare.* Nam illud *ex ſolo*, non excludit auxilium ſpeciale, & motionem gratuitam Dei, ſed donum habituale gratiæ. Ibi enim expreſsè ait, gratiam dupliciter accipi. Primò: pro eo, quo homo à Deo excitatur ad convertendum ſe, ut gratiam gratum facientem accipiat, quod gratia gratis data dici poteſt; & ſic ſinè gratiâ gratis datâ homo ſe ad gratiam non præparat. Secundò: pro aliquo dono habituali animæ infuſo: & licèt aliqui dicant, ſinè hoc neminem poſſe ſe ad gratiam gratum facientem præparare; ipſe tamen S. Tho. ibi docet, ſine hoc dono habituali, ex ſolo libero arbitrio, excitato tamen per gratiam gratis datam, ſeu actuale auxilium Dei, poſſe ſe præparare ad gratiam gratum facientem, ſeu habitualem habendam, aliàs abiretur in infinitum.

V. De ipſa primâ gratiâ auxiliante, ſeu excitante, dubitatum olim fuit: an ad ipſam, ſicut ad gratiam gratum facientem, detur ex parte hominis aliqua diſpoſitio, condignitas, meritum, ſeu præparatio. Et Semipelagiani quidem, ut nuper dicebamus, aſſerebant, primam gratiam, unde fides, & juſtificatio ſumit initium, primamque Dei vocationem eſſe ex nobis; nempe, intuitu boni operis noſtri facti ex ſolis naturæ viribus, tanquam propter meritum de condigno, vel ſaltem de congruo concedi.

VI. Aliqui tamen Doctores Catholici volunt, ex viribus naturæ dari cauſam diſpoſitivam, eſtò non meritoriam, primi ſupernaturalis auxilii. Inter hos recenſetur Scotus, Durandus, Gabriel &c. Alii verò dicunt, opera bona ordinis naturalis, non eſſe quidem naturâ ſuâ diſpoſitiones ad primam gratiam, primamque Dei vo-

Digitized by Google

cationem; eſſe tamen ex lege Dei, & pacto inito cum Chriſto de non negandâ gratiâ facienti quod in ſe eſt, ex viribus naturæ: quo pacto cum gratia auxiliante connexionem aliquam, vel proportionem ſaltem congruitatis accipiunt. Ita Molina *in Concordia diſp.* 10. plures ex Recentioribus ſecum trahens. De his omnibus egimus citato *Tom.* 4. *in* 1. *partem q.* 3. *de Cauſis Predeſt. dub.* 1. *&* 2. aliqua tamen pro uberiori cognitione hic breviter dicemus.

§. I.

Reſolutiones.

VII. Dico primò. Fide certum eſt, quòd nemo ex ſolis naturæ viribus, ſinè auxilio gratiæ ſpecialis, poteſt ſe ad gratiam habitualem conſequendam præparare; ſic, ut eam de condigno mereatur. Eſt contra Pelagium, cujus unum ex præcipuis dogmatibus hoc erat: *Gratiam ſecundùm merita noſtra dari*. Quod & Pelagius ipſe, ne à Concilio Palæſtino damnaretur, ejurare coactus fuit. Et Patres ibi congregati, ſicut & tota Eccleſia Catholica, pro condemnato habuerunt ſemper, conſtantiſſimè aſſerentes: *Gratiam non ſecundùm merita noſtra dari*, propter rationes quas citato *Tomo* 4. *in* 1. *P. Q.* 3. *Dub.* 1. §. 3. *num.* 16. expendimus. Quibus nunc addo Auguſt. *Ep.* 107. modò 217. *ad Vitalem cap.* 6. ſic arguentem: *Quomodo voluntatis humanæ meritum ſequitur gratia, cùm detur & parvulis, qui nondum poſſunt velle, ſeu nolle? Quomodo gratiam vel in majoribus dicuntur præcedere merita voluntatis; ſi gratia, ut vera ſit gratia, non ſecundùm merita noſtra datur? Quam ſententiam Catholicam Pelagius ipſe ſic timuit; ut eos, qui dicunt, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, ſinè dubitatione damnaret, ne à Catholicis judicibus damnaretur.* Et Epiſt. 106. modo 186. ad Paulinum cap. 2. *Si* (inquit) *quærere voluerit ante gratiam, quid meruerit, ut acciperet eam, mala ſua poterit homo invenire, non bona; etiamſi eum unius diei vitam habentem ſuper terram gratia Salvatoris invenerit.*

VIII. Hinc Tridentinum *Seſſ.* 6. *Can.* 3. ait: *Si quis dixerit, ſinè præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur: anathema ſit*. Et *Seſſ.* 14. *c.* 4. Enumerans attritionem inter diſpoſitiones ad gratiam juſtificationis in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, eam dicit, *Donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.*

IX. Triplici ratione hæc veritas probari poteſt. Prima ex D. Tho. hâc *q.* 109. *a.* 6. Finis, & principium alicujus effectus debent, quoad ordinem, proportionari, quia idem eſt ordo finium, & agentium: at finis omnis diſpoſitionis ad gratiam habitualem eſt, hominem conjungere Deo, ut auctori, non naturæ, ſed ſupernaturali, & ut poſſidendo per gloriam; ergo principium ad hoc movens debet eſſe Deus auctor ſupernaturalis. — Secunda ſumitur ex eodem 3. *contra Gent. c.* 149. Nulla cauſa particularis poteſt prævenire actionem cauſæ univerſalis, ſicut nulla cauſa ſublunaris poteſt prævenire motum cœleſtem: ſed anima humana ſe habet ut cauſa particularis, Deus autem auctor gratiæ ut cauſa univerſalis; ergo non poteſt prævenire ſuâ actione motionem Dei, ſeu ſe præparare ad gratiam habitualem actione, quæ à Deo auctore gratiæ non ſit. — Tertia ex hoc *a.* 6. ſumta talis eſt. Se præparare ad gratiam habitualem, eſt ſe convertere ad ultimum finem ſupernaturalem: ſed licèt homo per ſeipſum, & ex motione cauſæ particularis poſſit ſe convertere ad finem proximum; ad finem

tamen ultimum ſe convertere nequit, niſi per motionem primi moventis: *Sicut animus militis movetur ad quærendam victoriam ex motione Ducis exercitus; ad ſequendum autem vexillum alicujus aciei ex motione tribuni*; ergo cùm Deus ſit primum movens ſimpliciter, ex ejus motione eſt, quòd homo ad ultimum finem ſupernaturalem, & ſimpliciter ultimum convertatur.

X. Dico ſecundò. Homo ex viribus naturæ nequit ullo modo, nec remotè, ſe diſponere ad primam gratiam, puta, vocationis ad fidem. Eſt contra Semipelagianos à nobis probata citato *Tom. 4. in 1. p. Qu. 3. Dub. 1. §. 3. à num. 17.* Unde ibi dicta conferenda ſunt; & præſertim auctoritates tùm ex Scripturis, tùm ex Auguſtino expenſæ. Nunc addo: Si homo ſinè auxilio, & gratiâ Dei poſſet ad gratiam auxiliantem ſe præparare; hoc eſſet, vel per humanas vires eam invocando, vel credendo, volendo, deſiderando, pulſando: ſed inprimis ſolis naturæ viribus non poteſt, nec de gratia cogitare, multò minùs eam quærere, ut oſtenſum eſt citato loco §. 4. *num.* 32. Deinde quantumcumque ponatur quiſpiam, ſolis naturæ viribus gratiam invocare, credere, velle, deſiderare, non idcirco dabitur ei gratia; ergo non erit ad illam diſpoſitus. Min. prob. ex *Can.* 2. Concil. Arauſic. ubi dicitur: *Si quis per invocationem humanam, gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti: Inventus ſum à non quærentibus me, palàm apparui his, qui me non interrogabant.* Idem ſtatuit *Can.* 6. addens, quòd qui contrarium ſentit: *Reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes, quod non accepiſti: & Gratiâ Dei ſum id, quod ſum.* Et Can. 7. *Si quis* (inquit) *per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere; ſive ſalutari, ideſt Evangelicæ prædicationi, conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu.*

XI. Dico tertiò. Opera moraliter bona Deum non movent ad dandam gratiam auxiliantem; nec de congruo ex Dei lege, vel pacto inito cum Chriſto, quòd facienti quod in ſe eſt, Deus daturus ſit gratiam. Aſſertio contra Molinam ſtatuta, & probata eſt ſæpè citato *Tom.* 4. *in* 1. *p. Qu.* 3. *de Cauſ. Prædeſt. toto Dubio* 2. ubi oſtendimus, opera moraliter bona ex ſe movere non poſſe Deum ad dandam gratiam; nec dari ullum pactum initum cum Chriſto de ea dandâ ex talibus operibus; & quòd illud dictum: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, exponendum eſt, ex D. Thoma, de faciente quod in ſe eſt, non viribus naturæ, ſed gratiæ. Videantur ergo ibi dicta.

XII. Nunc ſic diſcurro. Arauſicani Patres, ex ſuperiùs dictis, & quotquot contra Pelagianos, & Semipelagianos pugnarunt, conſtantes fuerunt in hoc principio: *Gratiam non ſecundùm merita noſtra dari.* Et Arauſic. II. *Can.* 6. damnat eum, qui, ſinè gratiâ Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus, miſericordiam dicit conferri: atqui hæc adeo generaliter non dixiſſent, ſi adeſſet lex, & pactum de danda gratiâ facienti quod in ſe eſt viribus naturæ; ergo &c. Vel Patres illi ignorarunt iſtud pactum, quod ſupponit Molina; vel iſtud pactum non datur. Minor pro prima parte probatur. Si eſſet lex, conventio, & pactum de danda gratiâ facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus; iam poſitâ tali conventione, & pacto, in bonis operibus per naturales vires factis eſſet quoddam meritum, fundans aliquam rationem debiti, ut propter illa gratia daretur. Nam pactum, & conventio aliquod debitum juſtitiæ fundat; quod oſtendit Chriſtus, *Matth.* 20. in Parabola

Digitized by Google

bola de Operariis, ubi ſuppoſitâ conventione denarii pro labore diurno, denarium merces fuit, & debitum titulo iuſtitiæ. Quare illis Dominus dixit: *Nonne ex denario conveniſti mecum, tolle quod tuum eſt, & vade.* Ergo ſi adeſſet conventio de danda gratiâ facienti quod in ſe eſt ſolis naturæ viribus, gratia evaderet merces, debita; & non gratis, ſed ſecundùm meritum daretur, & gratia non eſſet gratia: quia poſitâ tali conventione, in gratia conferendâ rationem illorum operum haberet, eamque illis ab homine poſitis teneretur dare.

Si dicas, tale debitum eſſe ſolùm in ordine ad Chriſtum, cum quo æternus Pater tale pactum iniit; non verò in ordine ad hominem.

Contra eſt. Nam ſi aliquis Rex ad inſtantiàm Filii conderet legem, quâ promitteret, ſe daturum Civitatem cuicumque ex militibus, qui primus illam ingrederetur; poſitâ tali lege, qui primus ingrederetur Civitatem, eam faceret ſibi debitam, & talis ingreſſus faceret, ut non ex gratia illi conferretur; ergo ſi Pater æternus legem &c.

XIII. Secunda etiam pars probatur. Nam ſi facienti quod in ſe eſt naturæ viribus Deus ex pacto dat gratiam; ergo jam ſine gratiâ conanti, volenti, deſideranti, pulſanti confertur miſericordia Dei. Quod tamen à Concilio Arauſicano II. in Semipelagianis damnatum fuiſſe *Can.* 6. vidimus.

§. III.

Contra præfatas Aſſertiones Militantia.

XIV. Quæ contra primam, & ſecundam aſſertionem in favorem Pelagianorum, & Semipelagianorum afferri ſolent, propoſita à nobis fuerunt, & ſoluta citato *Tom.* 4. *in* 1. *p.* Q. 3. *de Cauſis Prædeſt. Dub.* 1. §. 4. Quæ verò pro ſua opinione adducit Molina, ſoluta etiam fuerunt ibidem *Dub.* 2. §. 2. quò Lectorem remitto. Præter tamen ibi dicta

XV. Objici poteſt primò. Prima gratia auxilians ſupernaturalis eget aliqua diſpoſitione ex parte ſubjecti; ſed hæc non poteſt eſſe ſupernaturalis, alioquin alia ſupernaturali diſpoſitione indigeret, & ſic in infinitum; ergo debet eſſe naturalis, & conſequenter homo, ex viribus naturæ, poteſt ſe diſponere ad primam gratiam. Min. patet. Maj. verò prob. ex D. Thoma 1. *p. q.* 12. *a.* 5. ubi ſic ait: *Omne, quod elevatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet, quòd diſponatur aliquâ diſpoſitione.* At prima gratia auxilians excedit naturam hominis; ergo ut elevetur ad illam, debet aliqua diſpoſitio præcedere.

XVI. Reſpondeo, neg. maj. Ad probat. Explico S. Thomam, ad aliquid ſe habens per modum termini, & formæ completæ, con. maj. Ad aliquid ſe habens per modum viæ, & motus ad terminum, nego maj. Ad gratiam ergo habitualem, quæ eſt forma habens eſſe completum, & terminus juſtificationis, requiritur præparatio ex parte hominis; non verò ad ſuſcipiendum auxilium gratiæ, quod datur per modum viæ, & motionis; Ita ſe explicat idem S Doctor, tùm hàc *q.* 109. *a.* 6. *ad* 3. tùm *q.* 112 *a.* 2 his verbis; *Gratia dicitur dupliciter. Quandoque quidem ipſum habituale donum Dei: quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primò igitur modo accipiendo gratiam, praexigitur ad gratiam aliqua gratia præparatio; quia nulla forma poteſt eſſe, niſi in materia diſpoſitâ. Sed ſi loquamur de gratia, ſecundùm quòd ſignificat auxilium Dei moventis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis. quaſi præveniens divinum auxilium: ſed potiùs quæcumque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum.* In loco autem citato ex 1. *p.* loquitur de forma ſe habente per modum termini; nempe, de divina eſſentiâ per modum formæ intel-

intelligibilis: & ad hanc, ut uniatur intellectui beato, dicit, prærequiri lumen gloriæ, tanquam diſponens intellectum ad talem unionem. Ad quod probandum aſſumit hoc principium: *Omne, quod elevatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet, quòd diſponatur aliquâ diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam*. Ex quo patet etiam, quòd ſi ad primam gratiam auxiliantem deberet admitti aliqua diſpoſitio; hæc deberet eſſe non in natura, ſed *ſupra naturam*. Quare S. Thomas in totum pugnat cum contraria ſententia.

XVII. Secundò objici poteſt. Actus merè naturales conducere poſſunt ad gratiam impetratoriè; ergo etiam diſpoſitivè. Conſ. probatur ex paritate rationis. Ant. verò eſt D. Thomæ 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. in corp. dicente: *Orationem verò peccatoris ex bono naturæ deſiderio procedentem, Deus audit, non quaſi ex juſtitia, quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia*. Et ibid. *ad* 2. ait de peccatore: *Et quamvis ejus oratio non ſit meritoria, poteſt tamen eſſe impetrativa; quia meritum innititur juſtitia, ſed impetratio innititur gratia*.

XVIII. Reſpondeo, neg. ant. Nec oppoſitum docet S. Thom. Dum enim dicit, quòd Deus exaudit orationem peccatoris ex bono naturæ deſiderio procedentem; loquitur de bono deſiderio naturæ, non nudè ſumptæ, ſed ut elevatæ per fidem auxiliantem, & deſiderio in fide fundato. Unde ſubdit, quòd exauditur, ſi nempe: *Pro ſe petat neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeveranter*. Quomodo autem neceſſaria ad ſalutem petere orando poteſt, quin talis oratio ſit donum Dei à fide procedens? Id clarè exprimit eâdem *q.* 83. *a.* 15. *ad* 1. his verbis: *Oratio ſinè gratiâ gratum faciente meritoria non eſt, ſicut nec aliquis actus virtuoſus. Et tamen etiam oratio, quæ impetrat gratiam gratum facientem, procedit ex aliqua gratia, quaſi ex gratuito dono. Quia ipſum orare eſt quoddam donum Dei, ut Auguſtinus dicit in lib. de Perſeverantia* (c. 23.) Et ibi ad 3. *Oratio* (inquit) *innititur principaliter fidei, non quantùm ad efficaciam merendi, quia ſic innititur principaliter caritati; ſed quantùm ad efficaciam impetrandi: quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ, & miſericordiæ, ex quibus oratio impetrat, quod petit*.

XIX. Alias auctoritates S. Thomæ congerit Molina, ut oſtendat, pactum de danda gratia facienti quod in ſe eſt viribus naturæ, agnitum fuiſſe à S. Doctore, & probatum. Attamen citato *Tom.* 4. *Qu.* 3. *Dub.* 2. §. 2. *num.* 13. quæ ſit genuina S. Doctoris mens, & quàm contraria opinioni Molinæ, oſtenſum eſt.

XX. Objici ſolet tertiò illud Proverb. 16. v. 1. *Hominis eſt, animam præparare, & Domini, gubernare linguam*. — Reſpondimus loco citato *num.* 12. Hominis eſſe, animam præparare cum adjutorio Dei: ita enim explicat S. Auguſtinus ibi allatus.

Sed contra hanc reſponſionem obſtare videtur. Nam ibi per antitheſim dicitur, quòd hominis ſit, animam præparare, & Domini, gubernare linguam: ſed hæc antitheſis non ſubſiſtit, niſi ſolius hominis ſit, animam præparare, cum gubernare linguam, quod dicitur eſſe Domini, ſit etiam hominis divinâ gratiâ adjuti; ergo &c.

XXI. Reſpondeo, antitheſim juxta datam explicationem benè ſubſiſtere. Quoniam etſi homo animam per divinam gratiam præparavit; non poteſt tamen linguam ſuam gubernare, niſi adhuc aliud novum gratiæ beneficium ei donetur. Significatur ergo, quòd quantumcumque homo ſe præparaverit, & animo ſuo præcogitaverit, quid, quomodo velit eloqui ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt (quod ſinè ſpeciali Dei gratiâ facere nequit) tamen quando venitur ad eloquendum illa præcogitata, opus ſit novâ Dei gratiâ, ut hoc convenienter fiat. Et quoniam illam gratiam ſolus Deus dat, & quidem non ſemper; ut proinde aliquando contingat, hominem,

etſi

Digitized by Google

etſi multùm conetur, vehementerque cupiat, non poſſe tamen eloqui, quod cogitavit: ideo gubernare linguam rectè aſſeritur eſſe ſolius Domini.

XXII. Objici poteſt quartò. Magis congruum videtur, quòd Deus det gratiam vocationis ad fidem ei, qui benè vivit moraliter, quia hic habet cum gratia minorem repugnantiam, minùſque propterea eſt indignus; quàm illi, qui pluribus flagitiis, & gravioribus ſordidatus, magis gratiæ reſiſtit, eâque magis eſt indignus.

XXIII. Reſpondeo, neg. ant. Eſtò enim qui benè vivit moraliter, minùs ſit indiſpoſitus, & minùs indignus, minùſque reſiſtat gratiæ Dei; non propterea ſequitur, quòd ſit magis congruum, dare gratiam minùs indiſpoſitis: nulla enim eſt congruitas, ſive ex parte Dei, ſive ex parte hominis. Non ex parte Dei: quia Deus gratiæ ſuæ Dominus eſt, nulli debitor, neque titulo convenientiæ, aut congruitatis: ſed cùm omnis homo ſit peccato ſubjacens, vel perſonali, vel originis, dum Deus unum, eſtò magis indignum ſuâ gratiâ liberat, miſericordiam exercet; dum verò alium, licèt minùs indignum, in peccato relinquit, juſtitiam exercet. Neque ex parte hominis: quia homo nullam proportionem habet ad gratiam. Alioquin ſi aliquam proportionem congruitatis, per bona opera naturalia, haberet ad gratiam, maxime primam; jam homo eſſet quodammodo initium ſuæ ſalutis, ſe ſe ab aliis diſcerneret, poſſet adversùs alterum inflari, & in ſe gloriari; quòd ſcilicet gratiam ſit conſecutus, quia non eſt ſicut cæteri, raptor, adulter, homicida &c. quod eſt contra dictum Apoſtoli 1. *Cor.* 4. *v.* 6. & 7. Quia ergo gratia, & gratis datur, ut vera ſit gratia, & Deus vult declarare, ſe eam omnino gratis dare; ideo nullo modo dicendum eſt, aliquam intervenire congruitatem in ea conferendâ intuitu operum, quæ ſolo naturæ ductu fiunt, abſque gratia.

XXIV. Audiendus propterea eſt Auguſtinus *Epiſt.* 105. modò 194. ad Sixtum: *Non omnium eſt fides, qui audiunt verbum, ſed quibus Deus partitur menſuram fidei: ſicut nec omnia germinant, quæ plantantur, & rigantur, ſed quibus Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt; & ſi miraculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem vident: altitudo eſt divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & apud quem non eſt iniquitas.* Et infra: *Cur illum potiùs, quam illum liberet, ſcrutetur, qui poteſt, judiciorum ejus tam magnum profundum. Verumtamen caveat præcipitium.* Quod certè Auguſtinus non diceret, ſi agnoſceret pactum de danda gratiâ ei potiùs, qui moraliter benè operatur. Eſſet enim facilis reſponſio, hunc potius, quàm alium ad fidem converti: quia per bona opera moralia reddidit ſe dignum, ut traheretur per gratiam vocationis ad fidem.

DUBIUM XII.

An qui jam conſecutus eſt Gratiam Habitualem, indigeat ulteriori Gratiæ Auxilio ad benè operandum, & quo?

§. I.

Doctrina D. Thomæ.

I. SAnctus Thomas hoc *a.* 9. docet, hominem lapſum, ſed jam per gratiam habitualem ſanatum, ac reparatum, cæteriſque virtutibus infuſis adauctum, non egere quidem ulteriori habitu infuſo; egere tamen auxilio actuali, quo moveatur ad benè operandum, ſecundùm habitus ſupernaturales, quibus ornatur. Cujus duplicem affert rationem. Unam generalem militantem etiam pro homine integro: quia, nimirum nulla res creata poteſt in actum prodire, niſi à Deo movea-

moveatur ad agendum. Alteram ſpecialem pro homine lapſo: quia licèt per gratiam habitualem ſanetur homo quantùm ad mentem, quæ per illam fit Deo ſubjecta; non tamen perfectè ſanatur quantùm ad carnem. Quamdiù enim in hoc mortali corpore agit, manet in eo corruptio fomitis; qui, niſi reprimatur, continvò contra rationem machinatur: manet in intellectu multa ignorantiæ obſcuritas; quâ ſæpè neſcimus, quid nobis ſit agendum, quid optandum, quid à Deo petendum, juxta illud Roman. 8. v. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.* Multa quoque in voluntate ſunt vulnera, & pronitas ad peccandum; multæ demum occaſiones, multa pericula, multæ tentationes: quæ omnia, niſi ulteriori gratiæ auxilio avertantur, & homo roboretur, eſſe non poterit, quin labatur. Huc revocanda ſunt, quæ ſupra diximus *Dub.* 9. §. 2. *Aſſert.* 2. *à num.* 8. *&* §. 3. *à num.* 16. ubi oſtendimus, ad diu vitanda omnia peccata mortalia homini lapſo eſſe neceſſariam, præter gratiam habitualem, etiam gratiam actualem.

II. Eſtò autem ibi dicta meo Candidato ſufficerent; ulteriùs tamen rem hanc pertractandam duxi, quærens: an ad omnes, & ſingulas pias, ſeu ſalutares actiones exercendas, homini juſto neceſſaria ſit aliqua nova gratia actualis, ſeu novum aliquod ſpeciale, & gratuitum auxilium, quod, præter gratiam habitualem, ad earum ſingulas ei conferatur; & rurſus: an ſit vera, & nova ſpecialis gratia; & tandem: an ſit gratia efficax.

§. II.

Reſolutiones.

III. Dico primò. Fide catholicâ certum eſt, *gratiam ad ſingulos actus dari.* Oppoſitam enim propoſitionem damnare, tanquam hæreticam, coactus fuit Pelagius in Synodo Dioſpolitanâ Palæſtinæ, ne ipſe ut hæreticus damnaretur, teſte S. Auguſt. *l. de Geſtis Pelagii c.* 4. & *Epiſt.* 106. modò 186. *&* 107. modò 217. *ad Vitalem c.* 2. ſcribens: *Hæc eſt illa Pelagianorum mala, malè diffamata, meritòque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio, timente damnari, in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata ſententia, quâ dicunt, gratiam Dei non ad ſingulos actus dari.* Et poſtea inter duodecim ſententias, quas ſe tanquam ad fidem veram pertinentes profiteri teſtatur, hanc recenſet: *Scimus majoribus* (hoc eſt adultis, ſeu ratione utentibus) *ad ſingulos actus dari.*

IV. Hanc probant Scripturæ. Joann. 15. v. 5. *Sinè me nihil poteſtis facere.* Super quæ Auguſt. *tract.* 8. *in Joannem*, obſervat, Chriſtum non dixiſſe: aut *multum*, aut *parvum*; ſed *nihil* poteſtis facere. Item ad Philipp. 1. v. 6. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Et c. 2. v. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et *ad Hebr.* 13. *v.* 21. Deus *aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram ſe.* Et, ut cæteras omittam, ponderanda eſt illa Pauli ſententia. 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?* Si enim ad aliquod opus bonum non daretur gratia actualis, ſed ſufficeret gratia habitualis; ſequeretur, quòd è duobus Juſtis gratiam habitualem habentibus, quorum unus bonum operaretur, alius otioſus maneret; ille ſe diſcerneret ab iſto, haberet aliquid, quod non accepiſſet, poſſetque in ſe gloriari, & adversùs alterum inflari.

V. Hinc Synodus Palæſtina laudata diſtinguit gratiam majorum à gratia parvulorum; & dicit, hanc *majoribus ad ſingulos actus dari*; ergo non loquitur de gratia habituali, quæ in utriſque conſervatur, ſed de nova gratiâ actuali, quæ majoribus datur: neque enim idem eſt *dari*, ac *conſervari*.

Digitized by Google

vari. Quapropter, ſive loquamur de adultis, qui dono gratiæ habitualis jam inſtructi ſunt; ſive de Cathecumenis, & pœnitentibus, ſeu generaliter de quibuſcumque boni aliquid ſalutaris cogitantibus, volentibus, agentibus: fatendum eſt, nihil eorum facere, niſi ipſis detur ad ſingula adjutorium gratiæ actualis ſupernaturalis. Id conſtat etiam ex Conſtitutione ducentorum quatuordecim Epiſcoporum, quam contra inimicos gratiæ Chriſti totus Mundus amplexus eſt, & quam S. Proſper *Reſponſ.* 8. *ad Capit. Gallorum*, refert: ubi reſolutum fuit: *Gratiam Dei per Jeſum Chriſtum non ſolùm ad cognoſcendam, verùm etiam ad faciendam juſtitiam nos per actus ſingulos adjuvare: ita ut ſinè illâ nihil vera, ſanctaque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus*. Et rurſus ex Epiſtola Cœleſtini ad Epiſcopos Galliæ C. 8. ſcribentis: *Ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt: ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium; & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium*. Quibus Cœleſtini verbis indicatur primò: ad ſingulos actus ſalutares gratiam Dei actualem requiri; non ſolùm ſumendo pro generibus ſingulorum, ſed pro ſingulis generum: ait enim: *In bonis quibuſque ſingulis motibus*. Secundò: eum loqui, non de tali gratia, quæ efficaciter inſpiret, & operetur, ſi homo velit, & non efficaciter faciat, ut velit: ſed de gratia faciente efficaciter, ut velit: id enim indicat illud *magis valere*. Magis enim valet, qui prævalet: prævalet autem qui ab alterius conſenſu non dependet, ſed eum ſibi ſubjicit, facitque, ut alter conſentiat. Quare

VI. Dico ſecundò. Dum dicitur, gratiam ad ſingulos actus dari, ſermo eſt de gratia efficaci. Sequitur ex prælaudatis Cœleſtini verbis. Quod confirmat modus precandi Eccleſiæ, quæ à Deo petit gratiam dantem non ſolùm poſſe, ſed etiam agere. Unde Dominicâ quartâ poſt Paſcha: *Da* (inquit) *populis tuis id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis*. Dominicâ quintâ: *Deus, à quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis; ut cogitemus, te inſpirante, quæ recta ſunt, & te gubernante, eadem faciamus*. Dominicâ duodecimâ poſt Pentecoſt. *De cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè, ac laudabiliter ſerviatur*. Dominicâ decimaſextâ: *Tua nos, quaſumus Domine, gratia ſemper præveniat, & ſequatur; ac bonis operibus faciat eſſe intentos*. His, & ſimilibus precandi formulis conſtat, Eccleſiam à Deo petere ad ſingulos actus gratiam, quæ faciat, ut agatur, & propterea gratiam efficacem. Id etiam oſtendunt teſtimonia Scripturæ ſuperiùs allata pro prima aſſertione.

VII. Hanc fuiſſe gratiam, quam admitti ad ſingulos actus à Pelagio poſtulabant Patres, oſtendit Auguſtinus *lib. de Gratia Chriſti c.* 10. his verbis: *Sed nos eam gratiam volumus, iſte aliquando fateatur, quâ futura gloria magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur, & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur: nec ſuadetur ſolùm omne, quod bonum eſt, verùm & perſuadetur.... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus*. Atqui gratia, quâ creditur, & ſperatur, quâ ſapientia amatur, quâ perſuadetur, eſt gratia efficax, quæ nimirum dat agere; ergo &c.

VIII. Quæres: an ad ſingulos actus ſalutares neceſſaria ſit gratia excitans, præveniens, & adjuvans?

Reſpondeo affirmativè. Univerſale eſt enim illud Auguſtini l. 2. de Peccat. merit. c. 18. *Quoniam quòd à Deo nos avertimus, noſtrum eſt: & hæc eſt voluntas mala. Quòd verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, atque adjuvante non poſſumus: & hæc eſt vo-*

luntas bona. Quid habemus, quod non accepimus? Gratiæ inſuper prævenientis, & ſubſequentis neceſſitatem agnoſcit *lib. 2. ad Bonif. c. 9.* dicens: *Si nos non prævenit Deus, non ſolùm non perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis. Si enim ſinè illo nihil poſſumus facere, profectò nec incipere, nec perficere. Quia ut incipiamus, dictum eſt* (Pſalm. 58.) Miſericordia ejus præveniet me. *Ut perficiamus, dictum eſt* (Pſalm. 22.) Miſericordia ejus ſubſequetur me. Et in Enchirid. c. 33. *Nolentem prævenit, ut velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* Quibus conformiter Sanctus Gregorius Homil. 10. in Ezech. *Ipſe* (inquit) *aſpirando nos prævenit, ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur, ne inaniter velimus, ſed poſſimus implere quod volumus.* Et S. Bernardus in Tract. de Gratia &c. *Conatus liberi arbitrii ad bonum, & caſſi ſunt, ſi à gratia non adjuventur; & nulli, ſi non exsitentur.*

IX. Quia verò Dei gratia dupliciter intelligi poteſt nos adjuvare: uno modo, quia nos juvat ad faciendum opus bonum, ipſum ſimul cum homine faciendo; non tamen hominem movendo, neque in ipſum hominem agendo: Alio modo, agendo in hominem; ipſum movendo, & faciendo, ut agat; ac inſuper influendo in opus, illudque ſimul cum homine operando: Scriptura, & Patres, ubi de adjutorio gratiæ ad ſingulos actus ſcribunt, illud, juxta hunc poſteriorem modum, intelligunt. Loquuntur de adjutorio, quo non ſolùm benè volumus, & benè operamur; ſed per quod etiam fit, ut benè velimus, & benè faciamus. Ut ex D. Auguſt. lib. de Correptione, & gratiâ c. 12. *Tantum Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur, ut velint.* Et Conc. Arauſic. II. cap. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Quod egregiè confirmat celebre S. Auguſtini dictum lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 16. *Certum eſt, nos facere cum facimus; ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis.* Sed de hoc plura alibi diximus, & infra dicemus.

X. Quæres tamen: Cùm gratia ad ſingulos actus detur, quid gratiæ, quid libero hominis arbitrio tribuitur?

Reſpondeo, bonum opus non partim gratiæ, partim libero arbitrio; ſed totum gratiæ, totum libero arbitrio tribui. Quòd totum opus bonum Dei gratiæ tribuatur, oſtendit primò Scriptura, quæ aſſerit, ſinè Dei gratiâ nec parum, nec multum nos poſſe, ſed nihil: *Sinè me nihil poteſtis facere.* Aſſerit quoque, id omne, quod in nobis bonum eſt, à Deo eſſe, Jacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Secundò, id oſtendit orationis præceptum, quo jubemur totum, non partem ejus, quod pertinet ad ſalutem, à Deo petere. Tertiò ex Patribus, & præſertim Auguſtino *in Enchiridio Cap. 32.* docente: ideo dictum eſſe: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: *Ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Et lib. de Dono Perſever. c. 13. *Hoc nobis expedit & credere, & dicere: hoc eſt pium, & verum, ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.* Cui ſubſcribens Proſper lib. contra Collatorem cap. ultimo: *Non eſt* (inquit) *devotionis, dediſſe prope totum, ſed fraudis retinuiſſe, vel minimum.*

XI. Porro: quòd totum etiam tribuatur libero arbitrio, docet S. Bernardus *lib. de Grat. & lib. arb. c. 14.* his verbis: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa, ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa.* Excipit tamen primam boni cogitationem, quæ

men-

mentem ſubit, addens: *Sic ergo tria hac, hoc eſt, bonum cogitare, velle, & perficere, operatur in nobis. Primum profecto ſinè nobis, ſecundùm nobiſcum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem ſibi per conſenſum jungit; miniſtrando eam conſenſui facultatem, foris per apertum opus noſtrum internus opifex innoteſcit.*

§. III.

Contrariorum Rationes.

XII. Contra primam Aſſertionem objicitur primò. Gratia habitualis ad hoc datur, ut per eam poſſimus facere bona, & vitare mala; ergo qui eam habent, nullâ aliâ gratiâ indigent ad faciendos actus bonos: aliàs gratia habitualis, vel fruſtra daretur, vel eſſet imperfecta, utpote non valens ad hoc, ad quod datur.

XIII. Ad hoc jam reſponſum fuit ſuperiùs *Dub. 9. §. 3. num. 16.* & ex D. Thom. hâc *qu. 109. art. 9. ad 1.* neg. conſeq. Nam gratia habitualis, & virtutes infuſæ, non ad hoc dantur, ut agamus; ſed ut per eas poſſimus, & habiles ſimus ad bona opera exercenda. Quo fit, ut etſi ad de facto bene agendum egeamus ulteriori auxilio: non tamen fruſtra datæ ſint; quia finem, ob quem ſunt datæ, nempe, hominem reddere Deo gratum, & potentem ad opera ſalutaria facienda, aſſequuntur. Nec ſunt imperfectæ: quia perfectio gratiæ, & virtutum non eſt in eo poſita, ut ulteriori divino auxilio non indigeant (quia, ut docet S. Thom. laudatus: *Etiam in ſtatu gloriæ, quando gratia erit omnino perfecta, homo divino auxilio indigebit.*) ſed in eo, quòd vires inferiores ſibi perfectè ſubjiciant, ne contra judicium rationis excitentur: quod cùm non habeant in viatoribus, ideo gratia in hoc ſtatu dicitur à D. Thoma eſſe imperfecta.

XIV. Sed dices primò. Concil. Milevit. *Can. 3.* Statuit, gratiam, quâ juſtificamur, non valere ad ſolam remiſſionem peccatorum, quæ jam commiſſa ſunt; ſed etiam ad adjutorium, ne committantur, & proinde ad facienda etiam opera bona. Idemque repetitur in Conc. Africano circa tempora Bonifacii I. *Can. 78.*

Secundò. Gratia actualis efficax eſt tantùm neceſſaria ad initium fidei, & ad perſeverantiam uſque in finem: de hac enim ſolâ loquitur Auguſtinus in *l. de Prædeſt. Sanctorum*, & *lib. de Dono perſeverantiæ*; ergo &c.

XV. Reſpondeo ad primum. Præfata duo Concilia dicere quidem, gratiam juſtificationis valere ad adjutorium, ne peccata committantur; partim quia animam ſanat, & benè diſponit, ac perficit; partim quia ſecum trahit virtutes infuſas, ex quibus ſequitur, gratiam habitualem dare ſufficiens poſſe: non tamen dicere, quòd gratia habitualis ſola ſufficiat, ut peccata deinceps non committantur, ſinè ulteriori gratiæ actualis adjutorio, ut in præſenti loquimur.

XVI. Ad ſecundum reſpondeo con. anteced. neg. conſ. Nam S. Auguſtinus in duobus citatis libris, quos edidit contra Semipelagianos, tantùm ſollicitus fuit, oſtendere neceſſitatem gratiæ ad initium fidei, & ad perſeverandum; quia hanc Semipelagiani negabant: non fuit tamen ſolicitus, eis oſtendere neceſſitatem gratiæ actualis ad alios actus; quia hanc illi ultro concedebant. Cujus tamen neceſſitatem ad ſingulos actus in libris, quos edidit contra Pelagianos, qui eam negabant, ſtrenuè inculcavit, ut vidimus. Unde Libro *de Dono perſeverantiæ cap. 24.* de Semipelagianis loquens: *Sed quid plura?* (inquit) *Satis docuiſſe me exiſtimo, vel potiùs pluſquàm ſatis: dona Dei eſſe, & incipere in Domino credere, & uſque in finem in Domino permanere. Cætera verò bona ad vitam piam, quâ Deus rectè colitur, pertinentia; etiam ipſi, propter quos hæc agimus, Dei dona eſſe concedunt.*

XVII. Objicitur ſecundò. Unicuique formæ debitus eſt Dei concurſus ad ſuam operationem proportionatam; ſicut calori debitus eſt concurſus ad calefaciendum: ſed gratia habitualis eſt forma quædam ad bonos, & ſalutares actus ordinata; ergo debetur illi concurſus, & ſic non eſt neceſſaria nova gratia.

XVIII. Reſpondeo, diſt. maj. Unicuique formæ, ratione ſui, omitto maj. Ratione indiſpoſitionis ſubjecti, nego maj. Cùm enim, ut ſupra diximus maximè *Dub.* 9. §. 2. *num.* 4.

Gratia habitualis in homine lapſo poſita, eſto ſanet animam quantùm ad mentem, non tamen quantùm ad corruptionem carnis; non ita illud reddit diſpoſitum, & expeditum ad bonum, quin, ut tollat omnia obſtantia ad actualem proſecutionem boni, debeatur illi concurſus ad eam, & non ſit nova gratia, cùm conceditur. Quare, quidquid ſit, an talis concurſus ſit debitus gratiæ ſecundùm ſe; non eſt tamen debitus individuo, cui præ alio conceditur: ſed illi eſt nova gratia, & quidem ſpecialis. Videantur dicta citato loco.

XIX. Objicitur tertiò. Ille, cui reſtituta eſt vita corporalis, poteſt abſque novo ſupernaturali auxilio exercere operationes vitales, ut videre, audire &c. ergo ſimiliter is, cui ſupernaturaliter reſtituta eſt vita animæ, poteſt ſinè novo auxilio ſupernaturali actiones animæ bonas operari.

XX. Reſpondeo, con. ant. nego conſequ. Operationes enim vitales, ut videre, audire &c. etiamſi earum principium ſit ſupernaturaliter datum, ſeu reſtitutum, adhuc ſunt naturales, nec vires naturæ excedunt: tam enim naturales erant operationes Lazari poſt reſurrectionem, quàm ante; & viſio cæci nati à Chriſto illuminati naturalis erat, ſicut viſio cujuſque alterius: ideoque non minùs abſque ſupernaturali auxilio eas exercere poterant, quàm quilibet alius homo: nam eſtò inchoatio, quoad modum, ſupra naturam fuerit, progreſſus tamen naturalis erat. At vita reſtituta animæ, per gratiam habitualem, ſupernaturalis eſt tam in initio, quàm in progreſſu, & conſummatione. Tàm enim excedit naturæ vires animæ ſanatio, & revocatio à morte peccati ad vitam per gratiam, quàm opera ſalutaria inde procedentia: unde æquè indiget ſupernaturali auxilio ad iſta, quàm ad illam. Aliqua propterea opera ſunt, quæ initium ſupernaturale habent, ſed non progreſſum, ut prædicta: alia verò ſupernaturalia ſunt in initio, progreſſu, & conſummatione; & hæc egent continuo divino auxilio ſupernaturali. Talis fuit ambulatio Petri ſuper aquas: quamprimùm enim Chriſtus virtutem ſuam ſubtraxit, quâ ſolidabat aquas, Petrus mergi cæpit. Talis, quòd Paulus nocte, ac die maneret in profundo maris: quòd Jonas triduò in ventre Ceti maneret vivus: quòd ignis Babylonicus non combureret tres pueros: quòd aquæ ſtarent rectæ in mari rubro, & ſimilia.

XXI. Objicitur quartò. Cereus ab igne accenſus debet quidem conſervari ardens, non tamen eget nova accenſione, ut comburat ſtuppam; ergo nec gratiâ cor accenſum eget novâ gratiâ, ut affectus pravos exuat.

Confirm. Aqua, quamdiu in fonte manet, ſponte ſalit: ſed aqua iſta eſt gratia, dicente Domino Joan. 4. v. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*; ergo &c.

XXII. Reſpondeo primò, quòd licèt cereus accenſus non egeat nova accenſione, ut comburat ſtuppam; eget tamen nova Dei motione facientis, ut urat, quam ſi ſubtraheret, ignis non ureret ſtuppam: ſicut ignis nec combuſſit Rubum, *Exod.* 3. nec ignis Babylonicus tres pueros. Unde Azorius l. 1. Inſtit. Moral. c. 21. q. 8. *Deus* (inquit) *non ſolùm cum igne urit, ſed etiam facit, ut urat: quia ſicut ignis non ſubſiſtit, niſi Deo volente, & faciente, ut ſubſiſtat; ſic non urit, non movet,* non

non efficit, niſi Deus velit, & faciat, ut urat, moveat, efficiat. Et poſtea: *Deum igne uti ad urendum, eſt ignem movere ad urendum, quia vult, ut urat, & volendo, motionem in igne imprimit, quâ unà cum illo urit ignis motus ab ipſo Deo ad urendum*. Quare diſtingui poteſt conſ. Non eget novâ gratiâ habituali, con. conſ. Nova gratia actuali, & movente, nego conſ.

XXIII. Reſpondeo ſecundò, diſparem eſſe rationem inter cereum accenſum, & hominem lapſum habentem habitum gratiæ, & caritatis. Nam cereus accenſus habet ignem jugiter excitatum. & actu ardentem: at homo juſtus habens gratiam habitualem, & caritatem, habet quidem ignem Spiritus Sancti, ſed non actu ardentem, imò quaſi ſopitum: & ideo opus habet, ut per auxilium actuale quodammodo excitetur.

XXIV. Ad Confirm. de aqua, dico primò, ſicut de igne dictum eſt, quòd ſalit, ſed Deo faciente, ut ſaliat; cujus motio ſi deficeret, aqua non ſaliret: ſponte ergo ſalit, ſed non ſinè Dei concurſu. Dico ſecundò, quòd ſicut aqua ſponte ſalit è fonte, ſed ſi inveniat impedimentum, eget manu illud tollente, ut ſaliat: ita gratia eſt fons aquæ ſalientis; ſed cùm ab appetitus pugna impediatur, ne actu ſaliat in vitam æternam: ideo indiget ſpeciali auxilio, ut de facto ſaliat.

XXV. Objicitur quintò. Experientia docet, hominem juſtum poſſe elicere actum fidei, ſpei, & caritatis, quando vult; ergo non eſt ei opus gratiâ ad ſingulos actus.

Reſpondeo, neg. conſ. Verum quidem eſt, hominem poſſe credere, ſperare, diligere, quando vult; ſed ut velit, voluntas ejus præparatur à Domino. Et quidem ſi juſtus ſit, à Spiritu Sancto inhabitante per gratiam, & habitus quaſi ſopitos excitante: ſi verò juſtus non ſit, ab eodem ut movente cor, & quaſi à foris pulſante. Quemadmodum anima aliter excitat ad opus membrum ſibi vitaliter conjunctum; aliter inſtrumentum ab ea ſeparatum: illud enim excitat tanquam illud inhabitans; iſtud tanquam purè movens. Sic idem ſpiritus eſt, qui *operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, ut habetur, *Philipp.* 2. *v.* 13.

DUBIUM XIII.

An Homo in Gratia conſtitutus indigeat Auxilio ſpeciali Gratiæ ad Perſeverandum Finaliter?

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. Perſeverantia poteſt dupliciter uſurpari. Primò pro continuatione in gratia longo tempore; abſtrahendo ab hoc, quòd continuetur uſque ad mortem. Secundò pro perſeverantia in gratia uſque in finem vitæ incluſivè: ſeu, pro conjunctione gratiæ cum morte, quæ vulgò perſeverantia finalis nuncupatur. De perſeverantia priori modo egimus ſupra, cum oſtendimus, hominem, etſi juſtum, non poſſe diu abſtinere à peccatis; & longo tempore perdurare in gratia, abſque novo auxilio ſpeciali. Supereſt modo agere de perſeverantia ſecundo modò, quæ *Sola* (ait Auguſtinus) *informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, & ad portum conducit navigantem*: an ſcilicet ſit ſpeciale donum diſtinctum à dono gratiæ ſanctificantis, & ab habitibus ſupernaturalibus gratiam comitantibus.

Dixi diſtinctum à dono gratiæ &c. Quòd enim perſeverantiæ donum ſit diſtinctum à quocunque dono naturæ; ſuppono, ut de fide certum, contra impium Pelagium. Quia verò poteſt aliquid eſſe à gratia diſtinctum, & nihilhominus cum illa connexum; quomodo concurſus ad aliquando benè operandum ſupernaturaliter, qui eſt à gratia habituali diſtinctus, poteſt eſſe illi debitus ex providentia generali,

ut

ut diximus: idcirco quærimus: an donum perſeverandi uſque ad finem vitæ ſit homini exiſtenti in gratia prorſus indebitum, & beneficium ſpecialiſſimum Dei; ut nulli unquam, & in nullo caſu poſſit eſſe debitum.

II. Noto inſuper cum S Thoma hâc *q.* 109. *a.* 10. quòd *perſeverantia tripliciter dicitur. Quandoque enim ſignificat habitum mentis, per quem homo firmiter ſtat, ne removeatur ab eo, quod eſt ſecundùm virtutem, per triſtitias irruentes; ut ſic ſe habeat perſeverantia ad triſtitias, ſicut continentia ad concupiſcentias, & delectationes.... Alio modo poteſt dici perſeverantia habitus quidam, ſecundùm quem homo habet propoſitum perſeverandi in bono uſque in finem. Et utroque iſtorum modorum perſeverantia ſimul cum gratia infunditur, ſicut & continentia, & cæteræ virtutes. Alio modo dicitur perſeverantia continuatio quædam boni uſque ad finem.* Et de hac in præſenti quærimus: an ad eam habendam indigeat homo, non quidem aliâ habituali gratiâ, ſed divino auxilio; quod ſit novum, & ſpeciale donum à gratia, & communibus auxiliis diſtinctum.

III. In hac quæſtione duo fuerunt errores, & duæ inter Catholicos verſantur opiniones. Primus error fuit Pelagianorum; qui, ſicut ad nullum pietatis actum, ita nec ad perſeverantiam uſque in finem, gratiam per Chriſtum abſolutè neceſſariam eſſe contendebant. Alter fuit quorumdam Maſſilienſium Semipelagianorum; qui, ut ſcribit Hilarius ad Auguſtinum, aſſerebant, requiri quidem gratiam ad perſeverandum uſque in finem: ſed quæ non ſit ſpecialis, & diſtincta à gratia, per quam quilibet Juſtus poteſt perſeverare.

IV. Prima opinio affirmat quidem, perſeverantiam finalem eſſe ſpeciale donum indebitum Juſto, quando ab inſtanti ſuæ juſtificationis uſque ad finem vitæ longum tempus intercedit: quia hoc tempore occurrunt, vel præcepta difficilia obſervanda, vel tentationes graves vincendæ, vel alia pericula, ad quæ vitanda homo eget ſpeciali gratia. Secus tamen ad perſeverandum finaliter per breve tempus, in quo vel nullum occurrit præceptum ſervatu difficile, vel nulla gravis tentatio. Ita Vega in Trident. *lib.* 12. *cap.* 22. Idipſum à fortiori dicturus de perſeverantia parvulorum, qui poſt Baptiſmum ante uſum rationis moriuntur. Citi ſubſcribit Duvallius. Unde hi Auctores perſeverantiam aſſerunt ſpeciale donum, non præciſè, quia finalem, ſed quia diuturnam. Altera verò opinio, eaque communis, aſſerit, perſeverantiam finalem, ſive ad breve, ſive ad longum tempus, ſemper eſſe ſpeciale donum à gratia habituali, & communibus auxiliis diſtinctum.

§. II.

Reſolutiones.

V. Dico primò. Ad perſeverandum finaliter eſt neceſſaria gratia per Chriſtum. Eſt contra Pelagianos. Prob. primò. Gratia eſt neceſſaria ad ſingulos pietatis actus, ut Synodus Palæſtina Pelagium fateri coegit, & *Dub. praecedente* oſtendimus: ſed inter actus pietatis potiſſimum locum tenet perſeverantia finalis, cùm ſinè eâ reliqui ad vitam æternam non perducant; ergo &c. Secundò. Perſeverantia finalis eſt meritoria vitæ æternæ; vel ei ſaltem connexa eſt vita æterna, juxta illud Matth. 24. v. 13. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit:* ſed ſinè gratiâ per Chriſtum vita æterna haberi non poteſt, Roman. 6. v. 23. *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro*; ergo &c. Tertiò. Perſeverantia à Deo poſcitur; ergo Dei donum eſt, neque enim à Deo poſcitur, quod ipſe non donat. Sic Auguſt. l. de Dono Perſeverantiæ c. 2. *Cur perſeverantia iſta poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? An & iſta irriſoria petitio*

ritio eſt, cum id ab eo petitur, quod ſcitur, ipſum non dare, ſed ipſo non donante eſſe in hominis poteſtate? Sicut irriſoria eſt etiam illa actio gratiarum, ſi ob hoc gratia agitur Deo, quod non donavit ipſe, nec fecit .... An ab illo perſeverantia noſtra fortè non poſcitur? Jam hoc qui dicit, non meis diſputationibus refellendus, ſed Sanctorum orationibus revocandus eſt.

VI. Dico ſecundò. Gratia, quæ ad perſeverantiam finalem requiritur, eſt ſpeciale donum Dei à gratia habituali, & communibus auxiliis diſtinctum. Eſt contra Semipelagianos. Probatur primo ex Auguſt. ſupra laudato. Nam Juſti, & Sancti omnes continuè à Deo petunt actualis perſeverantiæ donum, dum in oratione Dominica dicunt: *Adveniat regnum tuum;* imò & illud petere debent, ut ex Arauſic. II. Can. 10. *Adjutorium Dei etiam renatis, & Sanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Quid autem implorare deberent adjutorium Dei ad perſeverandum, ſi non eſſet donum diſtinctum à gratia habituali, quam Juſti habent; cùm nemo petat ab alio, quod in ſua poteſtate habet? Petunt ergo, quia, ut ait Cœleſtinus *Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ Cap. 6.* ſciunt, neminem, *etiam Baptiſmatis gratiâ renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas Diaboli inſidias, & ad vincendas carnis concupiſcentias; niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.*

VII. Probo ſecundò. Perſeverantia finalis tale donum eſt, ut qui illud habuerit, revera, & actu in finem uſque perſeveret; unde Auguſt. *de Dono perſever. c. 6.* ait: *De illa enim perſeverantia loquimur, quâ perſeveratur uſque in finem: qua, ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem; ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem, non eſt data.* Atqui donum tale, ut, cui datum eſt, is perſeveret uſque in finem, eſt donum à gratia habituali, & communibus auxiliis diſtinctum; cùm non omnes Juſti uſque in finem perſeverent: imò multi, qui totâ fere vitâ in juſtitia permanſerunt, in fine lapſi ſunt; & è contra multi, qui totâ vitâ juſtitiâ caruerunt, in finem adepti ſint; ergo &c.

VIII. Neque dicant Molina, & alii, dari quidem omnibus gratiam, & auxilia ſufficientia, quibus poſſint uſque ad mortem perſeverare; ſed quoſdam benè iis uti, quoſdam malè: & ideo illos actu perſeverare, non iſtos; unde actualis perſeverantia non eſt donum à gratia, & communibus auxiliis diſtinctum.

IX. Nam hæc doctrina, ſi nil aliud addat, ponit actualem perſeverantiam finalem in manu hominis, non Dei; & diſcretionem perſeverantis à non perſeverante eſſe ex homine, non ex Deo, contra illud Pauli 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?* ac poſſe gloriari, quaſi non acceperit. Vel enim quòd benè utatur uſque in finem gratiâ communi, habet à Deo præparante voluntatem ejus præ altero; & hoc erit perſeverantiæ donum à gratia communi diſtinctum. Vel quòd benè utatur uſque in finem, habet ex libero arbitrio abſque ſpeciali gratiâ; & ſic ſe diſcernet, & habebit bonum uſum finalem, quem à Deo non acceperit.

Rurſus: ſequitur ex hac doctrina, Deum per gratiam ſolùm dare nobis poſſe perſeverare, quia ſolùm daret gratiam ſufficientem; ipſum verò actu perſeverare potiùs eſſe à nobis, & à noſtra voluntate: ſicque tribui nobis id, quod eſt melius, quod in Pelagianis adeo reprehendit Auguſtinus. — Et tandem Juſtos non debere à Deo petere actualem perſeverantiam, nec pro ea gratias agere. Ut enim ait idem Auguſtinus Epiſt. 107. modò 217. ad Vitalem c. 2. *Prorſus non oramus Deum, ſed orare fingimus; ſi nos ipſos, non illum credimus facere, quod oramus. Prorſus non agimus gratias Deo, ſed agere fingimus; ſi unde illi gra-*

Digitized by Google

gratias agimus, ipſum facere non putamus. Hoc autem falſiſſimum eſſe, docet S. Thomas 3. *contra Gentes cap.* 155. ubi ait, perſeverantiam finalem nos quotidie à Deo petere illis Dominicæ orationis verbis: *Adveniat Regnum tuum*. Imò S. Auguſt. *lib. de Dono perſever. à cap.* 2. *uſque ad* 6. ex Cypriano probat, in omni petitione præfatæ orationis (exceptâ illâ *Dimitte nobis debita noſtra*) perſeverantiæ donum à Deo nos poſtulare.

X. Probatur tertiò ratione D. Tho. 3. *contra Gentes c.* 155. dicentis: *Omne, quod de ſe eſt variabile, ad hoc, quòd figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis: homo autem variabilis eſt, & de malo in bonum, & de bono in malum: ad hoc igitur, ut immobiliter perſeveret in bono, indiget auxilio divino*. Et 2. 2. *q.* 137. *a.* 4. de Perſeverantia, ait: *Perſeverantia dupliciter dicitur. Uno modo pro ipſo habitu perſeverantia, ſecundùm quòd eſt virtus: & hoc modo indiget dono habitualis gratia, ſicut & catera virtutes infuſa. Alio modo poteſt accipi pro actu perſeverantia durante uſque ad mortem: & ſecundùm hoc indiget non ſolùm gratia habituali, ſed etiam gratuito Dei auxilio conſervantis hominem in bono uſque ad finem vita.... Quia cùm liberum arbitrium de ſe ſit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam praſentis vita; non ſubeſt poteſtati liberi arbitrii, etiam per gratiam reparati, ut ſe immobiliter in bono ſtatuat, licèt ſit in poteſtate ejus, quòd hoc eligat. Plerumque enim cadit in noſtram poteſtatem electio, ſed non executio*. Hæc S. Doctor. Ex quibus ſic conficitur ratio. Quod de ſe eſt vertibile de bono in malum, non poteſt immobiliter ſe figere in bono, in eoque perſeverare, niſi auxilio alicujus moventis immobilis: ſed liberum arbitrium hominis, etiam per gratiam habitualem præſentis vitæ reparatum, adhuc manet vertibile de bono in malum; ergo non poterit actu perſeverare immobiliter in bono uſque ad finem, niſi auxilio Dei moventis immobilis.

XI. Hoc docuerat priùs S. Auguſtinus *l. de Correp. & gratia c.* 12. his verbis: *Tantùm quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum* (Juſtorum) *ut ideo poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic volunt, quia Deus operatur, ut velint. Nam ſi in tanta infirmitate vita hujus (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat) ipſi relinqueretur voluntas, ut in adjutorio Dei, ſinè quo perſeverare non poſſunt, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot, & tantas tentationes, infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet: & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humana, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, ac inſuperabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur*. Ecce Auguſtinum, & Thomam impoſſibile judicantes, quòd voluntas infirma prævideatur benè uſura auxilio *ſinè quo*, ſeu ſufficienti in quacumque occaſione, & uſque in finem perſeveratura; niſi accedat auxilium *quo*, ſeu efficax, quo *indeclinabiliter*, & *inſuperabiliter* agatur, & ita perſeverans fiat in bono.

Quibus adhærens Tridentinum *Seſſ. 6. cap.* 13. perſeverantiæ doni inſallibilitatem, & efficaciam, non à conſenſu voluntatis humanæ præviſo ut futuro, ſed à divina omnipotentia petit: ait enim citato Capite (quod eſt de perſeverantiæ munere) tale donum *Aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere*. Et hoc *Can.* 16. vocat *Magnum uſque in finem perſeverantia donum*. Et tandem *Can.* 22. definit: *Si quis dixerit, juſtificatum, vel ſinè ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit*.

XII.

XII. His omnibus accedit: quòd ſi actualis perſeverantia uſque in finem ex prævíſione boni uſus gratiæ uſque in finem penſanda foret, jam poſſet reddi ratio, cur iſte perſeveret uſque in finem, alius non; quia nimirum iſte prævíſus fuit benè uſurus gratiâ finaliter, alius non: atqui hujus nemo unquam aliam rationem aſſignare valuit, niſi inſcrutabilia judicia Dei; unde S. Auguſt. l. de Correp. & grat. c. 8. *Si confiteris* (inquit) *donum Dei eſſe perſeverare in bono uſque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto, quòd mecum pariter neſcis, & ambo hìc inſcrutabilia judicia Dei penetrare non poſſumus.*

XIII. Dico tertiò. Perſeverantia finalis eſt ſpeciale donum, non in iis tantùm, qui, poſt acceptam juſtificationis gratiam, diu in ea perſeverarunt; ſed & in iis, ſive adultis, ſive parvulis, qui, poſt acceptam ſive per Baptiſma, ſive per pœnitentiam juſtificationis gratiam, ſtatim, ſive paulò poſt moriuntur. Probatur ratione fundamentali. Effectus providentiæ ſpecialis, habens infallibilem connexionem cum gloria, eſt, in quocumque reperiatur, donum Dei ſpeciale à gratia habituali, & communibus auxiliis diſtinctum (quia hæc, utpote Electis, & Reprobis communia, non ſunt effectus providentiæ ſpecialis prædeſtinativæ) ſed perſeverantia finalis, etiam in parvulis, vel adultis, qui poſt acceptam juſtificationem per Baptiſma, vel pœnitentiam, ſtatim, vel paulò poſt moriuntur, eſt effectus ſpecialiſſimus providentiæ ſpecialis prædeſtinativæ, & habet infallibilem connexionem cum gloria; ergo eſt ſpeciale donum cuicumque detur &c.

XIV. Explicatur hoc. Quòd adultus, poſt acceptam gratiam, ſtatim, vel poſt breve tempus moriatur; quòd puer fonte Baptiſmatis regeneratus, antequam ad uſum rationis perveniat, morte rapiatur, ſpecialis Dei gratia eſt, & effectus providentiæ prædeſtinativæ: quæ cùm utrumque ad ſalutem ordinaverit, diſponit utriuſque mortem pro tempore, quo ſunt in gratia, & non ſinit, eos diutiùs vivere; ne expoſiti gravibus tentationibus, & ſubjecti vertibilitati arbitrii eam, peccando antequam moriantur, amittant, juxta illud Sapientiæ 4. v. 11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*; ergo perſeverantia finalis ſive in adultis, ſive in parvulis, qui, poſt acceptam gratiam, ſtatim, vel poſt breve tempus moriuntur, ſpecialis gratia eſt.

XV. Quare Auguſt. l. 1. de Dono perſever. c. 1. *Hanc* (inquit) *certè, de qua nunc agimus, perſeverantiam uſque in finem, nullo modo habuiſſe dicendus eſt, qui non perſeveraverit uſque in finem: potiùſque hanc habuit unius anni fidelis, & quantùm infra cogitari poteſt, ſi donec moriatur, fideliter vixit; quàm multorum annorum, ſi exiguum temporis ante mortem à fidei ſtabilitate defecit.* Ubi vides, Auguſtinum ſtatuere perſeverantiæ finalis donum, non in tempore, quo quis perſeverat in gratia; ſed in eo, quòd fideliter vivat, donec moriatur, quamvis uno tantum anno, vel infra, puta, uno die, unâ horâ tantùm in fide vixerit. Et *cap.* 17. de Parvulis, ait: *Sed mirabilior, & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei eſt, quòd etiam parvulis, quibus obedientia non eſt, illius ætatis ut detur, datur hæc gratia.*

§. III.

Contrariæ Rationes.

XVI. Contra ſecundam Aſſertionem objiciunt primò. Quod datur omnibus, non eſt donum ſpeciale; nam commune, & ſpeciale opponuntur: atqui perſeverantia, quantùm eſt ex parte Dei, datur Juſtis omnibus. Sola enim ratio, cur nonnulli non perſeverent, eſt, quia nolunt: poſſent quippe perſeverare, ſi vellent, ideſt ſi auxiliis gratiæ habituali annexis cooperari vellent, actu & revera per-

ſeverarent, juxta celebrem Auguſtini ſententiam *l. de Correp. & gratia c. 7.* dicentis: *Juſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam; quàm dicentium, non accepimus perſeverantiam: quoniam poteſt dici: Homo, in eo, quod audieras, & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles;* ergo &c.

XVII. Reſpondeo, neg. min. Licèt enim concedam, ſolam rationem, cur nonnulli non perſeverent, peti ex eorum libero arbitrio; nempe, ex cupiditate, quam plenâ, & efficaci voluntate vincere nolunt: inde tamen non ſequitur, illis, quantùm eſt ex parte Dei, donum perſeverantiæ dari. Nam ſi eis daretur, cupiditatem illam vincerent; cùm gratiam cum morte ſic conjungat, ut qui illud à Deo acceperit, infallibiliter perſeveret. Unde Auguſt. l. de Dono Perſever. c. 1. *Hanc certè* (inquit) *de qua agimus, perſeverantiam, quâ in Chriſto perſeveratur uſque in finem, nullo modo habuiſſe dicendus eſt, qui non perſeveravit uſque in finem.* Et c. 6. *de illa perſeverantia loquimur, quâ perſeveratur uſque in finem; qua ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem: ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem, non eſt data. Non itaque dicant homines, perſeverantiam cuique datam uſque in finem, niſi cùm ipſe venerit finis; & perſeveraſſe,* cui data eſt, *repertus fuerit uſque in finem &c.* Ita S. Doctor reſpondens Semipelagianis; qui, ut refert Hilarius (*Epiſt. ad Auguſt.*) ægrè ferebant, quòd ſolis Sanctis daretur donum, quo non ſolùm perſeverare poſſent, ſed etiam perſeverantes fierent: aliis verò omnibus ſolùm daretur adjutorium, non quo perſeverantes fierent, ſed ſinè quo perſeverantes eſſe non poſſent; aſſerentes, ex hoc homines in deſperationem adduci.

XVIII. Quod verò additur, nimirum, quòd homines juſti, ſi vellent cooperari auxiliis gratiæ annexis, de facto perſeverarent, diſtinguendum eſt. Si vellent, voluntate tamen per auxilium ſpeciale præparatâ, con. ant. Voluntate per auxilium ſpeciale non præparatâ, nego ant. Duo complectitur hæc reſponſio. Unum, voluntatem non velle perſeverare, niſi à Domino præparata fuerit. Alterum, præparationem illam poſitam eſſe in auxilio ſpeciali, quod ſemper efficiat, ut voluntas perſeverare velit.

Primum celebre eſt apud Auguſtinum variis in locis, & præcipuè *l. de Gratia, & lib. arb. c. 16.* ubi ait: *Certum eſt, nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed quia* præparatur voluntas à Domino, *ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt, nos velle, cum volumus; ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò ante poſui:* Præparatur voluntas à Domino. *De quo dictum eſt:* A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. *De quo dictum eſt:* Deus eſt, qui operatur in nobis velle. *Certum eſt, nos facere, cum facimus; ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacisſimas voluntati.* Quod confirmat *l. 1 Retract. c. 10.* ubi proteſtatur, quoties dixit, omnes homines fide imbutos ad mandata Dei ſervanda converti poſſe, ſi velint; ſe ſubintellexiſſe ſemper, ſi tamen voluntas eorum præparatur à Domino. *Non exiſtiment* (inquit) *novi haretici Pelagiani ſecundùm eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino, omnes homines hoc poſſe, ſi velint: ſed præparatur voluntas à Domino.*

Alterum etiam, quòd voluntas, ut velit perſeverare, præparetur per auxilium ſpeciale diſtinctum à gratia, & auxiliis ei annexis, efficaciter faciens illam velle, & perſeverare, conſtat: tùm ex allatis Auguſtini verbis: tùm ex iis, quæ *l. de Correpi. & gratia c. 8.* Pelagianum arguens, dicit: *Si ad liberum arbitrium hominis pertinere dicis, ut perſeveret in bono quiſquam, vel non perſeveret; non Deo donante, ſi perſeveret, ſed humana voluntate faciente; quid moliturus es contra verba dicentis:* Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides.

fides tua? *An audebis dicere, etiam rogante Chriſto, ne deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet; quaſi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet, ut vellet? Nam quis ignorat, tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea, qua fidelis erat, voluntas ipſa deficeret, & permanſuram, ſi eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino: ideo pro illo Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio. Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret; quid aliud rogavit, niſi, ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?* En quomodo S. Doctor, non ad præſcientiam exploratricem, ſed ad præparationem Dei recurrit, ut oſtendat infallibilem Petri in fide perſeverantiam.

XIX. Sed contra hæc dices. Si Juſtus non poteſt velle perſeverare, niſi voluntas ejus præparetur à Domino per auxilium ſpeciale; cùm non ſit in poteſtate Juſti, hoc auxilium habere, quomodo verificabitur, eum poſſe perſeverare, ſi velit?

XX. Reſpondeo in primis, quòd ſicut per gratiam habitualem, & virtutes annexas homo juſtus habet, ut poſſit non peccare; ita per eamdem habet, ut poſſit perſeverare, ſi velit, etiam tunc, quando ei deeſt auxilium ſpeciale: quoniam ejuſmodi gratia, & virtutes tribuunt homini poſſe perſeverare uſque in finem, ſi velit; quamvis neque tribuant, quòd actualiter velit, nec quòd actualiter perſeveret, niſi voluntas ejus ſpecialiter præparetur, & adſit ei ſpecialis continua Dei protectio, & gubernatio.

Et quidem (fateor) auxilium illud ſpeciale, & ſpecialis Dei protectio non ſunt in poteſtate hominis juſti; quaſi vel ſubſit ejus poteſtati naturali, ea ad ſe advocare, vel etiam velle, aut deſiderare auxilium, ad quod iſta ſequantur. Nam, ut ait Auguſt. *q.* 2. ad Simplicianum: *Non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate.* In poteſtate tamen hominis aliquomodo dicitur eſſe, quòd ipſe per Dei gratiam poteſt habere, & ab eo petere, ac obtinere: & hoc modo in hominis juſti poteſtate dici poteſt eſſe, ut habeat auxilium ad perſevarandum uſque in finem neceſſarium, videlicet, illud impetrando vigiliis, eleemoſynis, orationibus, bonis operibus, ut docet Tridentinum *Seſſ. 6. cap.* 13. & Auguſtinus *l. de Dono Perſeverantiæ c. 6. & 7.*

Quamvis autem etiam ad orandum &c. ut oportet, requiratur adjutorium gratiæ Dei; attamen quoniam Juſtus quilibet habet gratiam ſufficientem, quà poteſt, tùm orare, tùm alia bona facere: gratiam, nempe, juſtificantem, ac virtutes ei annexas, frequenteſque inſpirationes, excitationes, motiones; quibus ſi (ut cum Dei gratia poteſt) benè utatur, Deus in eo perficiet quod cæpit, dabitque ulteriora ad perſeverandum auxilia: ideo ſi hæc omittat, & auxilio ulteriori careat, ſuo vitio omittit, & ſuâ culpâ ulteriori illo auxilio caret. In quo, ne quis ſapere velit, pluſquàm oportet, meminiſſe in primis debet, quòd perditio noſtra ex nobis ſit; ſalus autem, ſeu auxilium ad ſalutem, ex Deo eſſe, ut dicitur Oſeæ 13. *v.* 9. & quòd; *Liberum arbitrium ad malum ſufficit ſibi, ad bonum, nonniſi adjuvetur à Deo;* ut loquitur Auguſt. *l. de Cantico novo c.* 8. Deinde, quòd qui jam conſecutus eſt gratiam habitualem, non poteſt per ſeipſum operari bonum, abſque novo auxilio Dei moventis, & dirigentis; & quòd Dei gratia non ſolùm eſt neceſſaria ad incipiendum, ſed etiam ad perficiendum id, quod per gratiam cæpimus.

XXI. Ex dictis facilè quis percipere poterit, quomodo intelligendum ſit illud Tridentini Seſſ. 6. c. 11. *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Vel enim intelligitur de deſertione propriè tali, quâ Deus deſerit hominem, ipſum ſuâ gratiâ, & amicitiâ privando; quomodo intellexiſſe videtur S. Proſper *ad ſententiam* 7.

Gallorum: *& Reſponſ.* 7. *&* 14. *ad Object. Vincentianas*; & multi Recentiores intelligunt. Sic clarum eſt, Deum non deſerere ſemel juſtificatum, ipſum gratiâ ſuâ, & amicitiâ privando, niſi priùs ab eo deſeratur per peccatum mortale. Vel intelligitur de deſertione impropriè tali; ut perinde ſit, Deum hominem juſtificatum deſerere, ac ipſi non auxiliari, & non dare illi gratiam efficacem ad vitandum peccatum, ſed permittere illi, ut peccet mortaliter. Sic Deus etiam non deſerit, priuſquam deſeratur. Nam etſi Juſtus non propriè, & ſimpliciter deſerat Deum, quodammodo tamen deſerit; quatenus gratiam ſibi datam negligit, eâ non benè utens, ſicut cum Dei munere poſſet. Et quia aliquam ſimilem negligentiam, ſeu culpam ſemper admittit Juſtus, priuſquam Deus ſinat ipſum peccare mortaliter; ideo etiam, juxta hunc modum, verum eſt, quòd Deus non deſerit Juſtum, niſi priùs deſeratur. Et huic intelligentiæ favent ejuſdem Tridentini verba, Seſſ. 6. c. 13. *Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*. Ubi de gratia actuali, & efficaci loquitur: deſerit enim Deum is quoque, qui bonas inſpirationes, ſalutares cogitationes, ac pios animi motus, aliaque à Deo immiſſa negligit, non utens illis, ſicut cum divino munere poſſet.

XXII. Quòd ſi ulteriùs dicas. Cùm benè uti gratia ſufficiente, quales ſunt ſalutares cogitationes, & pii motus, non ſit, niſi ex gratia efficaci; cur hanc Deus non omnibus dat: ſed aliquibus dat, & hi perſeverant, aliis verò non dat, & hi cadunt?

XXIII. Reſpondeo, quòd ubi venitur ad quærendum: quare Deus permittere voluit, quòd iſte divinæ gratiæ deeſſet, ac divinis donis non benè uteretur, labereturque in primam ſive negligentiam, ſive tepiditatem, vel aliam culpam, vel culpæ occaſionem, ex qua præſciebat, illum mortaliter peccaturum; reprimenda hic eſt humana curioſitas, & ad incomprehenſibilia judicia Dei confugiendum cum Paulo, *Roman.* 11. *v.* 22. dicente: *Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris*. Et cum S. Auguſt. l. de Dono perſever. c. 13. *Et inchoandi, & uſque ad finem perſeverandi, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari; ſed donari ſecundùm ipſius ſecretiſſimam, eamdemque juſtiſſimam, beneficentiſſimam, ſapientiſſimam voluntatem*. Et l. de Corrept. & gratia c. 8. *Si conſiteris, donum Dei eſſe, perſeverare in bono uſque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto, quod mecum pariter neſcis: & ambo hic inſcrutabilia judicia Dei penetrare non poſſumus*. Et S. Proſper Reſponſ. 14. ad object. Vincent. *Cur autem* (inquit) *illum retineat, illum non retineat, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum veſtigare: cùm ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe, quòd ſtatur, & non ab illo eſſe, quòd ruitur*.

XXIV. Objiciunt ſecundò contrà eamdem. Ut habeatur perſeverantia, ſufficit ponere gratiam habitualem cum auxiliis communibus, & cauſas inferentes mortem: quia his poſitis habetur conjunctio gratiæ cum morte; ergo non requiritur donum ſpeciale ab his omnibus diſtinctum.

XXV. Confirmatur primò. Ut homo perſeveret in gratia per viginti annos, abſque unione cum morte, non requiritur ſpeciale donum à gratia, & communibus auxiliis diſtinctum; ergo neque requiritur, ut homo recenter juſtificatus poſt horam moriatur, & ſic finaliter perſeveret. Conſ. prob. Plus requiritur ad perſeverandum in gratia per viginti annos, quia difficilius, & pluribus impedimentis obnoxium eſt, quàm ad perſeverandum ſolùm per horam; ergo ſi ad primum non requiritur ſpeciale donum, minùs requiritur ad ſecundum.

XXVI.

XXVI. Confirmatur ſecundò. Homo habens gratiam, habet jus ad gloriam, quamdiu eſt in gratia: gratia enim eſt ſemen gloriæ, ut dicitur 1. *Joann.* 3. *v.* 9. ergo continuatio gratiæ cum gloria eſt debita gratiæ. Ex debito enim, & non ex gratia, datur hæreditas habenti jus ad hæreditatem.

XXVII. Reſpondeo, neg. abſoluiè ant. Omnia enim ibi aſſignata, eſtò ſufficiant ad conjungendam gratiam cum morte, ut cauſæ per accidens, non tamen, ut cauſæ per ſe. Nec enim gratia cum communibus auxiliis, petit conjungi cum morte; nec morbus, aut aliæ cauſæ inferentes mortem, petunt ex ſe conjungi cum gratia. Quare ne dicatur, conjunctionem gratiæ cum morte eſſe effectum prorſus caſualem, & fortuitum; neceſſe eſt ponere aliud donum diſtinctum, quo ita diſponantur, & præparentur omnes cauſæ; ut tunc mors à cauſis naturalibus, vel violentis inferatur, quando homo exiſtit in gratia.

XXVIII. Ad primam Confirm. nego conſeq. Ad probat. diſt. ant. Difficilius eſt, in poteſtate tamen noſtrâ, conc. antec. aliter, nego antec. Dato igitur, quòd plures difficultates, & impedimenta occurrant ad perſeverandum per viginti annos; in poteſtate tamen noſtra eſt, per vires gratiæ, & auxilia communia omnia illa impedimenta vitare, & à peccato abſtinere, ut vidimus. At ad perſeverandum per horam, conjungendo perſeverantiam cum morte, requiritur, quòd ſic mors diſponatur; ut nos eripiat è vita in hac horâ, in qua ſumus in gratia. Hoc autem in poteſtate noſtra non eſt, neque gratiæ, ſed ſolius Dei; eſtque effectus præcipuus ſpecialis ſuæ dilectionis, quia vult nos ſalvos voluntate efficaci, ideoque donum ejus particulare, ac diſtinctum à gratia, & communibus auxiliis.

Negari poteſt etiam ant. Oſtendimus enim, hominem lapſum, per longum tempus, in gratia perſeverare, & à peccato abſtinere non poſſe, ſinè ſpeciali Dei auxilio. Quod confirmat S. Hieronymus *Epiſt. ad Cteſiphontem* monens nos: *Ut ſciamus, nos nihil eſſe, niſi quod Deus donavit, in nobis ipſe ſervaverit. Semper largitor, ſemperque donator eſt. Non mihi ſufficit, quòd ſemel donaverit, niſi ſemper donaverit.* Et *lib.* 3. *adverſùs Pelagian.* circa initium, concedens, fieri poſſe, ut homo ſtatim à Baptiſmate careat omni peccato: *Sed illud tempus* (inquit) *quando ſinè peccato eſt, nequaquam poſſibilitati humanæ, ſed Dei gratiæ deputatur.* Multò ergo magis gratiæ ſpeciali Dei deputabitur, quòd perſeveret finaliter.

XXIX. Ad Confirmat. nego conſ. Eſtò enim homo, quamdiu eſt in gratia, habeat jus ad gloriam; non tamen habet jus, ut, quamdiu eſt in vita, conſervetur in gratia, ſeu quòd gratia continuetur cum morte: cùm pro ſtatu præſenti liberum ejus arbitrium non ſit fixum in bono, ſed vertibile de bono in malum. Quare quòd quis à Deo ſic protegatur, ut non amittat gratiam, cum adeſt mors, eſt maximum, ac ſpecialiſſimum donum, præcipuuſque prædeſtinationis effectus: ſicut, è converſo, quòd aliquis permittatur mori in peccato mortali, eſt ultimus effectus reprobationis.

XXX. Objiciunt tertiò. Omnis homo inexcuſabiliter obligatur ad perſeverandum uſque ad finem vitæ; ergo debet habere potentiam ad perſeverandum: nemo enim poteſt obligari inexcuſabiliter ad id, quod non poteſt; ergo perſeverantia non eſt donum ſpeciale.

XXXI. Reſpondeo, conc. anteced. & prima conſequ. neg. ſecundam. Ut enim diximus, eſtò homo cum gratia, & auxiliis ei annexis poſſit perſeverare uſque in finem, ſi velit; ut tamen de facto velit, & actu perſeveret, eget auxilio ſpeciali, & hoc eſt perſeverantiæ donum.

Claritatis tamen gratiâ, diſt. primum conſequens. Habere debet poten-

tentiam ſufficientem ad perſeverandum, quantùm ad id, quod perſeverantia dicit de negativo; ideſt, non ponere obicem gratiæ per peccatum mortale, conc. conſeq. Potentiam efficacem, & quantùm ad id, quod dicit de poſitivo; nempe, conjungere gratiam cum morte, nego conſeq. Eſt doctrina Sancti Thomæ *Qu.* 14. *de Verit. a.* 13. *in corp.* dicentis: *Aliud eſt dicere, poſſe abſtinere à peccato, & poſſe perſeverare uſque ad finem vitæ in abſtinentia à peccato. Cum enim dicitur, aliquis poſſe abſtinere à peccato, potentia fertur ſupra negationem tantùm; ut ſcilicet aliquis poſſit non peccare. Et hoc poteſt quilibet in gratia exiſtens, loquendo de peccato mortali: quia habenti gratiam non ineſt aliqua habitualis inclinatio in peccatum; quin potiùs ineſt ei habitualis inclinatio ad vitandum peccatum. Et ideo quando occurrit ei aliquid ſub ratione peccati mortalis, ex habituali inclinatione diſſentit ab illo; niſi in contrarium nitatur, concupiſcentias ſequendo, quas tamen non neceſſe habet ſequi.... Sed cum dicitur, iſte poteſt perſeverare uſque ad finem vitæ in abſtinentia à peccato, potentia fertur ad aliquid affirmativum; ut ſcilicet aliquis ponat ſe in tali ſtatu, quòd peccatum in eo eſſe non poſſit..... Hoc autem non cadit ſub poteſtate liberi arbitrii; quia virtus motiva exequens ad hoc non ſe extendit. Et ideo homo cauſa perſeverantiæ ſibi eſſe non poteſt; ſed neceſſe habet perſeverantiam à Deo petere.* Hæc D. Tho. valde notanda. Et hoc exemplo explicari poſſunt. Supponamus, quòd Deus conſervaret Juſtum per totam æternitatem, & relinquendo in ipſo potentiam ad peccandum, decerneret tamen, nunquam illi permittere peccatum. Homo iſte de facto nunquam peccaret: quia tamen, utpote potens peccare, eſſet indifferens ad peccandum, & non peccandum; pariter eſſet indifferens ad perſeverandum, & non perſeverandum: & ſic nunquam haberet donum intrinſecum perſeverantiæ; quia nunquam poneretur in ſtatu, in quo eſſet impotens ad peccandum.

XXXII. Sed dices. Si in manu hominis non eſt, ſinè dono Dei, actu perſeverare uſque in finem, neque erit in manu Dei, dare perſeverantiæ donum: ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. Maj. probatur. Ideo in manu hominis non eſt, perſeverare, quia eſtò in manu ejus ſit, abſtinere ab omni peccato, non eſt in manu ejus, conjungere cum morte talem abſtinentiam, & ponere ſe in ſtatu, in quo non poſſit amplius peccare: ſed eſtò in manu Dei ſit mors, attamen, quòd mors conjungatur cum abſtinentia à peccato, à Deo non eſt, ſed ex nobis; quia abſtinentia à peccato, utpote libera, eſt ex determinatione voluntatis noſtræ; ergo &c.

XXXIII. Reſpondeo, neg. maj. ad prob. diſt. min. Ex determinatione voluntatis creatæ, præparatæ à Deo faciente, ut abſtineat, co. min. Aliter, nego min. Verum ergo eſt, quòd libera abſtinentia à peccato exiſtit ex determinatione voluntatis noſtræ: hæc tamen determinatio ſupponit determinationem Dei, quâ ſit, ut de facto velit abſtinere; & ex qua, ſi ſit conjuncta decreto dandi gloriam, deſcendit etiam decretum conjungendi abſtinentiam à peccato cum morte: unde Deus ad utrumque determinat, & ad abſtinentiam à peccato, & ad conjungendam eam cum morte. Creatura autem ſe determinat quidem, modo dicto, ad abſtinendum à peccato; non tamen determinat Deum ad conjungendam cum abſtinentia à peccato mortem: ſicque donum perſeverantiæ à Deo eſt.

XXXIV. Contra tertiam Aſſertionem objici poteſt. Fieri poteſt, quòd Juſtus ſtatim moriatur poſt acceptam juſtitiam; cùm ergo iſte non acceperit auxilium ad perſeverandum, conſequens ſit, non omnem Juſtum tali auxilio indigere. Et hoc confirmari poteſt exemplo parvulorum, qui poſt acceptum Baptiſmi decedunt.

XXXV.

Digitized by Google

XXXV. Reſpondeo, juſtum, qui ſtatim poſt acceptam juſtitiam moritur, majori auxilio diverſo à gratia juſtificante præſervari, ac finaliter perſeverare: quia ſingulari Dei providentiâ ſic per mortem ordinatur ad ſalutem, ut à tentationum periculis prorsùs liberetur. Rurſus: licèt gratiæ infuſio ſecundùm ſe conſiderata ſit beneficium generale ordinis ſupernaturalis; infuſio tamen gratiæ ex intentione, ut cum morte conjungatur, ſpeciale beneficium eſt: quia huic conjunctioni infallibiliter annexa eſt gloria, & ex ejus intentione procedit. Similiter mors, licèt ſecundùm ſe non ſit donum Dei, ſed potiùs pœna communis primi peccati; ut tamen volita ad habendum ſtatum immobilitatis in gratia, & ad gloriam obtinendam, eſt effectus ſpecialis providentiæ prædeſtinativæ; ſicut eſt ipſa beatitudo, ad quam efficaciter perducit. Unde S. Auguſtinus l. 13. de Civit. Dei c. 6. *Tantam* (inquit) *Deus gratiam fidei præſtitit; ut mors, quam conſtat, vitæ eſſe contrariam, inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur ad vitam*. Idem dico de parvulis decedentibus poſt Baptiſma, ut ſuperius obſervatum eſt.

§. IV.

De Gratia in Statu Naturæ Integræ ad Perſeverandum requiſita.

XXXVI. Dico. Homo in ſtatu innocentiæ, præter auxilia debita connaturaliter integritati naturæ, gratiæ habituali, & virtutibus infuſis, à quibus habebat, ut poſſet perſeverare; indigebat alio ſpeciali auxilio, quo perſeveraret uſque in finem ſtatus viæ. Eſt contra Janſenium, & alios Recentiores. De hac aliqua diximus *Tom. 3. in 1. P. Q. 6. de Setentia futur. condit. Dub. 8.* §. 2. ubi etiam oſtendimus, auxilium illud fore ſuapte naturâ efficax, non ex præviſione.

Modò probatur primò ex S. Auguſt. Tùm *in Encheridio c. 106.* dicente: *Etſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum; non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur*. Et c. 107. *Sic factus eſt homo rectus, ut manere in ea rectitudine poſſet, non ſinè adjutorio divino*. Tùm Epiſt. 106. modò 186. ad Paulinum, ubi c. 11. *Natura* (inquit) *humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret*. Unde infert: *Cùm igitur ſinè Dei gratiâ ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit; quomodo ſinè Dei gratiâ poteſt reparare, quam perdidit?* Ex quibus S. Auguſtini verbis Conc. Arauſic. II. *Canonem* 19. compoſuit. Gratiam ergo ad actu perſeverandum in homine innocente requirit, non habitualem ſolùm, non ſufficientem ſolùm; hanc enim habuit: ſed actualem, quâ perſeveraret, quæ quia illi defuit, ideo non perſeveravit.

XXXVII. Hinc S. Thomas hâc *q. 109. a. 10. ad* 3. ex eodem S. Auguſtino *l. de Nat. & grat. c. 43. & lib. de Corrept. & gratia c. 12.* docet: Quòd *homo in primo ſtatu accepit donum, per quod perſeverare poſſet, non autem accepit, ut perſeveraret*. Ex quo infert, donum Chriſti eſſe majus, quàm delictum Adæ, dicens: *Nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perſeverare poſſunt, & ulteriùs eis datur, quòd perſeverent*. Et addit: *Et tamen faciliùs perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum, quàm nunc poſſimus: quando reparatio gratiæ Chriſti, etſi ſit inchoata quantùm ad mentem, nondum tamen eſt conſummata quantùm ad carnem, quod erit in Patria; ubi homo non ſolùm perſeverare poterit, ſed etiam peccare non poterit*. Idem docet Q. 27. *de Verit. a. 5. ad* 3. ubi docet, quòd homo in illo ſtatu

licèt

licèt non indiguiſſet ultra gratiam habitualem divinâ operatione, quæ operatur in nobis, propter infirmitatem naturæ; indigebat tamen ad perſeverandum *divinâ providentiâ eum dirigente, & adjuvante*.

XXXVIII. Ratio autem eadem eſt, ac ſupra ex D. Thom. 3. *contra Gent. c.* 155. *&* 2. 2. *q.* 137. *a.* 4. nempe, variabilitas, & vertibilitas liberi arbitrii. Cùm enim in illo ſtatu liberum hominis arbitrium per gratiam, & alia dona gratiæ annexa, non eſſet fixum, & firmatum in bono, ſed variabile, ac vertibile maneret de bono in malum; ſicut rei eventus in Adamo, & in Angelis probavit: ideo ulteriori auxilio opus erat, quo figeretur in bono, in eoque immobiliter perſeveraret. Unde de Angelis, qui in bono perſeverarunt, dicit Auguſt. *l.* 12. *de Civit. Dei c.* 9. accepiſſe majus aliquod auxilium, quod qui ceciderunt, non acceperunt: *Iſtis* (inquit) *mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt*.

Quibus alia accedit urgentiſſima ratio. Nam perſeverantia in Adamo, & Angelis, qui ceciderunt, fuiſſet effectus infallibilis prædeſtinationis eorum: atqui effectus infallibilis prædeſtinationis creaturæ rationalis, in quocumque ſtatu ſit, ſemper eſt à providentia ſpeciali electivâ unius præ alio ad gloriam, & præparativâ mediorum, quibus certiſſimè ad eam perducatur; ergo non poterat non eſſe ex ſpeciali auxilio.

XXXIX. Nec dicas cum Janſenio, quòd ſi Adam in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet, diſcretio hominum ſalvandorum, non fuiſſet ex ſpeciali gratia, nec à Deo; ſed à libero arbitrio, ſive ab eorum merito, ut prævifo, priuſquam eos prædeſtinaret; dicente Auguſtino *l. de Corrept. & gratia c.* 11. quòd Adamo *dederat, & adjutorium, ſinè quo in ea bonâ voluntate non poſſet permanere ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio*: Igitur perſeverare in Adamo non fuiſſet effectus ſpecialis providentiæ.

XL. Nam contra eſt. Primò. Eadem enim eſt ratio quantùm ad hoc de hominibus in ſtatu innocentiæ, ac de Angelis in ſtatu viæ, ut fatetur Janſenius: at diſcretio bonorum, & malorum Angelorum fuit ex gratia ſpeciali Dei, non ex merito eorum antecedenter prævifo; ergo &c. Minorem tradit Auguſtinus ipſe *l.* 11. *de Civit. Dei c.* 19. dicens: *Inter Sanctos Angelos, & immundos fuiſſe diſcretum, ubi dictum eſt: & diviſit Deus inter tenebras, & lucem*. Et addit: *Solus quippe Deus iſta diſcernere potuit*. Hinc *Apoc.* 7. *v.* 12. omnium Angelorum vox eſt: *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum*. Quibus omnium bonorum ad Dei Angeli omnes gloriam referunt, ac de illis ei gratias agunt.

Contra ſecundò. Quia cùm nulla creatura rationalis per ſeipſam habeat jus ad beatitudinem ſupernaturalem; omnia merita, ſeu media, quibus ad eam efficaciter ordinatur, ſunt effectus gratuitæ electionis Dei: effectus autem nequit prævideri futurus ante ſuam cauſam.

XLI. Neque obeſt, Auguſtinum dixiſſe, quòd, ut homo vellet perſeverare, Deus in ejus reliquerat arbitrio. Nam in primis S. Doctor non dicit, Deum ita reliquiſſe Adami arbitrio, ut ad perſeverandum ſpeciali gratiâ ulteriori non indigeret; ſed ſolùm contraponit velle perſeverare, ad poſſe perſeverare: cùm enim poſſe perſeverare non ſit in ejus arbitrio, ſed Dei ſolius donum ſit; velle tamen perſeverare ejus arbitrio ſubeſt, gratiâ tamen Dei adjuto. Unde ad illa verba Eccleſiaſtici 15. v. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui*, dicit S. Thomas 1. p. q. 22. a. 2. ad 4. *Quòd in hoc, quòd dicitur, Deum hominem ſibi reli-*

reliquiſſe, non excluditur homo à divina providentia: ſed oſtenditur, quòd non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur, quaſi ab altero directa in finem; non autem ſeipſa agunt, quaſi ſe dirigentia in finem.... Sed quia ipſe actus liberi arbitrii reducitur in Deum ſicut in cauſam; neceſſe eſt, ut ea, quæ ex libero arbitrio fiunt, divinæ providentiæ ſubdantur. Uno verbo: ad non perſeverandum, ſibi ſolus ſufficiebat Adam: ad perſeverandum verò non ſibi ſufficiebat ſinè Dei adjutorio. Ita S. Auguſt. *l. de Perfect. Juſt. c.* 3. ad illa verba, Eccleſ. 15. v. 17. *Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod vis porrige manum tuam;* quo textu abutebatur Pelagius: *Manifeſtum* (inquit) *eſt, quòd ſi ad ignem manum mittit, & malum, ac mors ei placet; id voluntas hominis operatur: ſi autem bonum, & vitam diligit, non ſolùm voluntas id agit, ſed divinitùs adjuvatur. Sufficit enim ſibi oculus ad non videndum, hoc eſt, ad tenebras: ad videndum verò, lumine ſuo non ſibi ſufficit; niſi illi extrinſecùs adjutorium clari luminis præbeatur.*

XLII. Deinde dico, quòd cum S. Auguſtinus dicit, Adamum habuiſſe in libero arbitrio velle perſeverare; ſolùm intendit declarare facilitatem, quam, ratione integritatis naturæ perfectè ſubjicientis partem inferiorem ſuperiori, & ſuperiorem Deo, habebat, ut vellet perſeverare. Quare ibidem c. 11. *Ille* (inquit) *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant Sancti, cum dicunt:* Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. *Quoniam in eis caro concupiſcit adverſùs ſpiritum.... Ille verò nullâ rixâ à ſeipſo adverſùs ſeipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſuâ ſecum pace fruebatur.* Ita explicat hunc Auguſtini textum, cui maxime Janſeniani fidunt, S. Th. 2. 2. *q.* 137. *a.* 4. *ad* 2. his verbis: *Sicut Auguſtinus dicit in lib. de Corrept. & grat. c.* 11. *primo homini datum eſt, non ut perſeveraret, ſed ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium; quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perſeverandi difficultatem præberet.* Solùm ergo intendit S. Auguſtinus excludere à primo homine neceſſitatem gratiæ ſanantis, qualis in nobis requiritur; non tamen neceſſitatem ſpecialis auxilii figentis, ac firmantis in bono liberi ejus arbitrii vertibilitatem.

§. V.

Quorumdam Reſolutio circa Donum Perſeverantiæ.

XLIII. QUæres primò: In quo conſiſtat donum perſeverantiæ?

Dico, donum perſeverantiæ finalis conſiſtere in conſervatione gratiæ habitualis, & conjunctione ejus cum morte imperatâ ex intentione efficaci glorificandi. Probo. Tùm quia: his poſitis, habetur actualis perſeverantia. Neque Auguſtinus ſive in parvulis, ſive in adultis requirit aliud ad perſeverandum, quàm deceſſum in gratia; qui nil aliud eſt, quàm conjunctio gratiæ cum morte. Tùm etiam, quia: in eo formaliter ſitum eſt donum perſeverantiæ, quo perſeverantes à non perſeverantibus diſtinguuntur: atqui non diſtinguuntur in alio, niſi in eo, quòd talis eſt providentia circa ipſos, ut infallibiliter moriantur in gratia; cùm non perſeverantes interdum plus habeant gratiæ, & donorum Dei in hac vitâ; ergo &c.

XLIV. Ex his colligitur primò: donum perſeverantiæ non conſiſtere, neque in diuturna conſervatione gratiæ ſeorſim à morte, neque in diſpoſitione mortis ſeorſim ſumtâ. Mors enim omnibus hominibus naturalis eſt: & quòd aliquis moriatur ante uſum rationis, eſt effectus providentiæ generalis. Similiter, quòd gratia conſervetur per longum tempus, eſt quid commune etiam multis, qui prædeſti-

nati non ſunt. Conſiſtit ergo in complexo, ſeu in conjunctione utriuſque, gratiæ ſcilicet, & mortis. Licet enim nec gratia, nec mors excedant providentiam generalem; conjunctum tamen ex utroque ad altiorem providentiam pertinet: quatenus conjunctio et uſque non eligitur à Deo, niſi ex intentione gloriæ, & ex providentia ſpeciali, quâ aliquem ad gloriam ordinavit præ alio. Et propterea donum ſpecialiſſimum eſt: quia alia dona, quæ Deus confert Prædeſtinatis, abſolutè ſtare poſſunt ſinè collatione gloriæ: at conjunctio gratiæ cum morte in præſenti providentia conjungi non poteſt cum carentia gloriæ.

XLV. Colligitur ſecundò: donum perſeverantiæ finalis eſſe diſtinctum ab eo, quod datur ad diu perſeverandum in bono. Illud enim eſt effectus proprius prædeſtinationis, & ſolis Prædeſtinatis conceditur: iſtud verò ſecundùm ſe non eſt effectus prædeſtinationis, ſed providentiæ generalis; cùm etiam Reprobis concedatur.

XLVI. Colligitur tertiò: perſeverantiam, pro formali, eſſe ejuſdem rationis in omnibus; cùm in omnibus importet conjunctionem gratiæ cum morte, ex intentione efficaci glorificandi imperatam: pro materiali verò, diverſa in diverſis importare. Nam in iis, qui ſinè uſu rationis decedunt, dicit ſolam Dei providentiam ita omnia diſponentem; ut mors accidat, antequam gratia poſſit amitti. In aliis verò dicit collationem variorum auxiliorum, vel ad reſipiſcendum à peccato; vel ad vitanda peccata, & ſuperandas tentationes, & longo tempore in bono perſiſtendum: vel, & quidem maximè, ut homo in gratia exiſtat pro eo tempore, quo ex ſpeciali Dei diſpoſitione mors accidere debet.

XLVII. Quæres ſecundò: An donum perſeverantiæ finalis ſit diverſum à dono confirmationis in gratia?

Reſpondeo affirmativè. Nam illud eſt commune omnibus Prædeſtinatis; iſtud ſpecialiſſimum, quod Deus nonniſi B. Virgini, Apoſtolis, aliiſque paucis conceſſiſſe creditur. Illud non tollit, nec ligat potentiam peccandi; ſed ſolùm facit, ne homo peccet mortaliter in fine vitæ, & infallibiliter moriatur in gratia. quamvis abſolutè peccare poſſit: iſtud verò dat non poſſe peccare mortaliter, aut etiam venialiter juxta modum, quo datur. Quibuſdam enim datur, ut non poſſint peccare neque venialiter; ut de B. Virgine ſupra diximus: aliis verò, ne poſſint quidem peccare mortaliter, non tamen venialiter, ut Apoſtolis.

XLVIII. Quæres tertiò: An Deus ſit paratus donum perſeverantiæ omnibus conferre?

Negant quidam, & probant. Tùm quia: Deus non eſt paratus omnibus dare beneficium prædeſtinationis; ergo nec donum perſeverantiæ, quæ eſt proprius effectus illius. — Tùm quia: donum perſeverantiæ non eſt neceſſarium, ut quis poſſit ſalvari, ſed ut quis de facto ſalvetur: atqui non omnes de facto ſalvantur; ergo &c. Sicut de facto non eſt paratus Deus omnibus conferre donum confirmationis in gratia. — Tum denique: quia Deus ab æterno decrevit, non conferre reprobis donum perſeverantiæ, ſicut nec alia auxilia efficacia ad ſalutem; ergo non eſt paratus ea illis dare.

XLIX. Attamen communiter tenetur pars affirmativa, quæ deducitur ex Tridentino *Seſs. 6. c.* 13. ubi dicitur, quòd de munere perſeverantiæ: *Nemo ſibi certi aliquid abſolutâ certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debeant. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Ergo Deus paratus eſt omnibus illud dare, niſi per illos ſteterit. — Tùm quia: in oratione Dominica ferè totâ, ut ex Auguſtino vidimus, perſeverantiam petere jubemur.

Quid

Quid autem juberemur omnes à Deo petere, quod non eſt paratus omnibus dare? — Rurſus: Deus eſt paratus omnibus dare ſalutem; ergo eſt paratus omnibus ea conferre, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, inter quæ potiſſima eſt perſeverantia. — Denique: Deum eſſe paratum pertinet ad voluntatem antecedentem, eſtò non ad conſequentem: aliàs non eſſet paratus omnibus dare ſalutem; ergo ſicut voluntate antecedente omnibus vult ſalutem, ita eâdem vult omnibus perſeverantiam.

L. Nec nos terrent contrariæ rationes. Ad primam, nego conſeq. Nam etiam gloria eſt effectus prædeſtinationis: & tamen illam conferre omnibus paratus eſt. — Ad ſecundam, nego etiam conſeq. Deus enim non ſolùm paratus eſt dare (imò de facto dat) auxilia ſufficientia, quibus omnes perſeverare poſſint, & ſalvari; ſed etiam efficacia, quibus de facto ſalventur, niſi obicem ponant, inter quæ eſt donum perſeverantiæ. Exemplum autem confirmationis in gratia non eſt ad rem. Hæc enim non eſt neceſſaria, ut quis de facto ſalvetur, vel ut poſſit ſalvari: & ideo non eſt mirum, ſi Deus non ſit paratus omnibus illam dare. — Ad tertiam pariter, nego conſeq. Nam eodem modo probaretur, Deum non eſſe paratum dare gloriam Reprobis. Deus ergo, ut diximus, ſicut vult voluntate antecedente omnes homines ſalvos: ita eadem voluntate paratus eſt dare omnibus neceſſaria ad ſalutem.

LI. Solet hic agitari: an Deus omnibus det auxilia ſufficientia, ſeu gratiam dantem poſſe ſalvari. Sed de hoc abundè actum eſt, *Tom. 3. in 1. p. Qu. 2. de Voluntate Dei circa hominum ſalutem, toto Dubio* 3. ubi etiam *Dubio 1. & 2.* omnia, quæ de voluntate Dei, & Chriſti circa hominum ſalutem agitari ſolent, fusè pertractata ſunt.

QUÆSTIO II.

De Diviſione Gratiæ Actualis.

GRatia communiter primò dividitur in actualem, & habitualem. Quia verò gratia actualis comparatur ad habitualem ſicut motus ad terminum; cùm omnis gratia actualis habeat pro termino reddere hominem conjunctum Deo, quod per gratiam habitualem formaliter fit: ideo priùs varias gratiæ actualis ſpecies examinare intendimus; & deinde quæſt. ſequenti, de gratia habituali ſermonem inſtituere. Porro quia gratia actualis dividi ſolet in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem: & iſta in operantem, & cooperantem, in prævenientem, & ſubſequentem, in excitantem, & adjuvantem, & tandem in ſufficientem, & efficacem; de ſingulis harum diviſionum membris ſigillatim in hac quæſtione agendum erit.

DUBIUM I.

Quid ſit Gratia gratis data, & quotuplex.

§. I.

Reſolutio Prioris Partis.

I. COnvenientem eſſe diviſionem gratiæ actualis in gratiam gratum facientem, & gratis datam, oſtendit S. Thomas hîc *1. 2. q. 111. a. 1.* Cùm enim gratia ad hoc ordinetur, ut homo reducatur ad Deum; hoc dupliciter contingere poteſt: vel, ut per eam ipſe homo reducatur ad Deum, eique conjungatur: & hæc dicitur gratia gratum faciens. Vel, ut per eam cooperetur alteri ad hoc, quòd ad Deum reducatur; & hujuſmodi donum vocatur gratia gratis data: *Quia* (inquit S. Tho.) *ſupra facultatem naturæ, & ſupra meri-*

tum perſona homini conceditur. Sed quia non datur ad hoc, ut ipſe per eam juſtificetur; ſed potiùs, ut ad juſtificationem alterius cooperetur: ideo non vocatur gratum faciens. Et de hac dicit Apoſtolus 1. *ad Cor.* 12. Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, *ſcilicet, aliorum.*

II. Ne autem dicatur, etiam gratiam gratum facientem eſſe gratis datam; ac proinde unum membrum hujus diviſionis coincidere cum alio, contra regulas bonæ diviſionis: ſciendum eſt, has duas gratiæ ſpecies non in eo diſtingui, & opponi, quòd una ſit gratis data, alia non, cùm omnis gratia ſit gratis data; ſed in hoc, quòd una ſit gratis data tantùm, & non etiam faciens hominem Deo gratum; altera ſit gratis data, & faciat ſimul hominem gratum. Unde S. Thomas citato loco ad 3. *Gratia* (inquit) *gratum faciens addit aliquid ſupra rationem gratiæ gratis datæ, quod etiam ad rationem gratiæ pertinet; quia ſcilicet, hominem gratum facit Deo: & ideo gratia gratis data, quæ hoc non facit, retinet ſibi nomen commune, ſicut in pluribus aliis contingit: & ſic opponuntur duæ partes diviſionis, ſicut gratum faciens, & non faciens gratum.*

III. Dico igitur. Gratia gratis data eſt beneficium, ſeu donum à Deo collatum, quod per ſe, & directè ordinatur ad ſalutem aliorum procurandam, vel promovendum. Hac definitione gratia gratis data rectè diſtinguitur à gratia gratum faciente: hæc enim *per ſe* confertur ad ſalutem illius, cui conceditur; cùm illa è contra ad ſalutem aliorum per ſe ordinetur. Dixi *per ſe, & directè*. Nam certum eſt, gratiam gratis datam, per accidens, valere poſſe ad ſpiritualem utilitatem etiam hominis, cui datur; ſi nimirùm (quemadmodum debet) eà utatur, non ad oſtentationem, ſed ad Dei gloriam, & ex vera Dei, ac proximi dilectione, juxta illud Danielis 12. v. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Similiter certum eſt, gratiam gratum facientem, ſi foras per bona opera ſe prodet, ad aliorum ſalutem, per accidens, plurimùm conſerre, juxta illud Chriſti, Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.*

IV. Ex hactenus dictis colligitur: gratiam gratum facientem ſolùm dari in eo, qui vel formaliter per gratiam habitualem conjungitur Deo, vel diſpoſitivè, ac initiativè tendit ad dictam conjunctionem. Unde auxilia, quibus peccatores moventur adversùs peccata odio, ac Deum juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ad gratiam gratum facientem reducuntur. Gratia vero gratis data, quia per ſe ſolùm data in bonum aliorum, nonnunquam in peccatoribus, & pravis hominibus eſſe poteſt: cùm peccatores, etſi propriam ſalutem negligant, moveri à Deo poſſint ad ſalutem aliorum; ſicut Balaamo, quamvis ariolo, & Idololatræ, donum prophetiæ conceſſit, *Numer.* 22. Caiphas impius prophetavit, *Joann.* 11. & Sybillæ, etſi Ethnicæ, dono prophetiæ claruerunt, earumque vaticinia valdè ab antiquis Patribus commendantur. Unde Chriſtus, *Matth.* 7. *v.* 22. legitur dicturus multis, qui in nomine ſuo Dæmonia ejecerunt, prophetaverunt, & virtutes multas fecerunt: *Nunquam novi vos*. Propterea ex ſolis miraculis &c. in hac mortali vita per aliquem factis, non poteſt certò concludi ejus ſanctitas (niſi, ut Chriſtus ea faciebat, in teſtimonium ſanctitatis ejus facta ſint) etſi non ſit dubium, quin gratias miraculorum, & reliquas ſæpiùs ſolis Juſtis Deus concedat, ut eos ſibi caros eſſe patefaciat.

§. II.

§. I I.

Reſolutio poſterioris partis.

V. DIco. Diviſio gratiæ gratis datę, in novem ſpecies ab Apoſtolo *1. Corint. 12. à v. 7.* aſſignatas, eſt ſufficiens, & adæquata. Ita S. Thomas hâc *q. 111. a. 4.* Probatur primò, referendo Apoſtoli verba: *Unicuique autem* (inquit) *datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eumdem ſpiritum. Alteri fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu. Alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus, dividens ſingulis, pro ut vult.* Quibus apparet, quòd gratiæ gratis datæ ſpecies ſunt, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio ſermonum.

VI. Probo ſecundò ratione S. Thomæ *ibi.* Gratia gratis data ordinatur ad hoc, quòd homo alteri cooperetur, ut reducatur ad Deum: cùm autem homo ad hoc operari non poſſit, interiùs movendo (quòd ſolius Dei eſt) ſed ſolùm exteriùs docendo, vel perſuadendo, fit; ut tot debeant eſſe gratiæ gratis datæ ſpecies, quot ſunt modi, quibus poteſt homo exteriùs cooperari, ut alius ad Deum reducatur: ſed hoc novem prænumeratis modis contingere poteſt; ergo &c. Minor ab eodem S. Doctore probatur. Ad hoc, ut homo utiliter inſtruat alterum de rebus divinis, quæ ſunt ſupra rationem, tria requiruntur. Primò quidem: quòd homo ſit ſortitus plenitudinem cognitionis rerum divinarum, ut poſſit inſtruere alios. Secundò: ut poſſit ea probare, & confirmare. Tertiò: ut poſſit ea convenienter, ac intelligibiliter proferre, ac pronunciare. Ad primum pertinet ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, & fides. Ad ſecundum gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum. Ad tertium genera linguarum, & interpretatio ſermonum.

VII. Probatur, ſingula explicando. *Sermo ſapientiæ* eſt ea gratia, quâ quis accuratam habet notitiam rerum divinarum, cum promtitudine eaſdem aliis proponendi, explicandi, & defendendi: *Oportet* enim (inquit S. Thomas) *quòd Doctor rectè ſe habeat circa principales concluſiones ſcientiæ: & ſic ponitur ſermo ſapientiæ, quæ eſt cognitio divinorum.*

VIII. *Sermo ſcientiæ* eſt illa gratia, quâ quis talem habet rerum inferiorum notitiam; ut etiam per illas manifeſtare poſſit ea, quæ ſunt Dei. Unde S. Thomas, ait: *Oportet, ut* (Doctor) *etiam abundet exemplis, & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifeſtare cauſas. Et quantùm ad hoc ponitur ſermo ſcientiæ, quæ eſt cognitio rerum humanarum: quia* inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.

IX. Nota tamen: neque ſapientiam, neque ſcientiam hîc ſumi, prout ſunt dona Spiritus Sancti. Nam, ut diximus *Tom. 1. in 1. 2. Qu. 4. de Donis Spiritus Sancti, Dub. 2. §. 2. num. 5.* & docet D. Tho. hâc q. 111. a. 4. ad 4. *Sapientia, & ſcientia non computantur inter gratias gratis datas, ſecundùm quòd enumerantur inter dona Spiritus Sancti; prout ſcilicet mens hominis eſt benè mobilis per Spiritum Sanctum ad ea, quæ ſunt ſapientiæ, & ſcientiæ... ſed computantur inter gratias gratis datas, ſecundùm quòd important quamdam abundantiam ſcientiæ, & ſapientiæ; ut homo poſſit non ſolùm in ſeipſo rectè ſapere de divinis, ſed etiam alios inſtruere, & contradicentes revincere... Quia ut Auguſtinus dicit 14. de Trinit. c. 1.* Aliud eſt ſcire tantummodo, quid homo credere debeat, propter adipiſcendam vitam beatam: aliud eſt ſcire, quemadmodum hoc ipſum, & piis opituletur, & contra impios defendatur.

X.

X. Gratia *Fidei* ea eſt, quâ quis excellentem habet de rebus fidei certitudinem, & in illis conſtantiam; non ſolùm in ſe, ſed ſimul eſt idoneus, eas aliis proponere, & eos de illis inſtruere: *Oportet enim* (ait D. Th. hîc in c.) *quòd qui debet alium inſtruere in aliqua ſcientiâ, primò quidem, ut principia illius ſcientia ſint ei certiſſima. Et quantùm ad hoc ponitur fides; quæ eſt certitudo de rebus inviſibilibus, quæ ſupponuntur ut principia in Catholicâ doctrinâ.*

XI. Notat tamen S. Thom. ibidem ad 2. *Quòd fides non numeratur hîc inter gratias gratis datas, ſecundùm quòd eſt quædam virtus juſtificans hominem in ſeipſo: ſed ſecundùm hoc, quòd importat quamdam ſupereminentem certitudinem fidei; ex qua homo fit idoneus ad inſtruendum alios de his, quæ ad fidem pertinent.* Hiſce tribus gratiis præclarè imbutum fuiſſe B. Stephanum, teſtantur Acta Apoſt. *c. 6. v. 5.* ubi dicitur: *Et elegerunt Stephanum virum plenum fide*, hoc eſt, plenum intelligentiâ ad perſuadenda Myſteria. Quare *v. 10.* Judæi *non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.* Unde *v. 8.* dicitur: *Plenus gratiâ, & fortitudine.*

XII. Ad confirmandam verò fidei doctrinam, quatuor gratiis ornare ſolet Doctores ſuos Deus. Prima eſt *Gratia ſanitatum*: quâ quis veritatem, quam prædicat, confirmare poteſt, infirmis largiendo ſanitatem, eiſque fidem perſuadere; non ſolùm propter magnitudinem facti (quod pertinet ad operationem virtutum) ſed etiam propter beneficium eis collatum. Quo pacto Petrus *Act.* 3. claudum, qui ſedebat ad portam Templi, ſanando traxit ad fidem.

XIII. *Operatio virtutum* eſt, quâ quis in fidei confirmationem poteſt miracula facere; atque ita ſolâ magnitudine facti perſuadere veritatem divinam: cujuſmodi ſunt omnia, quæ Moyſes in Ægypto fecit: cum Gedeon ſtare fecit Solem: quæ etiam ad terrorem, & punitionem incredulorum patrari ſolent; ut cum Petri objurgatione mortui ceciderunt Ananias, & Saphira.

XIV. *Prophetia* eſt gratia, quâ res occultæ, præſertim futuræ, vel alioquin à cognitione noſtra valdè remotæ, divinâ revelatione cognoſcuntur, ut aliis manifeſtari queant.

XV. *Diſcretio ſpirituum* eſt ea gratia, quâ quis poteſt intima cordis alterius ita penetrare; ut diſcernere poſſit, quid in corde alter gerat, & maximè quo ſpiritu moveatur ad loquendum, vel operandum.

XVI. Has quatuor gratiæ gratis datæ ſpecies ita exponit S. Thomas hoc a. 4. in corp *Confirmatio autem in his, quæ ſubduntur rationi, eſt per argumenta: in his autem, quæ ſunt ſupra rationem divinitùs revelata, confirmatio eſt per ea, quæ ſunt divinæ virtuti propria. Et hoc dupliciter. Uno quidem modo, ut Doctor Sacræ Doctrinæ faciat, quæ ſolus Deus facere poteſt in operibus miraculoſis. Sive ſint ad ſalutem corporum: & quantùm ad hoc ponitur gratia ſanitatum. Sive ordinentur ad ſolam divinæ poteſtatis manifeſtationem; ſicut quòd Sol ſtet, aut tenebreſcat, quòd mare dividatur: Et quantùm ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundò: ut poſſit manifeſtare ea, quæ ſolius Dei eſt ſcire: & hæc ſunt contingentia futura. Et quantùm ad hoc ponitur prophetia: & etiam occulta cordium: & quantùm ad hoc ponitur diſcretio ſpirituum.*

XVII. Quia verò Sacer Doctor debet poſſe aliis manifeſtare ea, quæ ſibi revelata ſunt: ideo ponitur *Donum linguarum*, quod eſt gratia, quâ ex peculiari Dei munere loqui poteſt diverſis linguis; vel unâ linguâ loquens facere, ut ab omnibus, etſi diverſi idiomatis, intelligatur.

Et ſimiliter *Interpretatio ſermonum*, quæ eſt donum, quo obſcuros ſermonum ſenſus poteſt interpretari, atque aliis interpretari.

XVIII. Has duas gratiæ ſpecies ita D. Thom. citato loco exponit: *Facul-*

tas

Digitized by Google

tas autem pronunciandi poteſt attendi, vel quantùm ad idioma, in quo aliquis poſſit intelligi: & ſecundùm hoc ponuntur genera linguarum: vel quantùm ad ſenſum eorum, quæ ſunt proferenda: & quantùm ad hoc ponitur interpretatio ſermonum.

XIX. Conſtat ergo, novem tantùm gratias gratis datas admittendas eſſe. Nam ad plenitudinem ſcientiæ dantur ſolum tres: nimirum, *Fides* propter principia, *Sapientia* propter principales concluſiones, & *Scientia* propter effectus. Ad hoc verò, ut poſſit confirmare quæ docet, quatuor tantùm neceſſariæ ſunt Doctori: ſcilicet, *Gratia ſanitatum* ob corporalem ſalutem, *Operatio virtutum* ad divinæ potentiæ oſtenſionem, *Prophetia* ob futura contingentia, & *Diſcretio ſpirituum* ad ſecreta cordium penetranda. Denique, ut poſſit docenda proponere, requiruntur tantum duæ: nempe, *Genera linguarum* propter idioma, & *Interpretatio ſermonum* propter ſenſum ſententiarum.

XX. Alias tamen gratias gratis datas, præter novem enumeratas, dari ſentiunt Vazquez, Bellarminus, & Suarez: nimirum, characterem Sacerdotalem, juriſdictionem in foro interno, & ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus Sancti Summo Pontifici, & Conciliis legitimè congregatis promiſſam.

XXI. Sed veriùs dicendum eſt, ad intentum Apoſtoli novem tantùm eſſe ſpecies gratiæ gratis datæ. Primò: quia hìc ſolum intendit enumerare gratias extraordinarias, quas Spiritus Sanctus, prout vult, quibus vult, & quando vult, impartitur; unde ſubdit 1. Cor. 12. v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus dividens ſingulis, prout vult*; & quas in Eccleſiæ exordio largiter effundebat, ut fides propagaretur: non verò de gratiis, quas ad ordinarium Eccleſiæ regimen, & adminiſtrationem quovis tempore tribuit, uti ſunt character Sacerdotalis, juriſdictio ſpiritualis, aſſiſtentia Spiritus Sancti Pontifici, & Conciliis. Secundò: quia Paulus loquitur de gratiis, quæ ſic ſunt in aliorum utilitatem, ſicque donantur gratis; ut non ſit in libera hominis facultate eas conſequi, etiamſi velit, ſed ex ſola Dei voluntate donentur: poteſtatem autem miniſtrandi Sacramenta multi, ſi velint, poſſunt accipere. Tertiò: diſtinguendæ ſunt cum eodem Apoſtolo 1. *Cor.* 12. *à v.* 4. diviſiones gratiarum à diviſionibus miniſtrationum, & operationum: hæ autem quomodo diſtinguantur, docet D. Thom. *ibi lect.* 1. Nam gratia gratis data ſolùm datur ad manifeſtationem, confirmationem, & promulgationem fidei, quod ſufficienter præſtatur per dictas novem ſpecies. Miniſtratio, ſeu miniſterium dicit auctoritatem exercendi actum aliquem in ordine ad alios, operatio verò eſt executio illius miniſterii: & ad hæc pertinere dicimus ea, quæ enumerant Suarez, & alii: ſunt enim miniſteria, & operationes miniſterii, non verò ad gratias gratis datas in ſenſu Pauli.

XXII. Quæres: An præfatæ gratiæ gratis datæ ſint in homine per modum habitus, an ſolùm per modum motionis tranſeuntis?

XXIII. Reſpondeo, aliquas eſſe in homine per modum habitus, ut fidem, ſapientiam, & ſcientiam; his enim ad arbitrium, & quando vult, utitur, quod ſignum eſt, eſſe in eo permanenter: alias verò eſſe in eo per modum motionis, ſeu impreſſionis actualis, quæ, producto effectu, ſtatim deſinit: cujuſmodi ſunt aliæ ſex ſequentes: his enim gratiis ad arbitrium uti non poſſumus, ſed tunc ſolùm quando à Deo movemur, quod de prophetia expreſsè docet S. Thomas 2. 2. *q.* 171. *a.* 2. ubi dicit, lumen propheticum eſſe in mente Prophetæ, ſicut lumen Solis eſt in aere *per modum cujuſdam paſſionis, ſeu impreſſionis tranſeuntis. Et hoc ſignificatur Exodi* 33. Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ &c. *Et* 3. *Reg.* 19. *dicitur ad Heliam*, Egredere, & ſta in monte

coram

coram Domino, & ecce Dominus tranſit &c. *Et inde eſt, quòd ſicut aer ſemper indiget nova illuminatione: ita etiam mens Propheta ſemper indiget nova revelatione: ſicut diſcipulus, qui nondum eſt adeptus principia artis, indiget, ut de ſingulis inſtruatur. Unde & Iſaia* 50. *dicitur:* Mane erigit mihi aurem, ut audiam quaſi Magiſtrum. *Et hoc etiam ipſe modus loquendi prophetiam deſignat, ſecundùm quod dicitur, quòd* locutus eſt Dominus *ad talem, vel talem Prophetam: aut quòd* factum eſt verbem Domini, *ſive* manus Domini ſuper eum: *habitus autem eſt forma permanens.*

XXIV. Aliquas gratias gratis datas eſſe in homine permanenter, aliquas verò ſolum tranſeunter, expreſſit S. Gregorius *Homil. 9. ſuper Ezechiel.* ubi obſervat, quòd Spiritus Sanctus, *Sap.* 1. ſtabilis ſimul, ac mobilis appellatur; & ait: *Quia in Sanctorum cordibus juxta quaſdam virtutes ſemper permanet; juxta quaſdam verò receſſurus venit, & venturus recedit. In fide etenim, & ſpe, atque caritate, & in bonis aliis, ſinè quibus ad Cœleſtem patriam non poteſt veniri.... perfectorum corda non deſerit: in prophetia verò virtute, doctrinæ facundiâ, miraculorum exhibitione, Electis ſuis aliquando adeſt, aliquando ſe ſubtrahit.*

XXV. Ab hac tamen regulâ excipiendus eſt Chriſtus; in quo hujuſmodi gratiæ fuerunt per modum habitus. Idque primò: quia ejus humanitas erat inſtrumentum realiter hypoſtaticè unitum divinitati: ideoque ſicut talis unio erat permanens, & nunquam diſſolvenda; ſic etiam gratiæ gratis datæ, quæ talem unionem conſequebantur, conſentaneum erat, ut in ipſo eſſent permanenter. Secundò: quia Chriſtus erat præditus poteſtate, quam vocant Excellentiæ; ratione cujus imperio potiebatur in omnes creaturas, & de iis ad libitum ſuæ voluntatis diſponebat: miracula, quando volebat, faciendo, Dæmonibus, morbis, ventis, ac mari imperando, ut legimus in Evangelio. *Et Luca 6. v.* 19. dicitur: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Quibus oſtenditur, virtutem, ſeu gratiam ſanitatum fuiſſe in illo permanenter, & ab eo exiſſe, ſicut lux exit à Sole.

DUBIUM II.

De Diviſione Gratiæ Actualis in operantem, & Cooperantem.

§. I.

Diviſio ſtatuitur, & probatur.

INcipit D. Tho. hâc *q.* 111. dividere gratiam actualem gratum facientem in ſuas ſpecies; & hoc *a.* 2. dividit eam in operantem, & cooperantem, de qua diviſione

I. Dico primò. Convenienter dividitur gratia actualis in operantem, & cooperantem. Probatur primò auctoritate Auguſtini, qui *lib. de Grat. & lib. arb. c.* 17. hanc diviſionem tradit, & probat. Loquens enim de Apoſtolo Petro, dicenſque, quòd *ei non deerat caritas, quamvis parva, & imperfecta, quando dicebat* (Joan. 13. v. 37.) *Domine*, Animam meam pro te ponam. *Et quis* (inquit) *iſtam, etſi parvam, dare cœperat caritatem; niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens; propter quod ait Apoſtolus* (Philipp. 1. v. 6.) Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. *Ut ergo velimus, ſinè nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur. Tamen ſinè illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

II. Colligitur quoque ex Scripturâ. Gratia quidem operans, ex illo Philipp. 2. v. 13. *Deus eſt enim, qui opera-*

operatur in nobis velle, & perficere. Et ex illo Iſaiæ 26. v. 12. *Omnia enim opera noſtra operatus es nobis.* Utraque verò ex illo 1. ad Cor. 15. v. 10. *Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Unde S. Auguſtinus *l. de Gratia, & libero arb. c. 5.* de Pauli vocatione, quæ per gratiam operantem effecta eſt, ſic ait: *Ut autem de Cœlo vocaretur, & tam magnâ, & efficaciſſimâ vocatione, gratia Dei erat ſola; quia merita ejus erant magna, ſed mala.* De gratia verò cooperante ibidem ſic habet: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum; ideſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.* Item S. Gregor. *l. 25. Moral. c. 11.* hæc ſcribit: *Superna pietas priùs agit in nobis aliquid ſine nobis; ut ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio, bonum, quod jam appetimus, agat nobiſcum.*

III. Probatur ſecundò Aſſertio hoc diſcurſu. Gratia rectè dividitur in eam, quâ Deus in nobis ſine nobis incipit omnia noſtra bona opera, ſeu in nobis operatur primam bonam voluntatem; & in eam, quâ nobiſcum operatur perfectionem, ſeu executionem boni operis, cujus initium jam in nobis operatus fuerat, ut ex dictis apparet: at prior eſt gratia operans, ſecunda verò eſt gratia cooperans; ergo &c.

IV. Adverte tamen: quòd cùm dicimus, gratiam operantem eſſe illam, quâ Deus operatur primam bonam voluntatem in nobis *ſine nobis;* non ita eſt intelligendum, quòd eam operetur ſine nobis conſentientibus, & liberè agentibus: ac ſi voluntas noſtra à Deo mota, merè paſſivè, nihil agendo, ſeu influendo, in bonum actum ſe habeat. Nam hic eſt error Lutheri, & aliorum, quem damnavit Tridentinum *Seſſ. 6. Can. 4.* Et ratio adeſt: quia nullus actus vitalis egredi poteſt à potentia vitali ſine influxu illius: unde Auguſt. l. de Gratia, & lib. arb. c. 17. *Certum* (inquit) *eſt, nos velle, cum volumus; ſed ille facit, ut velimus.... Certum eſt, nos facere, cum facimus, ſed ille facit, ut faciamus &c.*

Gratiam ergo operantem ſolam, ſine nobis, in nobis operari dicitur; quia ad illam habendam nihil noſtri contulimus, ſive petendo, ſive deſiderando, ſive eam aliquomodo promerendo, aut impetrando: cùm enim, ut ſupponimus, primam bonam voluntatem in nobis operetur; ſequitur, quòd eam nullus bonæ voluntatis motus antecedat. Itaque operatur ſine nobis priùs volentibus, conantibus, pulſantibus, deſiderantibus, ſtudentibus, meditantibus; non tamen ſine nobis per eam influentibus. E' contra gratia cooperans dicitur nobiſcum operari; quia jam per gratiam operantem conantibus, pulſantibus, deſiderantibus, petentibus boni perfectionem, ac executionem operatur. Vel aliis terminis: gratia operans ea dicitur, quæ primam bonam voluntatem deliberatam ſola operatur in homine; puta, converſionis ab infidelitate ad fidem, vel à peccatis ad pœnitentiam; cooperans verò ea eſt, quâ homini jam per gratiam operantem volenti, & cooperanti cooperatur augendo, ac roborando voluntatem, ut efficiat, & perficiat, quod vult, & ad quod conatur. Et hoc eſt, quod ſuperiùs dicebamus ex Auguſt. l. de Grat. & lib. arb. c. 17. *Quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens... Ut ergo velimus, ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur.*

V. S. Auguſtino ſubſcribit S. Thom. hâc *q. 111. a. 2.* his verbis: *Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, ſed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non movens, ſolus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur: & quantùm ad hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu,* in

Digitized by Google

in quo mens noſtra, & movet, & movetur, operatio non ſolum attribuitur Deo, ſed etiam animæ: & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans.

VI. Quæres: Utrum gratiam operantem comitetur ſemper gratia cooperans?

Reſpondeo negativè. Nam Deus nonnunquam homines, qui nec de eo cogitant, nec ipſum orant, imò & ei contradicunt, movet ad boni deſiderium, ad converſionem, ad imperfectam caritatem; in quibus tamen per gratiam cooperantem non operatur boni executionem, integram converſionem &c. Cùm enim, ut docet S. Thomas hoc *art.* 2. gratia operans ſit ad illum actum, ad quem Deus ſe habet ut movens, voluntas verò humana ut mota; *& præſertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat:* gratia verò cooperans ſit ad hoc, ut voluntas perficiat opere, Deo ipſam adjuvante, id, quod ut ab ipſo mota cæpit velle; contingit ſæpè, quòd id, quod velle cæpit, non perficiat: ideoque quòd gratiam operantem gratia cooperans non comitetur.

VII. Ex quibus colligere putant aliqui cum S. Doctore dicto *a.* 2. *ad* 4. quòd gratia operans, & cooperans ſit eadem gratia; ſed diſtinguatur ſecundùm diverſos effectus. Si enim moveat ad actum, ad quem voluntas ſe habeat ſolùm ut mota, Deus autem movens; ideſt, ad actum, ad quem nullo modo ſe præparavit, erit gratia operans: at ſi moveat ad actum, ad quem voluntas non ſolùm ſit mota, ſed etiam ſit movens ſeipſam; ideſt, ad actum, ad quem ex motu gratiæ operantis conatu, ac deſiderio ſe præparet, erit gratia cooperans. Verùm licèt hoc ſuſtineri poſſit de gratia habituali, de qua ibi loquitur S. Doct. & Q. 27. *de Verit. a.* 5. *ad* 1. difficilè tamen ſuſtineri poteſt de gratia actuali; quæ, ut dicemus, in motione voluntatis conſiſtit. Nam alia eſt motio, quâ Deus voluntatem prævenit, ac movet, ut velit: alia verò, quâ deinde facit, ut homo tandem perficiat, quod ante voluit; cum motio, ſeu vis motionis, ſimul tranſeat cum actione, ad quam datur.

§. II.

Aliqua reſolvuntur.

Dubitari ſolet primò. Quænam gratia hìc dividatur: an actualis, an habitualis.

VIII. Dico, hanc diviſionem extendi poſſe ad gratiam habitualem; propriè tamen eſſe diviſionem gratiæ actualis. Priorem partem docet S. Tho. hoc *a.* 2. his verbis: *Sic igitur habitualis gratia, inquantùm animam ſanat, vel juſtificat, ſive gratam Deo facit, dicitur gratia operans; inquantùm verò eſt principium* (radicale) *operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.* Quod docet etiam Q. 27. *de Verit. a.* 5. *ad* 1.

IX. Poſterior autem pars colligitur ex eodem S. Doctore *art.* 2. citato: ubi primo loco diviſionem hanc explicat de gratia actuali, ut dictum eſt; docens, gratiam operantem eſſe, dum voluntas noſtra eſt tantum mota, & non movens; cooperantem verò eſſe, dum mens noſtra movetur, & ſimul movet. Accedit: quòd S. Auguſtinus, ex quo hæc diviſio ſumta eſt, & Scriptura, ex qua ipſe Auguſtinus eam deſumſit, omnino videatur loqui de gratia actuali; quæ per ſe primò datur ad agere, non ad eſſe, ut gratia habitualis. Gratia enim operans, ſecundùm Auguſtinum, & Scripturam, eſt illa, quâ fit, ut bonum ſalutare velle incipiamus: cooperans, quâ fit, ut bonum, quod jam velle cæpimus, faciamus.

X. Dubitari ſolet ſecundò. An, cùm gratia actualis quædam ſit increata, nimirum, Deus ipſe gratuitò operans, & cooperans; alia creata, nempe, Dei motio, quam imprimit in voluntate: præfata diviſio non ſolùm gratiæ increatæ conveniat, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam gratiæ creatæ. Certum enim eſt, aptiſſimè convenire gratiæ increatæ: cùm certum ſit, Deum eſſe, qui, & operando facit, ut velimus, & cooperando, ut quod volumus, faciamus.

Cenſent quidam, ſolam gratiam increatam eſſe eam, quæ dividitur in operantem, & cooperantem; &, præter eam, nullam gratiam actualem creatam admittunt, niſi actiones noſtras, ſive deliberatas, ſive indeliberatas.

XI. Dico. In præfata diviſione dividitur etiam gratia actualis creata; non quidem quæ ſit noſtra actio, ſed quæ ſit actionis noſtræ principium: aliqua nimirum vis, per modum tranſeuntis, menti noſtræ impreſſa; quâ Deus operatur, & cooperatur in nobis ea, quæ ad ſalutem pertinentia volumus, & facimus. Prior pars probatur. Nam quæcumque bonæ actiones noſtræ aſſignentur, quamvis ſint quædam gratia, quatenus gratuitò nobis donantur; proprie tamen non ſunt gratia actualis. Quia gratia actualis eſt illa, per quam Deus nos movet, vel nobiſcum cooperatur ad actiones bonas, ſeu ſalutares faciendas: & per conſequens ea gratia debet eſſe quoddam illarum actionum principium, & iſtæ actiones illius gratiæ effectus eſſe debent.

XII. Et confirmat hoc D. Thom. hoc *a.* 2. ubi gratiam actualem, quam dividit in operantem, & cooperantem, vocat *divinum auxilium, quo Deus nos movet ad benè volendum, & agendum;* ergo ex mente S. Doctoris non eſt ipſa volitio, ſed aliquid prius, & cauſa noſtræ volitionis. Et in reſp. ad 3. *Homo autem* (inquit) *per gratiam operantem adjuvatur à Deo, ut bonum velit;* ergo bonum velle, eſt effectus gratiæ operantis, & non ipſa gratia operans. Unde in corp. ejuſdem art. ait: *Si gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, quâ movet nos ad bonum meritorium; convenienter dividitur gratia per operantem, & cooperantem.*

Quibus apparet, S. Doctorem loqui de gratia actuali; quæ non ſolùm diſtinguatur ab actione creatæ voluntatis, ad quam movet, & quam facit, ut cauſa; ſed quæ diſtinguatur etiam à Deo, & ab actione æterna, & increatâ Dei, tanquam motio, & impreſſio temporalis ab ea producta in voluntate creata, quâ Deus voluntatem movet: unde illam vocat *auxilium, motionem.*

Et confirmatur etiam à pari ex iis, quæ docet *Q.* 27. *de Verit. a.* 5. *ad* 1. Quemadmodum enim ex gratuita increatâ Dei voluntate hominem juſtificandi deſcendit in hominem donum habituale creatum, quo formaliter juſtificatur; ita ex gratuita increatâ Dei voluntate hominem movendi ad bonum, & perficiendi bonum, quod voluit, deſcendit in hominem motio quædam creata, quâ formaliter movet ad bonum volendum, & perficiendum bonum, quod voluit: & illa eſt gratia operans, iſta cooperans.

XIII. Ex his conſtare incipit poſterior pars: quòd, nempe, gratia actualis creata ſit quædam motio, ſeu vis menti humanæ tranſeunter impreſſa. Eſtò enim tam Scriptura, quàm Auguſt. cum loquuntur de gratia actuali, dicant, Deum operari, ut velimus, & cooperari, ut quod volumus, faciamus: non tamen dicunt, Deum ita per ſe operari; ut nullam vim, aut virtutem menti imprimat, per quam faciat voluntatem volentem, vel agentem. Sicut, eſtò Deus ſit, qui juſtificat; non tamen excluditur, quin hoc faciat per donum gratiæ habitualis creatæ. Imò Auguſt. *l. de Grat. & lib. arb. c.* 16. explicans modum, quo Deus facit, ut velimus, ac faciamus, dicit, quòd hoc præſtat *præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Et S. Bonaventura in 2. *diſt.* 25. *in fine* dicit: *Unde non eſt aliud dicere, gratiam movere liberum arbitrium, quàm gratiam eſſe inſtrumentum Spiritus Sancti ad movendum liberum arbitrium.* Cui conſonat D. Tho. *Qu.* 3. *de Poten-*

tia a. 7. ad 7. dicens: *Id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum, per modum, quo colores ſunt in aere, vel virtus artis in inſtrumento artificis.*

XIV. Dubitari ſolet tertiò. An gratia actualis operans reſtringenda ſit ad ſolam illam, quæ primam bonam voluntatem, & maximè circa finem, in homine operatur.

Dico negativè. Eſtò enim gratia operans operetur in nobis primam bonam voluntatem; unde eam pro exemplo affert S. Thomas hoc *a. 2.* dicens: *Præſertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat:* attamen motus boni, qui in hominibus juſtis excitantur, etſi primam bonam voluntatem non faciant, à gratia tamen operante fiunt. Unde Auguſtinus gratiam operantem, non ſolùm in bono aſſequendo, ſed & tenendo requirit: ait enim l. de Corrept. & gratiâ c. 11. *Eſſe in nobis per hanc Dei gratiam* (operantem ſcilicet) *in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolùm poſſe, quod volumus; verùm etiam velle, quod poſſumus.*

DUBIUM III.

Duæ aliæ Diviſiones Gratiæ Actualis.

§. I.

De Gratia Præveniente, & Subſequente.

I. SAnctus Thomas hâc *q. 111. a. 3.* dividit ulteriùs gratiam in prævenientem, & ſubſequentem, quam diviſionem ſumit ex ordine ad effectus. Unde ait: *Et ſicut unus effectus eſt poſterior uno effectu, & prior alio: ita gratia poteſt dici præveniens, & ſubſequens, ſecundùm eumdem effectum reſpectu diverſorum.* Hinc quinque præcipuos effectus gratiæ aſſignat. Primus eſt, ut anima noſtra ſpiritualiter ſanetur. Secundus, ut velit bonum ad ſalutem pertinens. Tertius, ut bonum, quod vult, exequatur. Quartus, ut in bono perſeveret. Quintus, ut ad illo iam perveniat. Tum addit: *Et ideo gratia, ſecundùm quòd cauſat in nobis primum effectum, vocatur præveniens reſpectu ſecundi effectus: & prout cauſat in nobis ſecundum, vocatur ſubſequens reſpectu primi effectus.* Imò quòd gratia poſſit dici præveniens, & ſubſequens etiam ſecundum eumdem effectum reſpectu diverſorum: ſicut idem effectus eſt poſterior uno, & altero prior. Sic gratia, ſecundum quòd operatur bonum velle, dici poteſt præveniens, & ſubſequens: præveniens reſpectu bonæ operationis, quam cauſat; ſubſequens reſpectu ſanationis, quam ſubſequitur. Hunc modum ſpectaſſe videtur S. Auguſtinus *l. de Nat. & grat. c. 31.* dum de juſtificatione noſtra diſſerens: *Ubi* (inquit) *operamur & nos* (conſentiendo) *ſed illo operante cooperamur, quia miſericordia ejus prævenit nos. Prævenit autem, ut ſanemur, quia & ſubſequitur, ut jam ſanati vegetemur. Prævenit, ut piè vivamus; ſubſequitur, ut cum illo ſemper vivamus, quia ſinè illo nihil poſſumus facere.*

II. Alio modo explicatur ab aliis ſic: ut gratia præveniens dicatur in ordine ad hominem; inquantùm Deus ſuâ miſericordiâ hominem prævenit, vel averſum ad ſe convertendo, vel nondum præparando ei beneficia, quibus ſuo tempore eum ſit converſurus. Quo modo gratia præveniens deſcribi ſolet: *Gratia, quæ operatur, ut homo benè velit.* Subſequens verò dicatur: *Quæ dat homini exequi bonum, quod volebat.* Hunc modum expreſſit Sanctus Thomas *Qu. 27. de Veritate a. 5. ad 6.* ubi enumerans varios modos, quibus gratia dici poteſt præveniens, & ſubſequens, dicit: *Secundò: ut præveniens dicatur, ſecundùm quam aliquis rectè vult; ſubſequens verò, ſecundùm quòd rectam voluntatem in exteriori opere exequitur.* Addens, quòd, ſecundum hunc modum, *idem videtur eſſe gratia præveniens, & ſubſequens, quòd operans, & cooperans.*

III.

Digitized by Google

III. Hunc modum explicandi gratiam prævenientem, & ſubſequentem indicavit etiam S. Auguſt. *in Enchirid. c.* 32. ubi poſtquam dixit, quod *hominis voluntatem bonam Deus & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam;* ſubjungit: *Præcedit enim voluntas hominis multa Dei dona; ſed non omnia. quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa. Nam utrumque legitur in Eloquiis:* & miſericordia ejus præveniet me, & miſericordia ejus ſubſequetur me. *Nolentem prævenit, ut velit: volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* His præmiſſis

IV. Dico. Gratia rectè dividitur in prævenientem, & ſubſequentem, quocumque explicetur modo. Id enim tradit Scriptura: de præveniente quidem Pſalm. 20. v. 4. *Præveniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et Pſal. 58. v. 11. *Miſericordia ejus præveniet me.* De ſubſequente verò Pſal. 22. v. 6. *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Id etiam ex orationibus Ecceleſiæ conſtat. Precatur enim, ut actiones noſtras aſpirando præveniat, & adjuvando proſequatur: & ut vota noſtra, quæ præveniendo aſpirat, etiam adjuvando proſequatur. Idem tradit, præter Auguſt. ſupra relatum, Gregorius *Homil. 9. in Ezechiel.* his verbis: *Ipſe aſpirando nos prævenit, ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur, ne inaniter velimus, ſed poſſimus* (potentiâ conjunctâ cum actu) *implere, quod volumus.*

V. Sed dices primò. Oratio noſtra Deum prævenit, Pſal. 87. v. 14. *Mane oratio mea præveniet te*, Et Pſalm. 118. v. 147. *Præveni in maturitate, & clamavi.... Prævenerunt oculi mei ad te diluculo;* ergo nulla datur gratia, quæ ſit abſolutè præveniens.

VI. Reſpondeo primò, neg. ant. Verba autem ex Pſalmis non ſignificant, orationem noſtram prævenire gratiam merito, vel cauſalitate; ſed accelerationem orationis, quam indicant verba illa *mane*, & *præveni in maturitate:* idest, ſummo mane ſurgens præveni tempus ſurgendi, ut orarem. — Secundò, diſt. ant. Oratio, quæ fit ex gratia præveniente, Deum prævenit, con. ant. quæ fit ex nobis, nego ant. Oratio, quæ fit ex gratia præveniente, prævenit Deum dantem gratiam ſubſequentem, puta, ad victoriam tentationis: non autem oratio, quæ fit ex nobis. Unde Auguſt. *in Enchirid. c.* 32. ait: *Oramus ergo pro inimicis noſtris, ut miſericordia Dei præveniat eos, ſicut prævenit & nos. Oramus autem pro nobis, ut miſericordia ejus ſubſequatur nos.*

VII. Dices ſecundò. Dilectio Dei, & gratia ejus idem ſunt: atqui dilectio Dei in nos ſemper eſt præveniens, & nunquam ſubſequens, juxta illud 1. Joann. 4. v. 10. *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos;* ergo non datur gratia ſubſequens.

VIII. Reſpondeo, negando maj. Gratia enim eſt effectus temporalis dilectionis æternæ Dei, non verò ipſa Dei dilectio. Reſponſio eſt D. Thom. hoc *a. 3. ad 1.* dicentis: *Quòd dilectio Dei nominat aliquid æternum: & ideo nunquam poteſt dici, niſi præveniens. Sed gratia ſignificat effectum temporalem, qui poteſt præcedere aliquid, & ad aliquid ſubſequi: & ideo gratia poteſt dici præveniens, & ſubſequens:* ſubſequens quidem aliquem divinæ gratiæ effectum, non tamen omnes: ut diximus ex Auguſt. in Enchirid. c. 32. *Præcedit enim voluntas hominis multa Dei dona, non tamen omnia.*

§. II.

De Gratia Excitante, & Adjuvante.

IX. Dico. Rectè dividi poteſt gratia actualis in excitantem, & adjuvantem. Utriuſque enim meminit Scriptura: excitantis quidem in iis locis, quibus homines quaſi dormientes excitat. Ut ad Epheſ. 5. v. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Apoc. 3. v. 20.

Digitized by Google

23. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo:* ſtare autem ad oſtium, & pulſare, nil aliud eſt, quàm interna inſpiratione animam, quoad cœleſtia dormientem excitare. Adjuvantis etiam meminit in Pſalm. 78. v. 9. *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.* Pſal. 26. v. 9. *Adjutor meus eſto.* Pſal. 118. v. 117. *Adjuva me, & ſalvus ero.* Rom. 8. v. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.* Utramque ſuis in precibus à Deo poſtulat Eccleſia: excitantem Dominicâ ſecundâ Adventus: *Excita Domine corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias.* Dominicâ vigeſimaquartâ poſt Pentecoſtem: *Excita Domine tuorum Fidelium voluntates.* Poſtulat etiam adjuvantem, dum in Officio, ad Primam, Chriſtum ſic alloquitur: *Exurge Domine, adjuva nos.* Et in die Paſchæ: *Vota* (inquit) *noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam adjuvando proſequere.*

X. Utramque agnoſcunt & Patres. Bernardus *lib. de Gratia, & lib. arb.* ait: *Conatus noſtri ad bonum & caſſi ſunt, ſi gratia non adjuvantur, & nulli, ſi non excitentur:* Et ante illum S. Auguſt. *lib. 2. de Peccat. merit c. 18.* ait: *Quòd ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, atque adjuvante non poſſumus.* Item Conc. 1. in Pſalm. 58. *Non ego* (inquit) *prior ad te exſurrexi voluntate, ſed tu ad excitandum veniſti.* Et in Pſalm. 8. *Ipſe me attraxit; quia in occulto à morte cordis, non quilibet medicus, ſed ipſe excitavit.* Adjuvantem quoque agnovit. Ubi enim Pelagianis oſtendit, Deum noſtras bonas voluntates prævenire, operari, excitare; concedit eis, quòd ad bonum exequendum, ut ipſi fatebantur, adjuventur. Sic *l. 1. ad Boniſac. c. 19.* ait: *Dixiſti tu, Juliane, hominem in bono opere à Deo ſemper adjuvari, tanquam ſuâ voluntate, nullâ Dei gratiâ opus aggreſſus, in ipſo jam opere divinitùs adjuvetur.*

XI. Ad hæc omnia reſpicientes Tridentini Patres *Seſſ. 6. cap. 5.* docent, eos, *qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando* diſponi. Et cap. 6. *Diſponuntur autem* (inquiunt) *ad ipſam juſtitiam, dum, excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* Et *Can.* 3. divini adjutorii meminere; ſicut, & *Can.* 4. divinæ excitationis, & Dei excitantis.

XII. Dices primò. Omnis gratia eſt adjuvans. Unde Auguſt. *l. 2. ad Boniſ. c. 8. (ſeu contra duas Epiſt. Pelagian.)* contra Pelagianos docet, nihil nos poſſe ſine Dei adjutorio; nec voluntatem præparare, nec os aperire, nec aliud quidquam. Unde doctrina fidei eſt: *Gratia Dei, & adjutorium ad ſingulos actus datur.* De qua Auguſt. *Epiſt. 106.* modò 186. *ad Paulinum* Secundò. S. Thomas hìc quamvis expreſsè de diviſione gratiæ agat, hujus tamen diviſionis non meminit.

XIII. Reſpondeo ad primum, quòd omnis gratia eſt excitans, & adjuvans, ſed ſecundum diverſa. Excitans eſt, quatenus primam voluntatem facit; adjuvans verò, quando bonam voluntatem ad opus manuducit. Unde S. Auguſtinus citato l. 2. ad Boniſac. *Non ait* (Chriſtus) *ſine me nihil poteſtis perficere; ſed* facere. *Nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti* (Pelagiani) *dicere: non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt, ſed ad perficiendum, eſſe Dei adjutorium neceſſarium. Verùm audiant & Apoſtolum. Dominus enim cùm ait:* Sine me nihil poteſtis facere; *hoc uno verbo initium, finemque comprehendit: Apoſtolus verò tanquam ſententiæ Dominicæ expoſitor, apertiùs utrumque diſtinxit, dicens:* Quoniam qui in vobis opus bonum cæpit, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.

XIV. Ad ſecundum dico, S. Thomam gratiæ excitantis, & adjuvantis non meminiſſe; quia eam ſub gratia operante, & cooperante, vel ſub præveniente, & ſubſequente tacitè compre-

prehendit. Sicut nec meminit gratiæ inſpirantis, ſeu incipientis, & proſequentis, ac perficientis, gratiæ ducentis, & comitantis: quia gratia inſpirans, incipiens, ducens, quoad effectum, idem eſt, ac operans, & præveniens; ſicut proſequens, perficiens, comitans, cum gratia cooperante, vel ſubſequente convertuntur. Videndum modo eſt, quid ſit gratia excitans, & quid adiuvans.

XV. Dico. Gratia excitans, & adjuvans non conſiſtit in ſolis externis ſuaſionibus, illuſtrationibus, aut ſimilibus; ſed in actuali intrinſeca Dei motione: quæ ſi ante omnem liberæ noſtræ voluntatis nos movet, ut, vel ab infidelitate ad fidem, vel à peccatis ad pœnitentiam, vel ut ab otio ad actum convertamur, erit gratia excitans: ſi verò hominem jam excitatum movet, ut perfectiùs velit, quod velle incæpit, erit gratia adjuvans.

XVI. Prior pars ſuadetur. Quia vera Dei gratia, quam Eccleſia Catholica contra Pelagium fatetur, debet afficere non intellectum ſolum, ei proponendo bonum; ſed etiam movere voluntatem, ut bonum, vel incipiat velle, ſi priùs nolebat, vel ut in bono proſequatur, ſi jam volebat: ſed ſuaſiones, illuſtrationes, & alia ſimilia mentem quidem pulſant, ſed voluntati nihil tribuunt, & conſequenter non aliud ſunt, quàm lex, vel legis, ac peccati cognitio, prædicatio; ergo nil aliud dicunt, quàm gratiam Pelagianam: contra quam S. Auguſtinus *Epiſt.* 107. modò 217. *ad Vitalem*, & alibi, feriò inculcat: *Gratiam Dei non eſſe in lege, atque doctrinâ, ſicut Pelagiana perverſitas deſipit*. Cui ſubſcribit S. Proſper *cap.* 14. *&* 20. *de Ingratis*.

XVII. Poſterior quoque pars conſtat. Nam ſi ſuaſiones, & illuſtrationes conjunctum habent aliquem bonum motum voluntatis; tàm illæ inſpirationes, quàm ille motus voluntatis pertinent ad gratiam excitantem: quia effectus gratiæ excitantis ſunt, excitare mentem ad objecti conſiderationem, & piâ affectione, ac ſancto deſiderio inclinare ad illud voluntatem. Utrumque expreſſit S. Auguſtinus *l. de Spiritu, & litt. c.* 34. dicens: *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & credamus; ſive extrinſecùs per evangelicas exhortationes .... ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem: ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*.

Hoc autem fieri per actualem motionem, quæ ſimul intellectum illuminet, & faciat eum apprehendere bonum ad ſalutem pertinens, & voluntatem ad illud inclinet; adeoque utramque potentiam elevet, inſtruat, & roboret: conſtare poteſt ex iis, quæ ſuperiùs diximus, *Dub.* 2. *§.* 2. *nu.* 11. de gratia operante, & ex inferiùs dicendis pleniùs apparebit. Juxta quæ intelligi poteſt Concilium Tridentin. dum *Seſſ.* 6. *cap.* 5. ait, Deum per Spiritus Sancti illuminationem tangere cor hominis: & dum *Can.* 4. ait, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperari Deo excitanti, atque vocanti. Hìc enim utriuſque gratiæ effectum indicat; nempe, excitantis, dum ait motum, & excitatum: & adjuvantis, dum ſubdit, cooperari Deo excitanti ad executionem boni operis.

DUBIUM IV.

De Gratia Sufficiente, & Efficaci.

§. I.

Quo ſenſu Gratia dicatur Sufficiens.

I. Celebris eſt diviſio gratiæ in ſufficientem, & efficacem; ſive in gratiam, quæ tantùm eſt ſufficiens, & non efficax, & in eam, quæ eſt efficax, & non tantùm ſufficiens. In hoc tamen nomine gratiæ ſufficientis magna committitur æquivocatio. Quidam enim per gratiam ſuffi-

ſufficientem. eam intelligunt, præter quam nihil aliud eſt ex parte Dei neceſſarium, ad hoc, ut homo credat, diligat, bene operetur, aut in bono perduret: & in hoc ſenſu eam intelligunt Molinæ diſcipuli. Et hoc modo definitur, quòd ſit: *Auxilium, præter quod, ex parte Dei, non alio opus eſt homini, ut actu operetur.* Unde Leſſius *in Diſput. Apologet. cap.* 9. ait: *Sufficiens dicitur, quod continet omnia neceſſaria ad opus: itaut per illud in poteſtate hominis ſit, ſine alio auxilio, opus facere. Nihil enim poteſt dici ſufficiens ad aliquam operationem, & finem; niſi cui nihil deeſt, quod ſit neceſſarium ad illum, ut patet ex terminis.* Alii vero gratiam ſufficientem vocant, quæ etſi ſe ſolà non ſufficiat proximè ad actu credendum, diligendum, ſed egeat gratiâ efficaci dante actu credere, diligere &c. ſufficit tamen, ut per eam homo reddatur in actu primo potens credere, diligere &c. Ita D. Thomæ diſcipuli. Secundum quod gratia ſufficiens definiri poteſt: *Auxilium, quod ita tribuit poſſe credere; ut tamen homini alio, ex parte Dei, opus ſit ad actu credendum &c.* Unde ſi hoc non adſit, poterit quidem homo credere, ſed nunquam actu credet. Quod ita explicat Zumel in 1. 2. diſp. 4. ſect. 2. concl. 1. *Auxilium gratiæ Dei, quod appellatur ſufficiens, non vocatur ſufficiens ex eo, quòd quaſi ipſum ſolum ſit ſatis ad actu habendam illam operationem, ad quam ultimò ordinatur, quaſi non ſit aliquid aliud neceſſarium, niſi quòd non apponatur impedimentum.* His præmiſſis

II. Dico primò. Gratia non dicitur ſufficiens, ita ut, ex parte Dei, nil aliud requiratur ad actu operandum. Probatur. Tum quia: alioquin ſequeretur, eos, qui haberent talem gratiam ſufficientem, non debere Deum orare pro gratia ulteriori; cum ſupponatur, nil aliud requiri, ex parte Dei, ad actu benè operandum, præter id, quod jam dedit. Tum quia, ſequeretur, vel gratiam efficacem non eſſe neceſſariam ad bene operandum, & perſeverandum in bono; cum hæc gratia ſufficiens ſe ſolà ad illa omnia abſque ulteriori gratia ex parte Dei ſufficiat: vel certè hominem poſſe illam gratiam ſufficientem reddere efficacem ſine ullo Dei ulteriori auxilio; ac proinde bene operantem, non ex gratia diſcerni, ſed à ſe ipſo ſe diſcernere à non bene operante: quia ipſe abſque ulteriori, ex parte Dei, adjutorio gratiam ſufficientem reddidiſſet efficacem, quod alter non feciſſet, contra celebre Pauli dictum 1. Cor. 4. v. 7. *Quis enim te diſcernit?* Quod teſtimonium alibi fusè expendimus, & præcipuè *Tom.* 3. *in* 1. *p. Qu.* 6. *de Scientia fut. cond. Dub.* 4. §. 1. *à num.* 3. & *Q.* 4. *de Divin. volunt. cauſal. & efficac. Dub.* 1. §. 2. *num.* 8.

III. Quapropter Bellarminus *lib.* 1. *de Gratia. & lib arb. c.* 12. ubi cum recenſuiſſet opinionem eorum, qui exiſtimant, in poteſtate hominis eſſe, ut gratiam faciat efficacem eſſe, quæ alioquin ex ſe non eſſet niſi ſufficiens; ita ſcribit: hæc opinio aliena eſt omnino à ſententia B. Auguſtini; & quantùm ego exiſtimo, à ſententia etiam divinarum Scripturarum. Nam S. Auguſt. *lib. de Prædeſt. Sanct. c.* 8. dicit, gratiam (efficacem videlicet) à nullo duro corde reſpui. quia ipſa cor emollit. Ubi vides efficaciam tribui gratiæ, non voluntati humanæ. Bellarmino ſubſcribit Tannerus *diſp.* 6. *q.* 2. *dub.* 5. ubi dicit, eam opinionem, quæ dicit, in poteſtate hominis eſſe, gratiam reddere efficacem, quæ alioquin ex ſe non eſſet niſi ſufficiens, ſibi nunquam potuiſſe probari.

IV. Dico ſecundò. Gratia ſufficiens, ut diſtinguitur ab efficaci, eſt auxilium, quod dat quidem poſſe operari; præter illud tamen requiritur aliud ex parte Dei ad actu operandum. Ita omnes ex ſchola S. Thomæ, inter quos etiam Bellarminus, Tannerus ſupra citati. Et quidem primò probatur. Nam hoc modo rectè ſalvatur diviſio gratiæ in ſufficientem, & ef-

& efficacem, in eam, nempe, quæ ſolùm eſt ſufficiens, & non efficax, & in eam, quæ eſt efficax, & non ſolùm ſufficiens. Dari enim gratiam, quæ non ſolùm ſit ſufficiens, ſed efficax; nimis apertè conſtat ex Scripturis, in quibus actu agere pietatis opera Deo tribuitur: *Deus eſt enim* (inquit Paulus Philip. 2. v. 13.) *qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Ezechiel. 36. v. 26. *Dabo vobis cor carneum .... & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini;* ubi Deus dicitur emollire cor, & facere, ut in præceptis illius ambulemus. Et *Roman.* 7. *v.* 24. victoria tentationum non ab alio, quàm à Dei gratia dicitur expectanda: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*.

V. Dari quoque gratiam dantem poſſe, ſed non agere; ita ut ad agendum ulteriori gratiâ opus ſit: conſtat ex iis Scripturæ locis, quibus oſtenditur data aliquibus gratia, quâ potuerunt benè agere, & non egerunt. *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus* (ait Stephanus Act. 7. v. 51.) *& auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis; ſicut Patres veſtri, ita & vos*. Proverb. 8. v. 24. *Vocavi* (inquit Deus) *& renuiſtis: extendi manum meam. & non fuit, qui aſpiceret*. Unde Paulus 2. Cor. 6. v. 1. *Exhortamur* (inquit) *vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; datur ergo gratia, quæ poteſt recipi in vacuum, ideſt, quæ dat poſſe, ſed non agere: cui propterea poteſt reſiſti, & quæ in vacuum recipi poteſt. Hanc, quia non admiſit Janſenius, ideo hæc ejus propoſitio: *Interiori gratia in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, ab Innocentio X. proſcripta fuit.

VI. Probatur quoque ex Auguſtino, qui fatetur primò, aliquibus dari parvam, & imperfectam voluntatem ad bonum; qui tamen aliâ perfectiore, & robuſtiore indigent. Quare *l. de Grat. & lib. arb. c.* 17. ait: *Ipſam caritatem* (magnam, & robuſtam) *Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Timor enim non eſt in caritate, ſicut ait Joannes in Epiſtola ſua, ſed perfecta caritas mittit foras timorem: & tamen quamvis parva, & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino:* Animam meam pro te ponam.

Fatetur ſecundò: *in Epiſt. ad Vitalem*, ubi de fide, quæ per imperfectam, & inchoatam dilectionem operatur, & propterea non dat integram mundationem, & perfectam libertatem, concedit, quòd det *poſſe* integrè mundare, & *poſſe* perfectè ſanare: *Per quam* (inquit) *ſcit* (Diabolus) *eos poſſe mundari, poſſe ſanari, poſſe perfectiſſimè liberos* (*quod eis vehementer invides*) *in æternum regnare*.

Fatetur tertiò *in libro de Gratia Chriſti:* ubi obſervat, tria à Pelagio fuiſſe diſtincta: *Poſſibilitatem, voluntatem, actionem: poſſibilitatem ſcilicet, quâ poteſt homo eſſe juſtus, voluntatem, quâ vult eſſe juſtus, actionem, quâ juſtus eſt*. Hæc autem tria, quæ ibidem *cap.* 4. hiſce tribus nominibus: *Poſſe, Velle, Eſſe*, ſeu *Agere*, breviùs expreſſit, admittit Auguſtinus: ſi tamen fateatur Pelagius, *poſſibilitatem* à gratia adjuvari, ac præterea ad *Velle*, & *Agere* uberiorem aliam gratiam requiri. Ergo Auguſtinus admiſit gratiam, quæ licèt non det ipſum *Velle*, ipſum *Agere* (cùm ad actu volendum, & agendum uberiorem aliam gratiam requirat) dat tamen *poſſe Velle*, & *poſſe Agere*.

Fatetur tandem *lib. de Correp. & grat. cap.* 11. & 12. ubi duplex adjutorium diſtinguit: unum *ſinè quo*, alterum *quo*. Primum dat poſſe, ſecundum dat agere. Primum datum fuit Adamo, & ideo poterat perſeverare. Secundum ei datum non fuit, & ideo non perſeveravit. Unde ait cap. 12. *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium*

Digitized by Google

vium perſeverantia; non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſinè quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Sentit ergo Auguſtinus, dari auxilium ſinè quo, dans poſſe, ſeu ſufficiens; quod ad actu agendum indigeat ulteriori auxilio *quo*, ſeu efficaci dante agere. Inſuper ibidem comparat adjutorium *ſine quo* alimentis. Quia ſicut ſinè alimentis non poſſumus vivere; non tamen cum adfuerint alimenta, fit, ut homo vivat, ut patet in iis, qui ſe necant: ſic adjutorium ſufficiens, ſinè quo non poſſumus bene agere, non quo fit, ut benè agamus. Recolantur dicta *Tom.* 3. *in* 1. *p. Q.* 6. *De Scient. futur. Condit. Dub.* 8. §. 3. *num.* 16. 17. *&* 18.

VII. Sanctus Thomas non minùs, quàm S. Auguſtinus, agnovit hoc auxilium dans poſſe, ſed non agere, *Lect.* 2. *in cap.* 3. *ad Epheſ.* ubi exponens verba Pauli ibidem v. 7. *Cujus factus ſum miniſter ſecundùm donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundùm operationem virtutis ejus;* Dicit, duplex adjutorium datum fuiſſe Paulo: unum quidem, quo ei datum fuit *poſſe*, ſeu facultas exequendi; aliud, quo ei datum fuit *agere*, ſeu exequi: *Hujuſmodi autem* (inquit) *auxilium duplex fuit: unum quidem ipſa facultas exequendi; aliud ipſa operatio actualis. Facultatem autem dat Deus, infundendo virtutem, & gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum: ſed ipſam operationem confert, inquantùm operatur in nobis, interiùs movendo, & inſtigando ad bonum. Et ideo hoc accipiens Apoſtolus à Deo, dicit quantùm ad primum: Dico, quòd factus ſum miniſter, ſed certè non meis meritis, ſed ſecundùm donum gratiæ, quæ data eſt mihi; quâ ſcilicet idoneus efficior ad executionem divinorum myſteriorum &c. Quantùm autem ad ſecundum dicit, ſecundùm operationem, quam Deus efficit; inquantùm virtus ejus operatur in nobis velle, & perficere.* Igitur ex S. Thoma facultas operandi, ſeu poſſe agere, quod eſt à gratia, & quo homo fit potens, & aptus ad operandum, diſtinguitur ab eo, quo fit actu agens, quod eſt per motum, & inſtigationem.

VIII. Rationem diſtinctionis principii dantis poſſe à principio dante agere, etiam in ſpiritualibus, & ſupernaturalibus, ſumit ab eo, quod contingit in corporalibus. *Videmus autem* (inquit 1. 2. q. 109. a. 1.) *in corporalibus, quòd ad motum non ſolùm requiritur ipſa forma, quæ eſt principium motus, vel actionis; ſed etiam requiritur motio primi moventis.* Unde infert: *Sic igitur actio intellectus, & cujuſcumque entis creati dependet à Deo quantùm ad duo. Uno modo, inquantùm ab ipſo habet perfectionem, ſive formam, per quam agit. Alio modo, inquantùm ab ipſo movetur ad agendum.* Ergo ſimiliter in agente modo ſupernaturali requiritur forma, quæ ſit principium agendi, & motio primi agentis. Illa autem forma erit gratia ſufficiens; quia per eam fit potens agere in ordine ſupernaturali: & motio primi agentis erit gratia efficax, quia per eam fit actu agens.

§. II.

Ea, quæ obſtant, Refelluntur.

IX. Objicies primò, probando, omnem gratiam actualem eſſe efficacem, ſic. Omnis Dei motio eſt efficax: ſed omnis gratia actualis eſt Dei motio; ergo omnis gratia actualis eſt efficax. Maj. prob. Quod eſt à Dei voluntate, eſt ſemper efficax; quia ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 19. *a.* 6. neceſſe eſt, voluntatem Dei ſemper impleri; ergo &c.

X. Reſpondeo primò, negari poſſe, omnem gratiam ſufficientem eſſe motionem actualem: cùm, ut ex D. Th. vidimus, poſſit etiam eſſe per modum habitus dantis poſſe permanenter. Sed hoc omiſſo. Reſpondeo ſecundò, diſt. probationem maj. Eſt ſemper efficax, reſpectu effectus, ad quem proximè ordi-

ordinatur, & quem Deus abſoluta voluntate intendit, con. maj. Reſpectu effectus ulterioris, ad quem, vel ex ſe, vel ex Dei voluntate antecedente ordinatur, nego maj. Explico hoc. Gratia ſufficiens, quâ Deus movet hominem, puta, ad fidem amplectendam, duos reſpicit effectus. Unum, ad quem proximè ordinatur, & quem Deus abſoluta voluntate intendit; & hic eſt dare homini poſſe ad fidem: & hunc in primis effectum ſemper habet gratia ſufficiens, quòd per eam reddatur homo potens in actu primo credere: cui potentię ſemper conjunguntur actus, ut illuminationes, & excitationes intellectus ad conſiderandum, & proponendum ea, quæ fidei ſunt; & excitatio voluntatis ad concipiendum deſiderium, ſaltem imperfectum, & plam affectionem erga fidem: & circa hæc gratia ſemper eſt efficax. Si enim Deus interiori motione movet intellectum, eumque illuminat, & voluntatem excitat; omnino conſequens eſt, ut intellectus moveatur, & voluntas excitetur: ſicque, ut in intellectu ſurgant cogitationes, & in voluntate deſideria, ſaltem imperfecta, de fide. Alter poſtea eſt effectus, ad quem ejuſmodi excitationes ordinantur, nimirum, actu amplecti fidem, & credere: & reſpectu hujus gratia eſt tantùm ſufficiens, & non efficax; quia voluntate dandi gratiam ſufficientem hic effectus non intenditur à Deo voluntate abſoluta, & efficaci, ſed ſolum antecedente, inefficaci, & conditionatâ. Quæ doctrina in hac materiâ maximè attendenda eſt: tollit enim multas æquivocationes.

XI. Objicies ſecundò. Gratia, quam dicimus ſufficientem, ſi aliâ ulteriori gratiâ indiget ad actum ponendum, ſolo nomine erit ſufficiens: illud enim ad aliquem finem comparandum non eſt verè ſufficiens, præter quod, ad eum finem, aliquid aliud eſt neceſſarium. Sic oculus per ſe non eſt ſufficiens ad actu videndum, quia eget adjutorio lucis: ſicut nec fruſtulum panis eſt ſufficiens ad exſaturandum; quia, præter illud, alia ulterior quantitas panis requiritur.

XII. Reſpondeo, ut aliquid dicatur, & ſit vere ſufficiens, non requiri, ut per ſe, ac ſinè alio ſit ſufficiens in omni genere; ſed ſolùm in eo genere, in quo ponitur ſufficiens. Sic bonus ædificator eſt ſufficiens ad domum ædificandam in genere cauſæ efficientis; quamvis in genere cauſæ materialis ad actu ædificandum egeat lapidibus, calce &c. Sic farina cum aqua eſt ſufficiens ad panem inde conficiendum, in genere cauſæ materialis; quamvis in genere cauſæ efficientis neceſſarius ſit, qui panem conficiat. Et Pictor arte peritus ſufficiens eſt ad pingendum; quamvis ad actu pingendum indigeat pennicillo. Ita gratia ſufficiens ad fidem erit verè ſufficiens; quamvis ad actu credendum indigeat ulteriori gratia: quia in ſuo genere, & ad effectum, ad quem proximè datur, nimirum, ut hominem faciat aptum, & diſpoſitum ad credendum, ſeipsâ ſufficit: quòd autem ulterior gratia requiratur ad actu credendum, extra genus gratiæ ſufficientis eſt, & ad genus gratiæ efficacis pertinens. Aliàs ſequeretur, quòd nec homo juſtus eſſet verè ſufficiens, & potens meritoriè operari; quia ad actu meritoriè operandum indiget ulteriori gratia ſpeciali. Ad id, quod dicitur de luce, dico, quòd vel lux non requiritur ad complendam potentiam viſivam in ratione potentiæ, ſed ſolùm ad manifeſtandum objectum, & ad actu videndum, & ſic oculus ſanus eſt verè potens, ac ſufficiens, etſi in alio genere indigeat luce: & ſic exemplum facit pro nobis. Vel lux requiritur ad complendam potentiam viſivam: & ſic exemplum non eſt ad rem. Fruſtulum autem panis non eſt ſufficiens ad exſaturandum; quia, niſi adjungatur materia, non eſt verè potens. Unde exemplum debet poni hoc modo: ſicut magnus panis, etſi, ut actu exſaturet, indigeat, ut à comedente

Digitized by Google

ſumatur; adhuc tamen ſeipſo ſufficiens eſt ad exſaturandum: ita gratia fidei, etſi ad actu credendum indigeat gratia efficaci, erit tamen ſufficiens ad credendum.

XIII. Quòd ſi dicas. Quomodo gratia ſufficiens dat poſſe proximum, & expeditum, ſi non poteſt exire in actum, niſi mediante alio, nempe, gratia efficaci, quam homo non habet in ſua poteſtate?

XIV. Reſpondeo, optimè ſalvari, quòd gratia ſufficiens det poſſe proximum, & expeditum in ratione potentiæ: quia licèt, ut exeat in actum, requirat gratiam efficacem; hanc tamen requirit, non ut det, vel compleat potentiam, ſed ut potentiam conjungat cum actu. Neque hoc eſt novum: nam plus requiritur ad operari, quàm ad poſſe operari. Sic Pictor per artem eſt potens abſolutè pingere; nunquam tamen pinget ſine pennicillo: & homo per ſuas potentias operativas eſt potens operari; nunquam tamen operabitur, niſi Deus eas ad actum moveat. Eâdem ergo ratione, per gratiam ſufficientem, quæ habet rationem potentiæ, homo ſit potens converti, & benè operari; nunquam tamen convertetur, aut benè operabitur, niſi Deo, per gratiam efficacem, ipſum ad actum movente: quam eſtò in ſui poteſtate non habeat, de ea tamen ſibi adſuturâ in miſericordia Dei confidere debet; niſi per negligentiam, aut aliam ſuam culpam ipſe non obſtet.

XV. Hunc loquendi modum Tridentina Synodus nos docet; cum ait, nemini Juſto impoſſibilia eſſe divina mandata: *Nemo* (inquit Seſs. 6. cap. 11.) *temerariâ illâ, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti* (debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia*: ergo nec præceptum perſeverandi finaliter eſt homini juſtificato impoſſibile. Atqui eadem Synodus docet eâdem *Seſs. cap.* 13. & *Can.* 16. ſingulare donum perſeverantiæ, ad actu perſeverandum requiſitum, non omnibus Juſtis dari; & hoc non in hominis, ſed in ſolius Dei poteſtate eſſe; ergo jam Concilium ſupponit, eſſe in omnibus Juſtis potentiam ad actu perſeverandum, quamvis non omnibus adſit auxilium efficax, quod ad actu perſeverandum ex parte Dei requiritur.

Imò hoc ipſum fateri debent Mediſtæ. Nam & ipſi contendunt, omnes habere gratiam, quâ poſſint ſervare divina mandata, & perſeverare: cùm tamen dicant, gratiam congruam, ſeu gratiam in iis circumſtantiis, in quibus per ſcientiam mediam præviſi ſunt conſenſuri, & quæ ad actu obſervandum divina præcepta, & actu perſeverandum requiritur, non omnibus dari.

XVI. Objicies tertiò. Gratia ſufficiens dat ad ſummum parvam, & imperfectam voluntatem, & inchoatum deſiderium ſuperandi, puta, tentationes: ſed hoc non efficit, ut quis poſſit eas ſuperare; ergo &c. Min. probat. ex Auguſtino *lib. de Grat. & lib. arb. cap.* 17. dicente: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt; jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam.* Et addit, eum tantùm poſſe ſervare mandatum, qui magnam, & robuſtam voluntatem, quæ per ſolam gratiam efficacem datur, habuerit: *Poterit autem* (inquit) *cum magnam habuerit, & robuſtam.* Quod confirmat Petri exemplo, quem dicit erraſſe: cum per parvam illam, & invalidam voluntatem exiſtimavit, ſe poſſe pro Chriſto mori: *Et tamen* (inquit) *quamvis parva, & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino, animam meam pro te ponam: putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat.*

XVII. Qualis fuerit S. Auguſtini mens, circa gratiam ſufficientem, oſtenſum eſt §. præcedente. Nunc ergo reſpondeo, S. Auguſtinum citatum ſolùm velle, parvam, & imperfectam voluntatem non dare poſſe, quod nullo alio indigeat, ut cum actu conjungatur;

Digitized by Google

tur; non tamen velle, quòd nullum omnino det poſſe. Uno verbo: negat, gratiam ſufficientem per ſeipſam dare *poſſe*, potentiâ conſequente; non verò negat dare *poſſe*, potentiâ antecedente. Quòd ſi in aliquibus locis ſolam gratiam efficacem, *gratiam Chriſti* vocare videatur; hoc non eſt, quia putet, gratiam ſufficientem veram per Chriſtum gratiam non eſſe: ſed, vel quia inter gratias actuales gratia efficax, utpote dans actu agere, principem locum tenet; ideo eam *Gratiam Chriſti*, quaſi per antonomaſiam, nuncupat. Vel quia gratia efficax erat illa, de qua inter eumdem Auguſtinum, & Pelagianos, ac Semipelagianos præcipua erat controverſia. Quare l. de Gratia Chriſti c. 10. *Sed nos* (inquit) *eam gratiam volumus, iſte* (Pelagius) *aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo, non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur, & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne, quod bonum eſt, verùm & perſuadetur.*

XVIII. Objicies quartò, gratiam ſufficientem diſtinctam ab efficaci eſſe inutilem, imò noxiam, & pernicioſam. Inutilem, quia nullum habet, nec unquam habuit effectum. Noxiam, quia hominem facit magis reum, quàm ſi non adeſſet.

XIX. Sed hos, ac ſimiles Janſeniſtarum cavillos attulimus, & diſſolvimus *Tom. 3. in 1. p. Q. 4. de Divin. Volunt. & efficac. Dub. 2. §. 3. à num. 55. uſque ad 69.* quò Studioſum remitto. Modò dico, gratiam ſufficientem, etſi per ſeipſam non perducat hominem ad actum, puta, converſionis; excitat tamen, ut diximus, illuminationes in intellectu, & pia deſideria in voluntate, quæ ſunt diſpoſitiones ad actum converſionis. Quare ſicut inutiles non ſunt diſpoſitiones, licèt per ſeipſas non conjunganiur cum forma, imò nec ſemper actu conjungantur: ita nec gratia ſufficiens erit inutilis, quamvis per ſeipſam, nec ſemper cum forma, nempe, cum gratia efficaci, ad quam tendit, actu conjungatur.

Multò minùs erit noxia: ſed potiùs homo facit eam ſibi noxiam, ſi adjutus gratiâ ſufficiente, majori cupiditate peccet. At, cæteris paribus, minor eſt cupiditas in eo, qui adjutus gratia ſufficiente peccat; quàm in eo, qui eâdem deſtitutus peccat. Nam iſte nullo amore juſtitiæ tenetur: ille è contra eam imperfectè ſaltem deſiderat. Addo: quòd ſi hæc inſtantia valeret, dici etiam poſſet, legem eſſe noxiam, & pernicioſam; quia qui ſub lege peccat, gravius, quia majori cognitione, peccat; quod tamen nemo, etſi rigidus Janſeniſta, dixerit. Meritò igitur S. Inquiſit. Decreto 7. Decembris anni 1690. ſub Alexandro VIII. confixa fuit hæc propoſitio, ordine 6. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tâm utilis, quàm pernicioſa eſt; ſic ut meritò poſſimus petere: à Gratia ſufficiente libera nos Domine.*

XX. Concludo. Quòd ſi quæratur: Cur voluntas adjuta auxilio ſufficiente non exequitur bonum opus, ad quod per illud auxilium movetur, & per quod accepit potentiam illud exequendi? Reſpondendum eſt, id oriri ab ipſamet voluntate; quæ licèt bonum opus exequi poſſit, ipſum tamen plenâ, ac integrâ voluntate non vult executioni mandare — Si autem rurſùs quæratur: Quare non velit? Non eſt reſpondendum, id contingere, quia gratiâ efficaci careat. Sicut ſi quæratur: cur infirmus non ambulet? Non eſt dicendum, quia à Medico curatus non ſit. Sed planè reſpondendum eſt, voluntatem adjutam ſolâ gratiâ ſufficiente, ideo nolle bonum opus exequi, quia iniqua eſt: ideo autem eſt iniqua, quia res temporales magis, quàm ſpirituales amat, & amare vult.

Supereſſet hîc tractanda quæſtio hiſce temporibus celebris: An ſcilicet gratia ſufficiens detur omnibus, non ſolùm juſtis, ſed peccatoribus, obſtinatis, infidelibus, adultis, & etiam parvulis. Sed ab ea abſtineo, cum pro digni-

dignitate agitata fuerit *Tom. 3. in 1. p. Q. 2. de Volunt. Dei : An Chriſtus mortuus ſit pro omnibus*, *integro Dub. 3.* Quare illuc Studioſum mitto.

DUBIUM V.

Unde Gratia ſuam habeat Efficaciam.

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. QUæſtio hæc, quæ ſcholas implevit, à nobis tractata eſt tùm *Tomo 3. in 1. p. Q. 6. de Scientia fut. cond. Dub. 3.* ubi rejecta fuit ſcientia media. Tùm *Qu. 4. de Divin. Volunt. efficac. & cauſalit. Dub. 1. & 2.* ſub nomine divini decreti: ubi ſtatuimus, decreta Dei non eſſe ex ſe indifferentia, ſed efficacia ab intrinſeco, nec lædere arbitrii creati libertatem. Et hoc ex Scripturis, Patribus, præſertim S. Auguſtino, & Thoma, & tandem ex ratione. Tùm etiam *Tom. 1. in 1. 2. Qu. 2. de Voluntario libero Dub. 5.* ubi §. 2. oſtenſum eſt, non eſſe contra naturam, imò conforme, & conſentaneum naturæ voluntarii liberi creati, quòd, ut agat, phyſicè præmoveatur à Deo. Quapropter ne inutiliter eadem repetantur, ſobriè hìc ſub nomine Gratiæ quæſtio tractabitur.

II. Controverſia hæc inter Noſtrates, & Patres Societatis primò agitari in Belgio, & in Hiſpaniis cæpit: deinde Romam traducta fuit. Ejus ortum, & progreſſum deſcripſimus citato *Tomo 3. in 1. p. Qu. 6. de Scient. futur. Cond. Dub. 3. §. 1.*

Docebant ergo PP. Societatis, præeunte Molina, primò: gratiam efficacem nihil ex parte Dei, ſeu ex parte ſui includere, quod alia gratia, quæ inefficax, & ſufficiens dicitur, non includat. Unde gratiam in eodem homine eodem modo affecto, modò eſſe efficacem, modò inefficacem: efficacem, quòd voluntas humana ei conſentiat; inefficacem, quòd eadem pro arbitrio diſſentiat: itaut uſus gratiæ à libero arbitrio ſit, adjuto tamen concurſu ſimultaneo, qui ordinis ſit ſupernaturalis; qui tamen ab ipſa actione creatæ voluntatis ſit indiſtinctus.

Docebant ſecundò: Deum per gratiam prævenientem non movere phyſicè voluntatem creatam ad bonum operandum, ſed moraliter tantùm, hoc eſt, ad inſtar ſuadentis, & adhortantis: Deumque propterea non agere phyſicè in voluntate, ſed cum voluntate per gratiam cooperantem agere in effectum; ita ut ſubſtantia operis homini tribui debeat, etiam quoad ſpeciem virtutis, cujus eſt actus, puta, fidei &c. modus verò, nempe, ſupernaturalitas Deo attribuatur. Ea ferè ratione, quâ is, qui navem cum alio trahit, phyſicè non agit in ſocium; ſed tantùm in effectum ſocii, ſcilicet, navis tractionem, & quidem partialiter.

Docebant tertiò: Deum non magis determinare ad bonum uſum gratiæ prævenientis, urgente tentatione, quàm ad malum uſum. De quo videri poteſt Molina *in Concordia q. 14. diſput. 36.*

III. Verum, ut ab invidiæ ſuſpicione, quam in aliquorum animos ingeſſerat, hoc Syſtema liberarent; illud temperare conati ſunt, excogitando gratiam, quam vocant *congruam*. Ea autem gratiæ congruitas in eo poſita eſt, quòd Deus eam in illis circumſtantiis largiatur; in quibus per ſcientiam mediam prævidet, humanam voluntatem ei ſuum concurſum præbituram. Deus ergo, ſecundum Congruiſtas, ut gratiam, quæ effectum habeat, largiatur, attendit ad diſpoſitiones, ſeu ad affectus, in quibus futura eſt voluntas in his, aut illis occaſionibus. Dicunt enim, in œconomia gratiæ ſuæ Deum eodem modo ſe gerere, quo quis, dum à Rege quidquam obtinere proponit, expectat tempus, & circumſtantias, in quibus prævidet, Regem plerumque be-

nevo-

Digitized by Google

benevolo, ac liberali eſſe animo. Et ſicut ſapiens, ac prudens Medicus, ut applicet remedium, attendit circumſtantias loci, temporis, ſtatus, & diſpoſitionis, in quibus eſt æger: ſic etiam Deus in conferendâ ſuâ medicinali gratiâ, attendit circumſtantias loci, temporis, ac naturalis diſpoſitionis; in quibus prævidet, ſuam cœleſtem medicinam habituram eſſe effectum, ad quem ſpiritualiter ægroto confertur.

IV. Hinc ajunt, hominem, qui benè operatur, ab alio non benè operante, ſe non diſcernere. Qui enim, puta, credit, ab ipſo Deo diſcernitur, qui dedit ei gratiam, poſititque eum in illis circumſtantiis, in quibus præviderat, ſic affectam fore ejus voluntatem, ut gratiæ conſentiret: cùm è contra bonum non operanti eam dederit in circumſtantiis, in quibus præviderat, eum non conſenſurum. Hinc etiam ajunt, homines dum Deum orant, non petere à Deo, ut illis det gratiam; hanc enim, inſtante præcepto, culque adeſſe volunt: ſed, ut det eam in illis circumſtantis, in quibus ab æterno prævidit, conſecuturam eſſe effectum, ſi eam dederit. Tandem prædeſtinationis gratuitæ ad gloriam executionem repeti volunt ex iis circumſtantiis, in quibus ab æterno prævidit, voluntatem gratiæ ſuæ conſenſum finaliter præbituram. Ex quibus omnibus patet, in ſententia Patrum Societatis, gratiam, ut à Deo eſt, & ex ſua natura, eſſe indifferentem; & efficaciam habere ſolùm ab extrinſeco, nimirùm ab eventu, & à circumſtantiis.

V. Lutherus autem ita gratiam ſuâ naturâ efficacem poſuit, ut liberum arbitrium hominis prorſus extinguat; imò ſub ea nihil agat, ſed tanquam inanime inſtrumentum, ab ea agatur. Cui adhæſit ex parte Calvinus, qui ait, gratiam ſuâ efficaciâ ita agere in voluntatem, ſicut ſeſſor agit in equum, inducens neceſſitatem abſque ulla indifferentiâ. A' Calvino parùm, vel nihil in hoc recedunt Bajus, & Janſenius, qui ſub gratiæ efficacia fatentur conſiſtere ſolam libertatem à coactione, non à neceſſitate, contra hos egimus *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Q.* 2. *de Volunt. lib. Dub.* 1. & 2.

VI. At veri SS. Auguſtini, & Thomæ diſcipuli ita ſtatuunt gratiam ab intrinſeco efficacem ut ſuâ efficaciâ non deſtruat, ſed faciat potiùs, & foveat humanam libertatem.

§. I I.

Gratiam non eſſe Efficacem ſolùm ab Extrinſeco.

VII. Dico primò. Gratia non eſt efficax præcisè ab eventu, ſeu à conſenſu voluntatis creatæ. Probationes hujus Aſſertionis repetet Studioſus ex iis, quæ docuimus *Tom.* 3. *in* 1. *p. Qu.* 6. *de Scient. fut. cond. Dubiis* 4. 5. 6. & 7. ubi fundamenta pro ea aſſerenda jecimus ex Scriptura, Auguſtino, Thoma, rationibus, inconvenientibus, quæ ex oppoſita ſententia ſequi videntur; & ſimul ejuſdem fundamenta non ſubſiſtere, demonſtravimus.

VIII. Nunc ſolùm aliqua inconvenientia, quæ ex oppoſita opinione videntur ſequi, oculis Lectoris iterum ſubjiciemus. Et quidem primò. Videtur ſequi, inutiles eſſe orationes Eccleſiæ. Quid enim peteret? Gratiam prævenientem? At quid peteret, quod certò ſcit, ſibi ſemper adeſſe, etiam cum gravis urget tentatio? Peteret concurſum ſimultaneum? At hunc etiam certò ſcit, ſibi ſemper adeſſe; eoque pro arbitrio uti poſſe, aut non uti, ſicut pro arbitrio utitur luce ad videndum, vel non utitur? Peteret conſenſum? At quid peteret, quod ſciret, in noſtra poſitum poteſtate, ſi volumus: *Nam quid ſtultius* (ait Auguſt. l. de Nat. & grat. c. 18.) *quàm orare, ut facias, quod in poteſtate habeas?* Poſſet ergo petenti reſpondere Deus. Quid à me petis? Gratiam præ-

prævenientem, & concurſum meum ſimultaneum ſemper habes: conſenſum verò, non in mea, ſed in tui ſolius poſitum habes poteſtate.

IX. Sequi videtur ſecundò: nec debere hominem pro obtenta victoriâ tentationis gratias agere Deo. Eſtò enim non ſinè gratiâ præveniente, & concomitante victoriam reportaverit; vicit tamen, non quia habuit gratiam, hanc enim habuit ille etiam, qui ſuccumbuit: ſed quia ſuo arbitrio benè uſus eſt gratiâ, quâ poterat malè uti. Sicut victoria non ei tribuitur, qui dedit gladium, ſed ei, qui benè uſus eſt gladio, & hoſtem occidit: *Prorſus enim* (ait Aug. Epiſt. 107. num. 217. ad Vitalem c. 2.) *non gratias Deo agimus, ſed nos agere fingimus: ſi unde illi gratias agimus, ipſum facere non putamus.*

X. Sequi videtur tertiò: Deo tribui, quod minus eſt, homini vero, quod majus eſt. Id enim, quod in bono opere principem locum tenet, eſt velle bonum; quod verò minus præcipuum eſt, eſt poſſe illud velle: atqui ſententia, contra quam agimus, dat Deo ſolùm poſſe velle bonum, homini verò dat velle, & operari bonum — Nec dicas, velle bonum etiam tribui Deo, qui dedit nobis voluntatem, & vires, quibus poſſemus velle bonum — Nam contra. Vires, ut à Deo ſunt, indifferentes ſunt ad volendum bonum, & malum: quòd autem velint, & operentur potiùs bonum, quàm malum, habent à nobis; ergo habent à Deo, quod minus bonum eſt, à nobis autem, quod majus bonum eſt. Et inſuper: ſi, quia dedit Deus poſſe velle bonum, ſatis eſt, ut bonum velle Deo tribuatur; tribui quoque ei debebit ipſum velle malum: quia dedit voluntatem, quæ etiam poteſt operari malum, illamque concurſu ſimultaneo adjuvat, etiam dum operatur malum. At quia reſpondere poſſunt, Deum non ſolùm dare voluntatem, & poſſe bonum velle; ſed etiam eam ponere in circumſtantiis, in quibus operatura eſt bonum, extra quas bonum non operaretur; & ideo velle bonum ſpecialiter illi attribui: ideo

XI. Dico ſecundò. Efficacia gratiæ non debet repeti ex attemperatione gratiæ cum humana voluntate, quæ ſubſit ſcientiæ mediæ. Probata manet ex dictis *Tom. 3. in 1. p. Q. 6. de Scient. condit. Dub. 4. §. 1. nu. 9. & 10.* Stando tamen in ſuperiùs dictis, dico, hanc modificationem, ſeu attemperationem gratiæ non evadere inconvenientia allata. Nam ſi Deus, ut ſuam gratiam reddat efficacem, attendit ad mores, genium, affectus, & diſpoſitiones naturales hominis, cui gratiam confert;

XII. Sequitur primò: homini, in quo gratia eſt efficax, gratiæ efficaciam tribuere, ac eſſe primam cauſam diſcretionis ſui à non reddente eam efficacem, nec operante bonum. Prima enim cauſa, quâ gratiæ conſentit, & ab alio diſcernitur, eſt, quia bonæ indolis eſt, benè educatus, benè naturaliter affectus. Se habet enim, ſicut ſe habet ægrotus, cui à perito Medico pharmacum attemperatum ſuæ complexioni, & in debitis circumſtantiis porrigitur: at ratio, cur illi in circumſtantiis pharmacum ſic attemperatum proſit, petitur ab ægroti complexione, quâ ſe diſcernit ab alio ægroto diverſæ complexionis, cui ſi idem pharmacum daretur, maximè obeſſet; ergo pariter ratio, cur gratia congrua proſit, ultimò refunditur in indolem bonam, genium, & naturalem complexionem hominis, cui confertur, & per hæc ſe diſcernit ab eo, cui aliter affecto, ſi eadem gratia daretur, efficax non eſſet, quia ei non conſentiret.

XIII. Sequitur ſecundò: orationes Fidelium fore inutiles. Quid enim peterent? Ut Deus daret illis gratiam efficacem? At hoc ex eorum bona indole, & genio gratia habet, non à Deo. Quid etiam pro ea obtenta Deo gratias agerent, ſi hoc non à Deo eſſet, ſed ex eorum bonâ indole? —

At

At inquies, orarent Deum, ut daret gratiam attemperatam, & in illis circumſtantiis, in quibus prævidit, eam fore efficacem; & pro ea ſic obtentâ gratias agerent. — At eſtò. Nimirum, oraret Fidelis Deum, ut daret gratiam ſibi congruam, & pro ea obtentâ gratias ageret; eo modo, quo quis rogaret amicum, ut ſibi daret enſem congruum, & in circumſtantia, quâ hoſtem certò vinceret: at ſi illo enſe hoſtem vincat: cui tribuenda eſt victoria? Illi, qui enſem dedit, quem ſi dediſſet alteri, ſuccubuiſſet; an ſibi, ejuſque arti in bene utendo gladio? Ita dicas de eo, qui gratiâ congruâ benè utitur.

XIV. Deinde ponamus hominem in extremo vitæ periculo gravi tentatione vexatum: iſte quid tunc à Deo petet? Gratiam in genere? At iſtam Deum omnibus dare, quoties inſtat præceptum, Adverſarii concedunt. Gratiam congruam? Nequaquam. Aut enim naturalis diſpoſitio, in qua verſatur, eſt attemperata gratiæ; aut non eſt attemperata. Si primum: non oportet, ut oret, ſibi dari gratiam congruam; quamcumque enim Deus conceſſerit, erit congrua. Si ſecundum: gratia, quæ à Deo dabitur, non erit congrua; ac proinde fruſtra in eo articulo poſitus gratiam congruam poſtulabit. Gratiam certè congruam non poſtulat Eccleſia; cum in ſuis precibus à Deo petit, ut det bonum conſenſum; & ut ad ſe rebelles compellat ire voluntates. Hinc

XV. Probo directè Aſſertionem. Supponit adverſa opinio, Deum in ſuæ gratiæ diſpenſatione attendere ad mores, genium, affectus diſpoſitionem naturalem hominis, cui gratiam confert: hoc autem eſſe falſum, evinco. Primò: quia Deus gratiam ſuam largitur ſæpius in iis circumſtantiis, in quibus illi, quibus eam confert, interiùs, & exteriùs maximè ſunt à Deo averſi, ut contigit in Paulo; de quo Auguſtinus *lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 2.* hæc habet: *Averſus quippe à fide, quam vaſtabat, eique vehementer averſus, repentè eſt ad illam gratiâ potentiore converſus, convertente illo, cui hoc ipſum facturo per Prophetam dictum eſt:* Tu convertens vivificabis nos; *ut non ſolùm ex nolente fieret volens credere: verùm etiam ex perſecutore, perſecutionem in ejus fidei, quam per ſequebatur, defenſione pateretur.* Et ſanè quid congruum ſuſcipiendæ fidei invenit gratia Chriſti in Paulo tunc; cùm *ſpirans minarum, & cadis in diſcipulos Domini*, acceptis à Principe Sacerdotum litteris, ibat Damaſcum, ut, *ſi quos inveniſſet hujus via viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jeruſalem?* (Actorum 9. verſ. primo, & ſecundo.)

XVI. Secundò: congruitatem, & circumſtantias ad ſuſcipiendam gratiam Deum ſuâ gratiâ facere, non ſupponere, docet idem Auguſt. *Homil. 23. inter quinquaginta*, his verbis: *Adulter non fuiſti in illa vitâ tuâ præteritâ, plenâ ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum, malumque diſcernens, nondum credens in eum, qui te neſcientem regebat. Hoc tibi dicit Deus. Tunc regebam te mihi, ſervabam te mihi. Ut, aut adulterium committeres, ſuaſor defuit; ut ſuaſor deeſſet, ego feci. Locus, & tempus defuit: ut hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non conſentires, ego feci. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, & quod non admiſiſti. Mihi debet iſte, quod factum eſt, & dimiſſum vidiſti: mihi debes & tu, quòd non admiſiſti. Nullum eſt enim peccatum, quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit Rector, à quo factus eſt homo.* Quibus diſpoſitiones, & circumſtantias à peccato retrahentes Deum facere, non ſupponere, ac expectare, ut ſuum effectum producat, docet Auguſtinus.

XVII. Tertiò: Deum facere, non expectare bonas circumſtantias, docet Sanctus Proſper Carmine de Ingratis cap. 16.

At verò omnipotens hominem cum gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus: cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit; non moribus illi
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Cui concordat Concilium Arauſicanum II. quod *Can.* 4. ait: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, reſiſtit ipſi Spiritui Sancto.* Expectaret autem voluntatem noſtram Deus, ſi, ut ſuam gratiam redderet efficacem, attenderet ad naturalem noſtram diſpoſitionem: ex quo etiam fieret, ut gratiæ efficacia, & effectus initium ſumeret à nobis; quod in Semipelagianis Eccleſia Catholica ſemper reprehendit. Fieret quoque, ut Deus non poſſet hominem ſuâ gratiâ ad ſe liberè convertere, quando, ubi, & quomodo ſibi placuerit, contra illud celebre Auguſtini dictum in Enchirid. c. 97. *Quis porrò tàm impiè deſipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere?*

XVIII. In favorem gratiæ congruæ objici ſolent quædam S. Auguſtini loca, ex *l. 1. ad Simplicianum q. 2.* ubi inter multa dicit: *Nullius Deus fruſtra miſeretur; cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.*

XIX. Sed ad hoc reſpondimus citato *Tomo 3. in 1. p. Qu. 6. de Scient. fut. condit. Dub. 5. §. 3. num. 32.* S. Doctorem ibi loqui de congruitate, non præſuppoſitâ, ſed factâ per gratiam. Videantur ibi dicta. Aliter etiam reſponderi poteſt, S. Auguſtinum non loqui de vocatione interna, quæ per internam inſpirationem fit; ſed de vocatione externa, per ſigna, quæ ſunt motiva credibilitatis. Unde ibidem ea enumerans, dicit: nonnullos aliquibus tantùm verbis auditis in Chriſtum credidiſſe, ut Nathanaelem: aliquos viſis miraculis, ut Diſcipulos, qui viſo miraculo in Nuptiis Canæ in Chriſtum crediderunt: alios è contra, nec viſis miraculis, nec mortuis ſuſcitatis credidiſſe: viſis cicatricibus in Chriſti Corpore unum credidiſſe ex diſcipulis: & tandem multos, qui à Chriſti miraculis nihil permoti fuerunt, miraculis per diſcipulos patratis ad fidem adductos fuiſſe. Certum autem eſt, quòd nec verba, nec miracula, nec mortuorum ſuſcitatio, nec cicatrices, aliaque ſigna, quæ tanquam credibilitatis motiva, non aliud ſunt, quàm vocatio tantum externa, quâ per ſigna exteriora vocare exteriùs ſolet, ſecundùm quòd ſcit, unumquemque eſſe affectum: quæ licèt ſint veluti ſemen, cui in iis, quibus ſibi placet, Deus poſtea incrementum confert per interioris gratiæ ſubminiſtrationem; ipſamet tamen gratia non ſunt, per quam *ſit, ut ſit homo bonæ voluntatis, cùm prius fuerit voluntatis malæ*, ut ait Auguſtinus *lib. de Grat. & lib. arb. c. 15.* Reliqua, quæ pro gratia congrua afferri ſolent, videri poſſunt ſoluta citatis *Tomo* 3. *Q.* 6. *Dub.* 4. 5. 6. & 7.

XX. Dico tertiò. Gratia dicitur efficax per ſe, & ab intrinſeco. Aſſertionem hanc ex Scripturis, Auguſtino, S. Thoma, & ratione abundè ſtatuimus ſæpiùs citato *Tomo 3. Qu. 4. de Divin. Volunt. cauſal. & effic. Dub. 1.* integro; eamque optimè cum libertate creata cohærere oſtendimus, maximè ex D. Thoma *Quæſt. citata Dub. 2.* Quibus (ſolùm mutato nomine decreti efficacis in nomen gratiæ efficacis) omnia haberi poſſunt, quæ ad eam ſtatuendam, & ab impugnationibus vindicandam ſufficere poſſunt.

XXI. Hoc facilè Candidatus meus aſſequetur, ſi præ oculis ſemper habuerit, liberum arbitrium hominis in hoc naturæ corruptæ ſtatu eſſe attenuatum ad bonum, & curvatum ad ſenſibilia: & quamvis per gratiam juſtificantem ſanetur quantùm ad mentem; eget tamen gratiâ actuali, quâ efficaciter ſanetur quantùm ad carnem rebel-

rebellem; quâ erigatur ad bonum rationis, & offendicula carnis tollantur. Sicut ergo, qui hominem juvaret ad motum, faciendo, ut ſe moveret, tollendo, vel detinendo omnia impedientia motum, non læderet ejus libertatem ad motum, ſed juvaret, & faceret: ita gratia efficax, quæ hoc idem facit, non lædit, ſed facit libertatem. Audiatur S. Auguſtinus lib. de Spirit. & litt. cap. 30. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Abſit: ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, ſed ſtatuitur. Neque enim lex impletur, niſi libero arbitrio: ſed per legem cognitio peccati; per fidem, impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati; per animæ ſanitatem libertas arbitrii &c.*

XXII. Nec dicas, S. Auguſt. *lib. 3. Hypognoſticon cap.* 11. dicere, quòd *gratia comparatur ad voluntatem, ſive ad liberum arbitrium, ſicut ſeſſor ad equum.* Quo exemplo abutitur Calvinus, ut oſtendat voluntatem à gratia neceſſitari.

Nam primò dico, libros illos non eſſe Auguſtini, etſi ejus nomen præferant; cùm nec Auguſtini phraſim habeant, nec à Poſſidio, Beda, aut ullo ex Veteribus Auguſtino tribuantur. — Adhuc tamen dico, quòd gratia ibi comparatur ad liberum arbitrium, ſicut ſeſſor ad equum; ut oſtendatur, quòd ſicut ſeſſor ad equum ſe habet ut movens, equus ut motus, equus ſequitur ductum ſeſſoris, non ſeſſor ductum equi: ita gratia movet liberum arbitrium, & hoc ſequitur motum, & ductum gratiæ: *Pediſſequâ, non praviâ voluntate*, ut ait Auguſt. *Epiſt.* 105. modò 186. *c.* 3. Cæterum ſeſſor movet equum neceſſariò, quia equus incapax eſt libertatis. Deus per gratiam movet hominem liberè, quia libertatis capax eſt: agit enim in unoquoque ſecundùm ejus proprietatem, ut ex D. Thoma ſæpius repetitum eſt. Videri etiam poſſunt ea, quæ dicta ſunt *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Qu.* 2. *de Volunt. libero. Dub.* 5. ubi ſtatuimus, non eſſe contra naturam, imò conforme naturæ voluntarii liberi, ut phyſicè, & efficaciter moveatur à Deo. Quod ſupereſt explicandum, eſt

§. III.

Examinatur Nova quædam opinio de Æquilibrio Virium ad Libertatem Indifferentiæ neceſſario.

XXIII. PRodiit hæc doctrina ex libro quodam Gallico, quæ ad duas propoſitiones à ſuis Auctoribus reducitur. Prima eſt: *Ut liberè fiat ſupernaturalis actio, dum tentatio violenta opponitur; neceſſe eſt, habere potentiam completam reſiſtendi, vimque æqualem, aut proportionatam violentiæ tentationis.* Altera eſt: *Ut quis ſit liber à peccato, neceſſe eſt, habere potentiam completam gratiam rejiciendi, viresque æquales, aut proportionatas virtuti attractivæ gratiæ.* Quas propoſitiones clariùs explicatas invenio in *Reſponſ. ad notos* 12. *Art.* Pariſienſes, editis Mechliniæ anno 1726. ad *art.* 4. ubi ſic dicitur: *Diſtinguimus Catholici inter propenſionem, ſeu facilitatem, & inter vires. Vires ſignificant poteſtatem ſimpliciter ſufficientem ad bonum, & malum. Hæ poteſtates debent eſſe æquales, ideſt, tàm debet voluntas habere poteſtatem ſimpliciter ſufficientem reſiſtendi gratiæ, quàm habere poteſtatem ſimpliciter ſufficientem reſiſtendi tentationi. Hoc ſcilicet eſt, quod Apoſtolus docet* 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. *Si nunquam tentatio concupiſcentiæ eſt ſupra id, quod poſſumus; ergo adeſt ſemper poteſtas par reſiſtendi. Atque hoc eſt, quod Catholici appellant æquilibrium virium, ideſt, vires utrinque reſiſtendo pares: vel aliis terminis, poteſtatem phyſicam ad utrumque ſimpliciter ſufficientem.* Itaque ſecundùm hoc æquilibrium, ut ſit poteſtas com-

pleta, & ſufficiens reſiſtendi tentationi gravi ut decem, debent eſſe vires gratiæ victricis ut decem: & ut ſit poteſtas reſiſtendi gratiæ victrici ut decem, debent vires concupiſcentiæ augeri ut decem. Et, quod mirum eſt, de hac doctrinâ ejus Auctores adeo inſtantur; ut exiſtiment, nullum verè Catholicum eam reprobare poſſe, ſed omnem ad eam amplectendam teneri; nec aliter Apoſtoli dictum ſuperiùs allatum, aut doctrinam Tridentini, *Seſs.* 6. *Can.* 4. definientis: ***Liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum....*** *poſſe diſſentire, ſi velit*, aut Apoſtolicæ Sedis Definitiones, abſque errore explicari poſſe.

XXIV. Dico. Hoc æquilibrium virium, quo quis poſſit reſiſtere, ſive tentationi ingruenti, ſive gratiæ attrahenti, quod fingitur neceſſarium ad libertatem, non eſt admittendum.

Probo primò. Hujuſmodi æquilibrium, quod aſſeritur neceſſarium ad libertatem, prorſus fuit incognitum: vel ſi cognitum, nunquam adhibitum à Conciliis, & Patribus, qui pro libertate ſtatuenda dimicarunt. Nec Auguſtinus ipſe, cùm à Maſſilienſibus (teſte Proſpero, & Hilario in ſuis litteris ad eumdem datis) ejus doctrina, tanquam everſiva libertatis traduceretur; in libris de Prædeſt. SS. & de bono perſeverantiæ, quos edidit in ſui defenſionem, nullam hujus æquilibrii mentionem fecit. Imo in gratiæ defenſione perſiſtens, l. de Prædeſt. SS. c. 6. *Alii* (inquit) *credunt, alii contradicunt: ſed cum aliis præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordia ejus, quid de Judicio.* Quaſi diceret: Quòd aliqui credant, alii contradicant, non ex eorum voluntate, quæ in æquilibrio virium poſita ſe determinat ad credendum, vel contradicendum, procedit: ſed ex miſericordia Dei, quâ aliquibus præparavit voluntatem ad credendum, aliis ex judicio non præparavit. Alioquin victoria tentationis, ſi æquales pro utraque parte ſtarent vires, non ex vi gratiæ, ſed ex noſtra voluntate penderet; quia hæc, non gratia, lancem utrimque parem in unam potiùs partem inclinaret, quàm aliam. Quemadmodum ſi poſita lanx cum æquali utrimque pondere, vel nunquam in unam potiùs partem inclinaret, ſi utrimque idem pondus ſemper maneret: vel ſi ad unam potiùs partem inclinaret, hoc ab eo eſſet, qui pondus ex ea parte addidiſſet. Vel ergo, ſtante in voluntate æquilibrio virium, nihil ei additur, quo magis in unam partem ponderet, quàm in aliam; & ſic, quemadmodum lanx, manebit ſuſpenſa: aut aliquid additur, quo determinatè liberè propendat: hoc autem, vel additur à Deo per gratiam victricem; vel ab ipſamet voluntate creatâ ſuâ determinatione. Si à Deo determinante, & inclinante lancem liberi arbitrii, & adhuc liberè: quid prodeſt libertati hoc æquilibrium? Si à determinatione voluntatis creatæ; ergo iſti, non Deo tribuetur victoria: quia iſta erit, quæ pugnavit, & vires concupiſcentiæ rationi ſubegit. Sed hoc negat Auguſtinus *l.* 1. *Quæſt. ad Simplicianum c.* 1. dicens: *Spiritus Dei eſt, qui pugnat in te adversùs te, & adversùs illud, quod eſt in te*, imò eſt contra Paulum 1. Cor. 15. v. 57. qui ait: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

XXV. Noverat tamen hujuſmodi æquilibrium S. Auguſtinus, ſed illud noverat, tanquam à Pelagio aſſertum. Unde *Ep.* 186. aliàs 106. *ad Paulinum c.* 10. ſcribit: *Aliquando enim ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æquâ lance perpendit; ut quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere, definiat Pelagius. Quod ſi ita eſt: nullus locus adjutorio gratiæ reſervatur, ſinè quâ nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere.* Ecce æquilibrium à Recentioribus excitatum; ſed ecce quoque

que

que inconveniens, quod nos contra ipſum adducimus. Quod abſurdum eſſe, Auguſtinus ipſe judicavit *l.* 3. *Oper. imperfect. contra Julian. c.* 117. his verbis: *Cur enim tu adminicula gratiæ ſupponis bonæ voluntati; cùm voluntas mala nullo innitatur adminiculo, ut mala ſit, & mala eſſe perſiſtat? An hic libra tua, quam conaris ex utraque parte, per æqualia momenta, ſuſpendere, ut voluntas quantum eſſet ad malum, tantum etiam ſit ad bonum libera, urgendo in unam partem, te indicat delirantem?* Vel ergo iſti æquilibrii Renovatores, ut homo graviter tentatus actu, & de facto tentationem vincat, aliquod novum gratiæ pondus requirunt; vel non? Si requirunt; tollitur æquilibrium: & cùm juxta illos non ſtet libertas ſine æquilibrio, tollitur etiam libertas. Si verò non requirunt; ergo tantum eſt voluntas ad bonum, quantum eſt ad malum, quod reprobat Auguſtinus.

XXVI. Probo ſecundò, & confirmo dicta, oſtendendo, quòd ſicut Pelagius volebat æquilibrium, quia peccatum originale negabat: ita iſti illud volendo, videntur eſſe peccati originalis obliti. Si enim quantò magis creſcit tentatio, tantò majores debet Deus dare vires voluntati, ut ſalvetur æquilibrium, & libertas; quas ſi non daret, voluntas creata non liberè, ſed neceſſariò tentationi ſuccumberet, & proinde non peccaret: ubi eſſet imbecillitas carnis ſauciatæ per originale peccatum? Sit igitur tentatio ut decem: non ſuccumbet, quia habebit vires, ut decem. Sit ut centum: reſiſtet, quia æqualibus ſanctis deſideriis à Deo munietur; ita ut ſtare, vel non ſtarè in ejus plena libertate, nullo ſuperaddito ulteriori adjutorio ad ſtandum, poſitum ſit. Quid felicius, quàm quòd in hoc conflictu divina miſericordia, contra tentationem, omnibus æquale præſidium tribuat: quod ſi non daret, homo tentationi ſuccumbens non peccaret; & quo dato, alio adjutorio non egeat, ut ſtet, niſi ut velit ſtare? Quid ergo tentati oramus Deum, ut nos teneat, ne cadamus; ſi totum dat, imò dare debet, unde ſtare poſſimus: nec ad ſtandum nil aliud à Deo expectandum eſt, ſed unicè à nobis, nempe, noſtrum velle? Quid amplius haberemus, ſi Adam non peccaſſet; quàm æquales vires ad ſtandum, & ſtare, vel non ſtare in noſtra poſitum voluntate?

XXVII. Hoc certè non probavit Auguſtinus, qui in *lib. de Corrept. & gratia cap.* 12. ubi cùm diſtinxiſſet duplex adjutorium; unum dans poſſe perſeverare; quod vocat adjutorium *ſinè quo:* aliud dans actu perſeverare, quod vocat adjutorium *quo*, dicit, Adamum ideo in innocentia non perſeveraſſe, quia illi adfuit quidem adjutorium, *ſine quo* perſeverare non poſſet, ſed illi defuit adjutorium, *quo* perſeverans fieret. Felicior ergo eſſet homo in ſtatu naturæ corruptæ, qui per æquilibrium virium, correſpondens adjutorio *ſine quo* (quia ſine illo non poſſet) nedum perſeverare poſſet in bono; ſed abſque ullo ulteriori adjutorio, *quo* etiam perſeverare vellet, & actu perſeveraret. Quod tamen Auguſtinus citato loco negat. Quidquid enim ſit, an homo innocens hoc duplici adjutorio indiguerit (de quo contentio eſt alibi à nobis tractata) eo tamen indigere homines in ſtatu naturæ corruptæ, conſtans eſt Auguſtini doctrina. Poſtquam enim de primo homine locutus fuit, ſubdit: *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm, ut ſinè illo dono perſeverantes eſſe non poſſint; verùm etiam, ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Non ſolùm enim dixit:* Sinè me nihil poteſtis facere: *verùm etiam dixit:* Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. *Quibus verbis eis non ſolùm juſtitiam,*

verùm

Digitized by Google

verùm etiam in illa perſeverantiam ſe dediſſe monſtravit. Diſſentiunt ergo ab Auguſtino æquilibrii Aſſertores, dum ajunt: homini lapſo præter æquilibrium virium, nullum aliud adjutorium à Deo eſſe neceſſarium, quo perſeverare velit, & perſeverans fiat; aliàs non eſſet ampliùs liber.

XXVIII. Tandem difficile captu eſt, quòd Deus æqualibus ſuæ gratiæ donis cumulet peccatores obcæcatos, induratos, Barbaros, Atheos, Hebræos, Idololatras, Turcas, alioſque ſui nominis hoſtes, quibus cumulat amicus ſuos fideles, Juſtos, Sanctos: quòd Deus, de quo dicitur, quòd ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, eadem ſpiritualia dona largiatur ſuperbis, ac humilibus. Quod tamen neceſſarium eſſet, ut æquilibrium ſalvaretur, & conſequenter libertas: aliàs graviſſimis peccatoribus peccata non imputarentur, nec eis eſſent peccata, ſi tantam non haberent gratiam, quantam habent malitiam.

XXIX. Nunc reſpondendum eſt teſtimonio Pauli 1. *Cor.* 10. *v.* 13. Cui tota doctrina æquilibrii innititur, nempe: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur, vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

XXX. Reſpondeo, hinc non probari, cum tentamur, teneri Deum, ut fidelis ſit, in altera lancis parte ponere vires, quæ actu æquales ſint violentiæ tentationis. Hoc enim ubi Deus promiſit? Sed ſolùm cum tentamur, nobis ad Deum confugientibus, per gratiam à Deo paratam, & oblatam vires adfuturas, quâ, & poſſimus reſiſtere, & actu reſiſtamus: omnia enim poſſumus in eo, qui nos confortat per gratiam, ſi humiliter petamus. Ut enim docet Auguſtinus l. de Nat. & grat. c. 43. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet. ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis* (quibus Trident. Seſs. 6. c. 11. addit) *& adjuvat ut poſſis*. Quare licèt tentatio ſuperet aliquando poteſtatem actualem; auxilium tamen Dei, & gratia ſemper adeſt: & ideo dicit Paulus: *Et faciet* (Deus) *cum tentatione proventum*. Hoc eſt: faciet, ut tentatio, quæ obeſſe debuerat, homini tentato, ac eam vincenti proficiat ad meritum; quod certè in opinione æquilibrii non eſſet verum. Si enim, poſito æquilibrio, non requireretur ulterior gratia ad actu reſiſtendum; non Deus faceret ex tentatione proventum, ſed homo ſuâ liberâ voluntate.

XXXI. Quòd verò ad ſtatuendam libertatem non requirantur in concupiſcentia vires æquales, quibus in ſenſu compoſito reſiſtere poſſit gratiæ moventi, & excitanti; quæ eſt altera æquilibrii pars, quam ejus Patroni deducere conantur ex Tridentino. Dico. Quòd ſi ſermo ſit de gratia merè excitante, & vocante, quæ eſt gratia ſufficiens; poteſt etiam in ſenſu compoſito ei reſiſtere, ac diſſentire, ſi velit. Sed quare velit diſſentire, hoc eſt, quia voluntas ejus non præparatur à Domino, ut actu velit: ſeu quia illa excitatio, & vocatio eſt adjutorium *ſine quo*, non verò *quo*. Si verò ſermo ſit de gratia etiam adjuvante, & faciente, ut velint, quæ eſt gratia efficax; ſic poteſt quidem diſſentire, ſi velit. ſed nunquam de facto volet, quia voluntas ejus erit præparata, ut velit. Et, quod idem eſt, poterit diſſentire in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito; conjungendo diſſenſum actualem cum gratia ſic movente, & vocante. Videri poſſunt ea, quæ pro explicatione hujus Canonis Tridentini diximus *Tom.* 3. *in* 1. *p. Qu.* 4. *de Divin. Volunt. cauſal. & efficacia: Dub.* 2. §. 2. *à nu* 10. *uſque ad* 14. Duplicem hanc vocationis gratiam diſtinxit S. Auguſtinus *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 16. his verbis: *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, ut eos faciat membra Prædeſtinati unici Filii ſui, non eâ vocatione, quâ vocati ſunt & qui noluerunt venire ad nuptias: illâ quippe vocatione & Judæi vocati ſunt, quibus*

Chri-

Chriſtus Crucifixus ſcandalum eſt ; & Gentes , quibus Crucifixus , ſtultitia eſt . Sed eâ vocatione prædeſtinatos vocat , quam diſtinxit Apoſtolus , dicens , ipſis vocatis Judæis , & Græcis .... ſic enim ait : Ipſis autem vocatis , *ut eos oſtenderet non vocatos : ſciens eſſe quamdam certam vocationem eorum , qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt , quos antè præſcivit , & prædeſtinavit conformes imaginis Filii ſui . Quam vocationem ſignificans , ait :* Non ex operibus , ſed ex vocante dictum eſt ei , quia major ſerviet minori . *Nunquid dixit :* Non ex operibus , ſed ex credente ? *Prorſus etiam hoc abſtulit homini , ut totum daret Deo . Dixit ergo :* Sed ex vocante ; *non quacumque vocatione , ſed quâ vocatione fit credens .* Et his finem huic Quæſtioni imponimus .

QUÆSTIO III.

De Gratia Habituali .

De gratia habituali , ſeu juſtificante , ſermo hic procedet : ad quam ſive acquirendam , ſive acquiſitam conſervandam , omnes gratiæ actuales ordinantur . Hæc eſt propriè gratia gratum faciens hominem Deo ; quæ , nempe , eum facit filium Dei , fratrem Chriſti , membrum vivum corporis ejus , Templum totius Trinitatis : quæ demum peccati maculas delet . De hac quatuor explicabimus . Primò , eſſentiam . Secundò , perfectionem . Tertiò , cauſam . Quartò , effectus .

DUBIUM I.

An Gratia Habitualis ſit Donum intrinſecum Animæ ?

§. I.

Pauca Supponuntur .

I. *Secundùm communem modum loquendi* (inquit S. Thomas hâc 1. 2. q. 110. a. 1.) *tripliciter gratia accipi conſuevit . Uno modo , pro dilectione alicujus : ſicut conſuevimus dicere , quòd* iſte miles habet gratiam Regis , *ideſt Rex habet eum gratum . Secundò ſumitur pro aliquo dono gratis dato : ſicut conſuevimus dicere :* Hanc gratiam facio tibi . *Tertio modo ſumitur pro recompenſatione beneficii gratis dati , ſecundùm quòd dicimur agere gratias beneficiorum . Quorum trium , ſecundum dependet ex primo : ex amore enim , quo aliquis habet alium gratum , procedit , quòd aliquid ei gratis impendat . Ex ſecundo autem procedit tertium : quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio conſurgit .* Hæc Sanctus Thomas . Quærimus ergo : an gratia habitualis , ſeu juſtificans , ſit ſumenda primo modo : ita ut nil aliud dicat , quàm amorem Dei habentis hominem gratum . An verò etiam ſecundo modo : ita ut ſit donum ex Dei amore in hominem deſcendens .

II. Eſtò autem dilectio Dei , quâ ſuas creaturas diligit , in ſe una ſit , nempe , actus immanens divinæ voluntatis ; ex parte tamen effectus , diſtinguitur in generalem , & ſpecialem . Prima eſt , quâ ſecundùm illud Sap. 11. *Diligit omnia , quæ ſunt :* ex qua procedunt in creaturis bona naturalia , & communia , ut eſſe , vivere , & alia , quæ ad naturam pertinent . Altera eſt , quâ peculiariter aliquem diligit : & ex hac procedunt dona ad ſalutem æternam conducentia . De hac ergo loquimur : an gratia habitualis , quâ homo dicitur gratus Deo , præter Dei amo-

Digitized by Google

amorem, dicat, & ſit aliquid intrinſecum, ex Dei amore æterno, temporaliter in homine productum.

III. Lutherus, Calvinus, cæterique ex eorum grege, exiſtimant, gratiam Dei nil aliud importare, quàm extrinſecum ejus favorem, & benevolentiam, quâ homo dicitur Deo gratus, & ab eo dilectus: & eſſe juſtum nihil aliud eſſe, quàm juſtitiam Dei, quâ in ſe juſtus eſt, homini imputari, ut ſuo loco dicetur. Catholici tamen Doctores concorditer volunt, gratiam habitualem eſſe aliquod donum, ex Dei amore ſpeciali in homine productum, quo intrinſecè Deo gratus, & juſtus denominatur, & eſt.

§. I.

Catholica Aſſertio.

IV. Dico. Gratia habitualis, ſeu juſtificans, eſt donum intrinſecè nobis collatum, ex ſpeciali Dei dilectione deſcendens, non verò purè favor Dei extrinſecus. Ita contra Lutherum, & Calvinum ſtatuit Tridentinum *Seſſ. 6. Can. 11.* his verbis: *Si quis dixerit, homines juſtificari, vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ remiſſione peccatorum excluſâ gratiâ, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, quâ juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei; anathema ſit.*

Contra quos etiam clamat Scriptura. 1. Joan. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet. Et non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Ex quibus habemus, in renatis ex Deo per gratiam dari aliquid manens, ſeu permanens, veluti ſemen Dei, quod impedit, ne mortaliter peccent; quia facit, quòd ſimus nati ex Deo, & filii Dei: ſed nullus ex altero naſcitur, niſi quatenùs intrinſecè participat naturam ejus, ex quo naſcitur, & cujus efficitur filius; ergo gratia, quâ dicimur nati ex Deo, & filii Dei, eſt aliquid intrinſecum in nobis manens.

V. Secundò. Id probat Apoſtolus *ad Epheſ. 4. v. 23. & 24.* dicens: *Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Super quæ D. Aug. *l. 6. de Gen. ad litt. c. 24.* ait: *Quomodo renovari dicimur, ſi non hoc accipimus, quod perdidit primus homo? Hoc planè recipimus ſecundùm quemdam modum: non* immortalitatem corporis recipimus, quam non *habuit homo; ſed accipimus juſtitiam, ex qua, per peccatum, lapſus eſt homo:* atqui ſecundùm hæreticos, quos impugnamus, primus homo fuit juſtus juſtitiâ ſibi intrinſecâ, & non ſibi imputatâ; ergo ſi per gratiam renovati accipimus illam juſtitiam, ſecundùm quam fuit creatus, & à qua lapſus eſt homo, accipimus juſtitiam nobis intrinſecam.

VI. Idem Apoſtolus *ad Roman. 5.* inſtituens comparationem inter jacturam, quam fecit homo, per peccatum Adami, & lucrùm ex gratia Chriſti, dicit v. 19. *Quòd ſicut per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem, juſti conſtituuntur multi.* Et v. 20. *Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Eodem ergo modo conſtituuntur homines juſti per Chriſti obedientiam, quo per Adami inobedientiam conſtituti ſunt peccatores: atqui ſecundùm Lutherum, & Calvinum homines conſtituti ſunt peccatores, non per externam Adæ injuſtitiam, aut ejus imputationem; ſed per peccatum ab eo originaliter in omnes derivatum, ac unicuique proprium, & intrinſecum; ergo homines conſtituuntur juſti, non per ſolam extrinſecam Chriſti juſtitiam, ejuſque imputationem; ſed per juſtitiam intrinſecam à Deo, per ejus merita, in eos derivatam. Alioquin ſi homines juſti manerent intrinſecè peccatores, & ſolùm dicerentur juſti per juſtitiam Chriſti eis

extrin-

extrinſecè imputatam; quomodo diceret Paulus, quòd ubi *abundavit delictum, ſuperabundavit gratia?*

VII. Idem S. Auguſt. *l. de Spiritu & litt. c. 9.* ad illa verba Pauli Rom. 3. v. 21. *Juſtitia Dei manifeſtata eſt* (inquit) *Non dixit juſtitia hominis, vel juſtitia propria voluntatis; ſed juſtitia Dei; non quâ Deus juſtus eſt, ſed quâ induit hominem, cum juſtificat impium.* Et poſt pauca, allatis ejuſdem Pauli verbis v. 22. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti*, ſubjungit: *Sicut autem iſta fides Chriſti dicta eſt, non quâ credit Chriſtus: ſic & illa juſtitia Dei, non quâ juſtus eſt Deus. Utrumque enim noſtrum eſt; ſed ideo Dei, & Chriſti dicitur, quòd ejus nobis largitate donatur.* Et ibid. *c.* 32. ait: *Caritas quippe Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non quâ nos ipſe diligit, ſed quâ nos facit dilectores ſuos: ſicut juſtitia Dei, quâ juſti ejus munere efficimur; & Domini ſalus, quâ nos ſalvos facit; & fides Jeſu Chriſti, quâ nos fideles facit. Hæc eſt juſtitia Dei, quam non ſolùm docet per legis præceptum, verùm etiam dat per ſpiritus donum.*

VIII. Hæc, & alia Auguſtini teſtimonia adeo apertè pugnant contra errorem oppoſitum; ut Calvinus ipſe hoc videns, *l. 3. Inſtit. c. 11. §. 15.* ita effutiat: *Nec Auguſtini quidem ſententia, vel ſaltem loquendi ratio per omnia recipienda eſt; tametſi enim hominem omni juſtitiæ laude ſpoliet, ac totum Dei gratiæ transſcribat; gratiam tamen ad ſanctificandum refert, quâ in vitæ novitatem per ſpiritum regeneramur.* Ita iſte Nebulo ſuâ confeſſione ſe damnat. Si enim Auguſtinus, teſte ipſo, gratiam nobis intrinſecam aſſerit, Calvinus negat: quis rationis compos, ut ſequatur Calvinum, relinquit Auguſtinum?

IX. Probatur autem ratione D. Th. hâc *q.* 110. *a.* 1. ſic. Per gratiam juſtificantem fit homo obiectum congruum divinæ dilectionis ſupernaturalis, & in ordine ad finem ſupernaturalem; ergo in homine debet poni aliquid intrinſecum, quo in tali ordine ſit bonus, Deo gratus, & à Deo amabilis. Conſ. prob. Hæc eſt enim differentia inter gratiam Dei, & gratiam hominis, amorem Dei, & amorem hominis; quòd gratia, & amor Dei facit bonum id, quod amat, & diligendo facit bonum: gratia autem, & amor hominis ſupponit bonitatem in eo, quod amat, vel in toto, vel in parte. Quemadmodum ergo Deus, amando hominem in eſſe naturæ, dat ei omnia dona naturalia, nimirum eſſe, proprietates, cæteraſque perfectiones, quibus in eſſe naturali intrinſecè conſtituitur: ita amando hominem, eique dando gratiam ſuam in ordine ſupernaturali, dat ei eſſe in tali ordine, cæteraſque perfectiones, quibus in tali ordine aptè conſtituatur: *Eſt* (inquit S. Thom. hìc) *differentia attendenda circa gratiam Dei, & gratiam hominis. Quia enim bonum creaturæ provenit ex voluntate divina; ideo ex dilectione Dei, quâ vult creaturæ bonum, profluit aliquod bonum in creatura. Voluntas autem hominis movetur ex bono præexiſtente in rebus: & inde eſt, quòd dilectio hominis non cauſat totaliter rei bonitatem; ſed præſuppònit, vel in parte, vel in toto.* Poſtquam autem diſtinxit in Deo duplicem dilectionem: unam *generalem*, quâ diligit omnia, quæ ſunt, *ſecundùm quam eſſe naturale rebus creatis largitur:* aliam verò *ſpecialem*, *ſecundùm quam trahit creaturam rationalem ſupra conditionem naturæ ad participationem divini boni*, concludit: *Sic igitur per hoc, quòd dicitur homo gratiam Dei habere, ſignificatur quiddam ſupernaturale in homine à Deo proveniens.*

X. Explicatur magis hæc ratio. Peccatorem, quem Deus noviter juſtificat, noviter Deus diligit, quem antea oderat, juxta illud Sap. 14. v. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.* Et ita qui Deo erat odibilis, fit à Deo diligibilis; ergo aliquid in eo requiritur, quo de non diligibili fiat

diligibilis à Deo; ſeu de non dilecto tranſeat ad eſſe dilectum in ordine ad finem ſupernaturalem vitæ æternæ: ſed hoc non poteſt fieri aliquâ mutatione ſe tenente ex parte Dei, quia Deus eſt immutabilis; ergo fit per mutationem ſe tenentem ex parte peccatoris acquirentis aliquod bonum, quo fiat objectum congruum dilectionis ſupernaturalis Dei.

§. III.

Objectionum ſolutio.

XI. PRimò objici poteſt contra rationem S. Thomæ. Amor Dei erga hominem intelligitur priùs, quàm in homine ſit ullum bonum intrinſecum creatum: cùm enim tale bonum profluat ex amore divino, ut à cauſa; conſequens eſt, quòd priùs ſit, Deum diligere hominem, quàm bonum illud creatum infundi.

XII. Reſpondeo primò, diſt. ant. Priùs prioritate *à quo*, & originis, co. ant. Prioritate *in quo*, & intelligentiæ, nego ant. Amor ergo Divinus eſt prior omni dono creato gratiæ, non prioritate *in quo*, ſeu intelligentiæ; quaſi quòd detur aliquod ſignum, in quo ſit, vel intelligatur amor Dei, erga hominem, & non ſit, aut non intelligatur in homine donum gratiæ: ſed ſolâ prioritate *à quo*, & originis; quatenus licèt in eodem ſigno, in quo eſt, ac intelligitur amor Dei, ſit, & intelligatur etiam donum gratiæ in homine: amor tamen Dei intelligitur, ut originans, & donum gratiæ, ut ab eo originatum. Sicut in eodem ſigno, in quo intelligitur Sol illuminans, intelligitur aer illuminatus; ſed Sol, ut cauſans, illuminatio, ut cauſata.

XIII. Reſpondeo ſecundò, quòd, ſicut docemur in tertio de Anima, intellectio poteſt conſiderari dupliciter. Et ut dictio; & ſic eſt prior verbo, quod dicit: & ut contemplatio; & ſic eſt poſterior verbo à ſe dicto. Ita amor divinus conſiderari poteſt, ut effectivus; & ſic eſt prior gratiâ, quam producit: & ut affectivus; & ſic eſt poſterior gratiâ à ſe productâ. Quo modo Deus in homine gratiâ à ſe ornato ſibi complacet, eum diligendo. Unde D. Tho. 1. *p. q.* 23. *a.* 4. docet, Deum prius diligere, ideſt, velle, & cauſare bonum, quàm eligere; ad differentiam noſtri, qui, cùm non cauſemus bonum diligendo, ſed ex bono præexiſtente invitemur ad diligendum, priùs eligimus, quàm diligamus: Deus verò priùs diligendo facit bonos, deinde eos eligit. Quæ in hac materia notanda ſunt.

XIV. Objici poteſt ſeundò contra idem. Amor Dei erga homines ſtare poteſt abſque communicatione alicujus intrinſeci; ergo &c. Ant. prob. Prædeſtinatio eſt maxima dilectio Dei erga homines: & tamen nihil intrinſecum ponit in Prædeſtinatis, ut docet D. Tho. 1. *p. q.* 23. *a.* 2. ergo &c. Conſ. prob. Ideo primum, quia, ut docet D. Tho. ibi *ad* 1. prædeſtinatio, utpote actio imanens, non infert paſſionem extra agens: ſed etiam amor Dei eſt actio immanens; ergo &c.

XV. Reſpondeo, neg. ant. Ad ejus probationem, diſt. maj. Eſt maxima dilectio præordinativa, conc. maj. Executiva, nego maj. & diſt. min. Nihil ponit pro tunc æternitatis. con. min. Pro nunc temporis, nego min. & conſ. Igitur prædeſtinatio poteſt ſumi, & ut eſt dilectio ab æterno præordinativa: & ſic, ut docet D. Thom. ibi, eſt pars providentiæ, quæ non in rebus proviſis, ſed in proviſore manet. Et poteſt ſumi, ut eſt dilectio executiva talis præordinationis in tempore: & ſic ponit in Prædeſtinato vocationem ad fidem, ad gratiam, auxilia ſufficientia, efficacia, & gratiam ipſam juſtificantem. Quare ex hoc potiùs ſit argumentum pro nobis. Ex quo enim prædeſtinatio includat amorem divinum efficacem, eſtò pro tunc æternitatis nihil ponat in Prædeſtinato; ponit tamen plura dona intrinſeca pro tem-

tempore, quo ordinavit; ergo amor Dei erga hominem, ex quo efficax eſt, debet, amando executivè illum, aliquid intrinſecum in eo ponere. Ex his reſpondetur ad probationem conſeq. quòd prædeſtinatio ſumta prærordinativè eſt actio merè immanens: at ſumta pro amore divino, quo in executione juſtificat peccatorem, eſt actio virtualiter tranſiens. Debet igitur, ſic diligendo, aliquid in eo producere.

XVI. Sed replicabis primò. D. Paulus, antequam converteretur, erat dilectus à Deo, utpote prædeſtinatus: & tamen talis dilectio nullum ponebat in eo gratiæ donum.

Secundò. Non minus eſt efficax odium Dei, quàm amor Dei: ſed odium Dei nihil ponit in eo, quem odit; ergo nec amor Dèi aliquid ponit in eo, quem amat.

XVII. Reſpondeo ad primam replicam, diſt. maj. Dilectione, quæ eſſet efficax pro tempore antecedente ejus converſionem, nego maj. pro tempore ejus converſionis, conc. maj. Sicut ergo dilectio prædeſtinativa, eſtò ſit ab æterno, ab æterno tamen nihil poſuit in Prædeſtinato, ſed ſolùm in tempore: ita nec pro omni tempore explicare debet efficaciam ſuam, ſed ſolùm pro eo, quod prærordinavit. Cùm autem non prærordinaverit, dare Paulo gratiam, ſeu effectum ſuæ dilectionis pro omni tempore; ſed pro eo, quo ex perſecutore decreverat, eum facere vas electionis: ideo ab illo ſolùm tempore effectum dilectionis Dei Paulus accepit.

XVIII. Ad ſecundam in primis, nego min. Odium enim Dei per juſtitiam punitivam infert pœnas æternas in iis, quos odit— Deinde nego maj. Duplex enim diſparitas eſt. Prima: quia quòd homo ſit objectum odii Dei, habet ex propriis, nempe, peccato: non tamen habet, unde ſit objectum dilectionis Dei ſupernaturalis; niſi Deus ponat in ipſo bonitatem ſupernaturalem, quâ in eo ordine diligibilis ſiat. Altera eſt, quòd amor, utpote proſecutivus, debet ponere in objecto bonum, quod diligat, ſi bonum in eo non ſupponat: at odium, cùm ſe habeat potiùs per modum fugæ, & receſſus, non habet, ut aliquid in objecto ponat, ſed potiùs ut ab eo tollat.

XIX. Tertiò objiciunt hæretici contra Concluſionem aliqua Sacræ Scripturæ teſtimonia, quæ ad tria capita reducuntur. Primum eſt eorum, in quibus Scriptura dicit, nos non habere juſtitiam, ſed eſſe juſtos per juſtitiam Chriſti. Unde Paulus *ad Philipp.* 3. *v.* 9. ait: *Et inveniar in illo non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu: quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.*

Secundum eſt eorum, in quibus Scriptura dicit, quòd in Chriſto efficimur ipſa juſtitia Dei; ut 2. Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo;* ergo Juſti efficimur juſtitiâ Dei nos exteriùs in Chriſto afficiente.

Tertium eſt eorum, quibus dicitur, hominem non juſtificari coram Deo; ut Job 9. v. 2. *Verè ſcio, quòd ita ſit, & quòd non juſtificetur homo compoſitus Deo.* Et Pſal. 142. v. 2. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Si autem homo haberet in ſe juſtitiam, juſtus aliquomodo dici poſſet etiam coram Deo.

XX. Reſpondeo tamen, teſtimonia primi generis non eſſe intelligenda in ſenſu formali; quaſi ſenſus ſit, juſtitiam Dei, & Chriſti eſſe formam, qua denominamur Juſti: ſed in ſenſu cauſali, ſeu meritorio; quatenus Deus cauſat in nobis juſtitiam, quam Chriſtus ſuâ paſſione nobis promeruit. Sic 1. *Cor.* 1. *v.* 30. eodem modo dicitur: *Factus nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio.* Quis autem dicet, Chriſtum eſſe formaliter ſapientiam, quâ ſapientes ſumus, & redemtionem, quâ redemti ſumus; & non potiùs cauſam efficientem noſtræ ſapientiæ, & redemtionis?

Hinc Paulus non dicit, ſe non habere juſtitiam, ſed non habere *ſuam* ex lege: ideſt, acquiſitam propriis operibus legis, ſed habitam à Deo per fidem Chriſti. Ita S. Auguſtinus lib. 3. ad Bonifacium contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 7. *Cùm enim* (inquit) *dixiſſet:* Non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti; *addidit:* Quæ eſt ex Deo. *Ipſa eſt ergo juſtitia Dei, quam ſuperbi ignorantes ſuam volunt conſtituere. Non enim propterea juſtitia Dei dicitur, quoniam Deus eâ juſtus eſt, ſed quia homini ex Deo eſt. Secundùm hanc autem juſtitiam Dei, hoc eſt, quæ ex Deo nobis eſt, nunc fides operatur per dilectionem.*

XXI. Ad teſtimonia ſecundi generis, præter datam expoſitionem, dico, nos effici juſtitiam Dei in Chriſto; quia per ipſum Deus juſtitiam nobis largitur: ideoque juſtitia, quæ in nobis fit, ab eo eſt participata, & exemplata. Hinc Sanctus Auguſtinus *lib. de Spiritu, & littera cap.* 18. exponens Pauli verba: *Ut ſimus juſtitia Dei in ipſo*, ait: *Hæc eſt illa juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos ab eo facti.*

XXII. Ad teſtimonia tertii generis dico, hominem coram Deo non eſſe juſtum; non quia in homine nulla juſtitia eſſe poſſit: ſed quia, vel ſibi relictus homo juſtitiam non habet, ſed unicè à Deo eam gratioſè participat: vel quia juſtitia, ut in homine, pro hoc ſtatu poſita, non eſt ita pura, ut coram Deo aliquâ maculâ aſperſa non ſit. Unde Auguſt. *lib. de Perfectione juſt. cap.* 17. dicit: *Et quod ait:* Non juſtificabitur; *ad illam perfectionem juſtitiæ retulit, quæ in hac vita non eſt.* Vel, quòd ſicut eſſe cujuſvis creaturæ coram Deo eſt quaſi non eſſe, juxta illud Iſaiæ 40. v. 17. *Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo:* ita homo, quantumvis juſtus, coram Deo eſt quaſi non juſtus, *negativè* ſcilicet, non *privativè*. In quo ſenſu dixit Chriſtus, Matth. 19. v. 17. *Unus eſt bonus, Deus.*

XXIII. Quartò objiciunt hæretici, nos facere injuriam Chriſto, dum præter ipſius gratiam, & juſtitiam, volumus alteram nobis intrinſecam. Inſuper dare hominibus occaſionem ſuperbiæ, dum eis propriam, & intrinſecam gratiam attribuimus.

XXIV. Reſpondeo, tantum abeſſe, ut ex hoc fiat injuria Chriſto, quin potiùs ſit major gloria illi. Sicut enim ille perfectior eſt, qui nedum in ſe habet perfectionem, ſed tantæ virtutis eſt, ut poſſit illam aliis communicare: ita major gloria Chriſti eſt, ſi nedum in ſe juſtitiam habeat, ſed etiam nobis poſſit eam per ſua merita communicare. Cùm enim Chriſtus ſit Sol juſtitiæ, debet exemplo Solis, non ſolùm in ſe juſtitiæ lucem habere, ſed & in alios eam diffundere. Imò ſi hoc non admitteretur, injurii Chriſto eſſemus; quia poneremus Chriſtum minùs potentem in benefaciendo, quàm Adamum in malefaciendo: cùm Adamus infecerit nos intrinſecè peccato, ubi Chriſtus ſolùm extrinſecè nos denominaret.

Neque per hoc datur occaſio ſuperbiendi, ſed nos potiùs humiliandi: cùm juſtitia, quæ nobis datur, non ex meritis noſtris, ut volebant Pelagiani, conferatur; ſed unicè à Chriſto fuerit nobis promerita, & intuitu illius nobis detur. Quare peto ab Adverſariis: datur ne occaſio ſuperbiæ, quando, præter ſapientiam, quæ eſt in Chriſto, datur in nobis interior fides, per quam Chriſtum cognoſcimus; interior caritas, quâ Deum diligimus? Nequaquam dicent ipſi: idem ergo dicant in caſu præſenti.

DU-

DUBIUM II.

An Gratia Habitualis ſit Accidens, an Qualitas, & an in ſpecie Habitus?

§. I.

Gratia non eſt Subſtantia, ſed Accidens.

I. Lutherus, & Calvinus, qui, ut vidimus, non aliam gratiam, ſeu juſtitiam agnoſcunt, niſi juſtitiam increatam Dei, ut extrinſecè hominem denominat juſtum; conſequenter admittere tenentur, gratiam juſtificantem eſſe ſubſtantiam. Quare Oſiander in ſua Harmoniâ Evangelicâ aſſerit, gratiam ſanctificantem eſſe potiùs ſubſtantiam, quàm qualitatem, quia, inquit, gratia nil aliud eſt, quàm juſtitia, & ſanctitas ipſius Dei conſtituens hominem juſtum, & ſanctum; ſicut lux ſolaris nihil eſt aliud, quàm præſentia Solis ſuper totum Emiſpherium.

Gratiam aliquid ſubſtantiale eſſe dicere tenentur Moderni quidam; qui cùm, juxta ſuæ Philoſophiæ principia, omnia accidentia contradiſtincta à ſubſtantia è Mundo tollant; conſequenter negare debent, gratiam inter accidentia connumerari. Affirmativa autem ſententia adeo communis eſt; ut oppoſitum ſentire, cenſuram mereatur.

II. Dico ergo. Gratia habitualis, ſeu juſtificans, eſt accidens. Probatur primò ex doctrina Tridentini, *Seſſ. 6. cap.* 7. ubi exponens modum, quo homines juſtificantur, dicit, hoc fieri, dum Chriſti *ſanctiſſimæ Paſſionis merito per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Et *Can.* 11. anathema dicit ei, qui *dixerit, homines juſtificari, vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ, & caritate, quæ per Spiritum Sanctum in cordibus eorum diffundatur, atque illis inhæreat*. Gratia ergo, quâ juſtificamur, eſt aliquid inhærens cordibus noſtris: ſed quod eſt inhærens alteri, eſt accidens: nam eſſentia, & definitio accidentis eſt, alteri inhærere, ſeu ineſſe; ergo &c.

III. Sed dices: Verbum *inhæret*, ut à Concilio prolatum, id tantùm ſignificat, quod erat à Concilio intentum; ſed intentum Concilii non erat definire, quòd gratia ſit accidens, ſed ſolùm quòd ſit donum intrinſecum nobis, non verò favor extrinſecus Dei; ergo &c.

Confirmari etiam poteſt. Nam idem Concilium, *Seſſ.* 5. de peccato originali dicit, quòd peccatum illud *Propagatione, non imitatione, transfuſum omnibus ineſt unicuique proprium:* at ex illo verbo *ineſt* non colligitur, peccatum originale eſſe accidens, ſeu qualitatem quamdam, ut ſuo loco oſtendimus, ſed ſolùm eſſe unicuique intrinſecum; ergo à pari &c.

IV. Reſpondeo, diſt. maj. Et etiam id, quod illius verbi ſignificatio apertè indicat, conc. maj. Aliter, nego maj. Fateor præcipuum intentum Concilii fuiſſe definire, gratiam juſtificantem non eſſe merum favorem Dei extrinſecum, ſed donum intrinſecum: dum tamen ad id ſtatuendum uſurpavit verbum *inhæret*, ſatis indicavit, ſe voluiſſe utrumque ſtatuere: & quòd gratia ſit donum intrinſecum, & quòd ſit inhærens, quod verbum eſt expreſſivum eſſentiæ accidentis; ne in ambiguo relinqueretur, an iſtud donum intrinſecum ſit ſubſtantia, an verò accidens. Sed dato etiam, Concilium noluiſſe ſtatuere, quòd gratia ſit accidens; dicere tamen, quòd ſit accidens, modo loquendi, & menti Concilii conformius eſt.

V. Ad Confirm. dico, ſignificationem illius verbi *ineſſe* exponendam eſſe accommodatè ad naturam, de qua ſit ſermo. Cùm autem ibi eſſet ſermo de peccato originali, quod in mera privatione juſtitiæ originalis conſiſtit;

ſiſtit: ideo non poteſt ſignificare naturam accidentis, quod eſt quid poſitivum. At gratia ſanctificans eſt quid poſitivum: & ideo admittit verbum *inhæret* cum proprietate, ideſt, ut ſignificat eſſentiam accidentis.

VI. Probatur ulteriùs præſens Aſſertio hoc diſcurſu. Gratia juſtificans vel eſt ſubſtantia, vel accidens: ſed non eſt ſubſtantia; ergo eſt acidens. Min. prob. Si eſſet ſubſtantia, vel eſſet ſubſtantia Dei nobis intrinſecè unita, vel aliqua ſubſtantia creata à Deo infuſa animæ, ſicut anima infunditur corpori: ſed neutrum eſſe poteſt; ergo &c. Min. pro prima parte prob. Tùm quia: ſubſtantia Dei in ſententia Theologorum nequit uniri intrinſecè per modum cauſæ formalis conſtituentis, & dantis eſſe; quâ ratione nequit uniri per modum formæ dantis vitam corpori: atqui gratia, ut ait Tridentinum, *Seſſ. 6. cap. 7.* eſt cauſa formalis juſtificationis; ergo &c. Tùm quia: ſubſtantia Dei de facto non unitur alicui creaturæ, niſi mentibus Beatorum per modum ſpeciei, & per modum hypoſtaſis, quemadmodum eſt unita humanitati Chriſti. Tùm quia: ſi ſubſtantia Dei uniretur intrinſecè animæ Juſti, faceret eum juſtum non participativè, & accidentaliter, ſed ſubſtantialiter, ſicut facit Chriſtum — Pro ſecunda etiam parte probatur. Hæc ſubſtantia à Deo nobis infuſa eſſet ſpiritualis, & ſicut anima rationalis, & proinde per ſe ſubſiſtens; ergo non eſſet inhærens, ſicut dicit Concilium. Inſuper eſſet ſupernaturalis, & vita animæ in ordine ad operationes ſupernaturales; & proinde radix videndi Deum, ut in ſe eſt: atqui, juxta communem ſenſum Theologorum, nec de facto datur, nec dari poteſt ſubſtantia aliqua creata per ſe ſubſiſtens, quæ ſupernaturalis ſit, & radix videndi, & amandi Deum, ut eſt in ſe; ergo &c.

§. II.

Gratia eſt Qualitas habens eſſe permanens, & per modum Habitus.

VII Dico. Gratia juſtificans eſt accidens de ſpecie qualitatis, habens eſſe permanens, & modum habitus.

Tres habet partes hoc Aſſertum. Prior, nempe, quòd gratia ſit in ſpecie qualitatis, colligitur ex Catechiſmo Romano, S. Pii V. juſſu edito, & approbato, *parte 2. c. 2. de Baptiſmo num. 50.* ubi ait: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propoſitâ decrevit, non ſolùm per quam peccatorum ſit remiſſio; ſed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores, ac ſplendidiores reddit.* Et quidem gratia non eſt relatio. Tùm quia: gratia per ſe producitur; relatio autem ad alterius productionem reſultat. Tùm quia: effectus gratiæ non eſt relativus, ſed abſolutus: facit enim hominem juſtum in ſe, non ad alterum. Neque eſt actio: quia actio tranſiens eſt; gratia verò habet eſſe permanens.

VIII. Secunda vero pars (quæ ab aliquibus cenſetur de fide, ſaltem tamen, ut fidei proxima tenenda eſt) quòd, nempe, gratia habeat eſſe permanens, probo primò. Quia Parvuli, & amentes, dum baptizantur, accipiunt gratiam, & virtutes: at non recipiunt eam per modum motionis ad operationem, cujus ſunt incapaces. Tùm quia motio ad actionem cum actione tranſit, gratia autem permanet, donec per peccatum expellatur; igitur eam recipiunt per modum formæ permanentis. Et colligitur, tùm ex illo 1. Jo. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Et Joan. 14. v. 23. *Ad eum veniemus* (per gratiam) *& man-*

& manſionem apud eum faciemus. Quapropter in Conc. Viennenſi *Clementin. tit. de ſumma Trinit.* relatis duabus opinionibus, quarum una dicebat, renatis, per Baptiſmum, parvulis conferri quidem remiſſionem peccati originalis, ſed non gratiam; alia conferri etiam gratiam, & virtutes quoad habitum, etſi nondum pro illo tempore quoad actum: Concilium hanc ſecundam probans, ait: *Opinionem ſecundam, quæ dicit, tam parvulis, quàm adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam*.

IX. Hanc eamdem opinionem adoptavit Concilium Tridentinum. Tùm quia: verbum *inhæret*, quo, ut vidimus, utitur, ſignificat permanentiam. Unde ſicut dum dicit, peccatum originale *ineſſe* unicuique proprium, fit ſenſus, quòd inſit permanenter: ita dum dicit, quòd gratia ſanctificans inhæret, fiet ſenſus, quòd permanenter inſit. Tùm etiam: quia *cap. 7. ejuſdem Seſſ. 6.* dicit, juſtificationem eſſe renovationem interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum: *cap. 11.* docet, gratiam non deperdi per peccata venialia: & *cap. 16.* docet, aliquos juſtificatos acceptam gratiam perpetuò conſervare; ſentit ergo, gratiam juſtificantem eſſe aliquid permanens.

X. His omnibus accedit ratio S. Thom. hâc *q. 110. a. 2. & 3. contr. Gent. c. 115.* Non eſt conveniens, quòd Deus minùs provideat his, quos diligit in ordine ad finem ſupernaturalem, quàm iis, quos diligit tantùm in ordine ad finem naturalem; quia providentia Dei eò major eſt, quò major eſt perfectio ordinis, cui providet: ſed iis, quæ diligit in ordine ad finem naturalem, ſic providet, *ut non ſolùm moveat eas ad actus naturales; ſed etiam largiatur eis formas, & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecundùm ſe ipſas inclinentur ad hujuſmodi motus. Et ſic motus, quibus à Deo moventur, ſiunt creaturæ connaturales, & faciles, ſecundùm illud Sap. 8. & diſponit omnia ſuaviter*. Quapropter lapidi dedit naturam cum qualitatibus fixis, & permanentibus, ut connaturaliter tenderet in centrum: plantis dedit naturam cum potentiis fixis, ut poſſent vegetare; & ſic de ſingulis; ergo multò *magis illis, quos movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum, infundit aliquas formas, ſeu qualitates ſupernaturales; ſecundùm quas ſuaviter, & promtè ab ipſo moveantur ad bonum æternum conſequendum*. Ita S. Tho. hoc *a. 2.*

XI. Quæ ratio, ſic expoſita, prævenit reſponſionem Fraſſen dicentis, Deum ſufficienter proviſurum hominibus juſtis ad actus ſupernaturales, per ſolum actuale auxilium, quod eis in certis occaſionibus præberet. Sicut etiam poſſet, hominem ex inimico facere amicum, abſque collatione doni intrinſeci.

XII. Nam S. Thomas hîc non loquitur de eo, quod Deus ſuâ providentiâ extraordinariâ poſſet facere: ſed de eo, quod facit ſuâ providentiâ ordinariâ, quâ non ſolùm providet ut actus fiat, ſed ut connaturaliter, & promtè fiat. Eſtò autem ſuâ providentiâ extraordariâ, per ſolum auxilium actuale, movere poſſet ad actus ſupernaturales: & dato (quod tamen non do, ut infra conſtabit) quòd ſolâ condonatione extrinſecâ poſſit, hominem facere de inimico amicum: dum tamen providentiâ ordinariâ movet ad actus, non ſolùm ut fiant, ſed ut connaturaliter, & promtè fiant; ſicut rebus naturalibus, ut connaturaliter, & promtè moveantur, dat formas permanentes, quibus poſſint agere: ita proportionaliter eas largitur homini, ut connaturaliter, & promtè eum moveant ad actus ſupernaturales. Et eâdem ratione, dum hominem de inimico facit amicum, non ſolùm ei condonat peccatum; ſed donum intrinſecum ei confert, quo poſ-

ſit

Digitized by Google

ſit ipſum, ut amicus, diligere. Et propterea Tridentinum, *Seſſ. 6. Can. 11.* anathema dicit ei, qui dixerit, homines juſtificari *Solâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat.*

XIII. Explicatur magis hoc. Etſi Deus poſſit ſolo auxilio actuali elevare intellectum ad cognoſcendum auctorem ſupernaturalem: ordinariè tamen hoc facit (ut fatentur etiam hæretici) infundendo in intellectu fidem ipſi inhærentem, & in eo permanentem; ergo eâdem ratione, ut hominem reddat objectum congruum divinæ dilectionis ſupernaturalis, & potentem in tali ordine operari, infundit illi gratiam intrinſecam, & virtutes. Unde Tridentinum, laudatâ *Seſſ. 6. cap. 7.* docet, quòd *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & caritatem.*

XIV. Tertia verò pars, quòd nimirum, gratia ſanctificans ſit permanens per modum habitus, probatur. Quia gratia eſt qualitas permanenter inhærens, & difficulter mobilis (non enim perditur, niſi per aliquid grave, quod eſt peccatum mortale) per quam anima redditur habilis ad bona pietatis opera exercenda: unde Catechiſmus Conc. Trident. in Tractatu de Baptiſmo dicit, quòd ex Chriſti Domini plenitudine in omnes, qui juſtificantur, divina virtus, & gratia diffunditur, quæ nos ad omnia Chriſtianæ pietatis officia habiles reddit.

XV. Neque obſtat, quòd D. Thom. *Q. 27. de Veritate a. 2. ad 17.* dicat, gratiam non eſſe propriè habitum. — Nam ibi ſolùm intendit, gratiam non eſſe propriè habitum in eo ſenſu, quo habitum cognoverunt Philoſophi; nimirum, accidens immediatè ordinatum ad actum humanæ naturæ proportionatum. Quia gratia *non immediatè ordinatur ad actum, ſed ad quoddam eſſe ſpirituale, quod in anima facit: & eſt ſicut diſpoſitio, quæ eſt reſpectu gloriæ, quæ eſt gratia conſummata.*

XVI. Sed dices contra primam partem, gratiam debere potiùs eſſe ſubſtantiam, quàm accidens de genere qualitatis. Nam gratia debet eſſe perfectior animâ, quæ eſt ſubſtantia: ſed accidens non eſt perfectior ſubſtantiâ; ergo &c.

Rursùs: Sicut anima eſt vita corporis, ita Deus eſt vita animæ: ſed anima per ſeipſam dat vitam corpori, nullo mediante; ergo Deus per ſeipſum, & per ſuam ſubſtantiam dat vitam animæ.

XVII. Reſpondeo, neg. ant. Ad probat. neg. min. abſolutè. Ut enim docet S. Thom. 2. 2. *q. 23. a. 3. ad 3.* loquens de caritate: *Omne accidens ſecundùm ſuum eſſe eſt inferius ſubſtantiâ; quia ſubſtantia eſt ens per ſe, accidens autem in alio: ſed ſecundùm rationem ſuæ ſpeciei accidens quidem, quod cauſatur ex principiis ſubjecti, eſt inferius ſubjecto, ſicut effectus cauſâ: accidens verò, quod cauſatur ex participatione alicujus ſuperioris naturæ, eſt dignius ſubjecto; inquantùm eſt ſimilitudo ſuperioris naturæ, ſicut lux diaphano. Et hoc modo caritas eſt dignior animâ, inquantùm eſt participatio quædam Spiritus Sancti.* Idem dico de gratia, quæ, ut dicetur, eſt participatio quædam divinæ naturæ: quæ nequit participari per modum ſubſtantiæ, ut eſt in Deo, ſed ſolùm per modum accidentis; quo ſolùm modo natura ſuperior poteſt in inferiori participari: ſicut natura ignis à ſubjectis ab igne extraneis ſolùm accidentaliter participari poteſt, nimirum, per calorem.

XVIII. Ad id quod additur, reſpondeo cum S Thoma citatâ *Q. 27. de Verit. a. 1. ad 1.* quòd anima eſt cauſa formalis vitæ corporalis: unde nullâ formâ mediante corpus vivificat. Deus autem vivificat animam, non ſicut cauſa formalis, ſed ſicut cauſa efficiens: unde aliqua forma cadit media. Sicut pictor album facit parietem effectivè, albedine mediante, albedo

verò

verò nullâ formâ mediante, quia facit album formaliter. Eodem modo reſpondet hâc *q.* 110. *a.* 1. *ad* 2.

XIX. Dices contra tertiam partem. Gratia eſt potiùs relatio; cùm ſit ſimilitudo, participatio, & amicitia Dei.

Inſuper: potiùs debet eſſe potentia, quàm habitus; quia magis permanens, & naturæ proximior.

Rurſus: quomodo gratia eſt habitus, ſi habitus eſt difficile mobilis; gratia verò uno actu peccati mortalis amittatur?

XX. Reſpondeo ad primum, gratiam non eſſe ipſam relationem ſimilitudinis, participationis, & amicitiæ Dei, ſed donum abſolutum fundans hujuſmodi relationes: ſicut calor eſt participatio ignis, & tamen eſt aliquid abſolutum.

Ad ſecundum, nego ant. Tùm quia: potentia debet eſſe connaturalis, & conſequens principia ſubjecti: gratia autem nulli naturæ creatæ connaturalis eſſe poteſt. Tùm quia: potentia eſt inclinatio tàm ad bonum, quàm ad malum: gratia autem eſt diſpoſitio ſolùm ad bonum.

Ad tertium dico, Gratiam ſecundùm ſe eſſe immobilem: ſed ſolùm fieri mobilem ex conditione ſubjecti, quod eſt vertibile de bono in malum: nec tamen eſſe facilè mobilem. Quia, ut docet S. Thom. Q. 27. de Verit. a. 1. ad 9. *Quamvis per unum actum peccati mortalis gratia amittatur; non tamen facilè gratia amittitur: quia habenti gratiam non eſt facile, illum actum exercere, propter inclinationem in contrarium. Sicut Philoſophus dicit in 5. Ethic. quòd Juſto difficile eſt, operari injuſta.* Et *Qu. unicâ de Carit. a.* 1. *ad* 9. dicit, quòd *caritas habitus eſt, & difficile mobilis: quia non de facili, qui habet caritatem, inclinatur ad peccandum; licèt ex peccato caritas amittatur.* Quòd ſi aliquando homo juſtus de facili in peccatum ruat: hoc erit ex inclinatione appetitus, quæ interdum in hac naturâ corruptâ prævalet.

DUBIUM III.

An Gratia ſit Supernaturalis, & Participatio Formalis Divinæ Naturæ.

§. I.

Reſolutio primæ Partis.

I. Deum eſſe ens omnino ſupernaturale, omnes conveniunt: in quo autem hæc ſupernaturalitas verè conſiſtat, non una eſt omnium ſententia. Variis tamen modis eam explicandi omiſſis, ſuppono: Deum eſſe ens ſupernaturale, nil aliud importare, quàm Deum eſſe elevatum ſupra totam naturam creatam, & creabilem quoad omnia, quæ in natura creatâ, & creabili reperiuntur, & reperiri poſſunt. Sicut enim Angeli dici poſſunt ſecundùm quid ſupernaturales, quia ſupra totam naturam corpoream elevati ſunt: ita Deus ex eo dici debet ſimpliciter, & omnibus modis ſupernaturalis, quia ſupra totam naturam à ſe creatam, & creabilem elevatus eſt.

Hinc fit, quòd omnia prædicata divina habent aliquem peculiarem modum, quo elevantur ſupra totam naturam creatam, & creabilem: aliter tamen, & aliter. Quædam enim ſunt, quæ non poſſunt præſcindi à modo, quo ſunt in Deo, ut elevato ſupra totam naturam creatam, & creabilem: & hujuſmodi nec ſubſtantialiter, nec accidentaliter participabilia ſunt, & communicabilia; aliàs participaretur, & communicaretur ipſa divinitas per eſſentiam: cujuſmodi ſunt eſſe in linea entis à ſe, actum in omni genere purum, & infinitum, eſſe in linea durationis eſſentialiter æternum, in linea operativâ omnipotentem, in linea locativâ immenſum, in linea boni ſummum bonum, & in linea veri ſummum verum, in linea intellectiva ſuum intellectum, ſuum intelligere, & ſimilia.

Alia verò ſunt, quæ licèt ſecundùm prædictos modos, quibus in Deo ſunt, imparticipabilia ſint; non ita tamen illos includunt, quin, ſi inadæquatè ſumantur, poſſint ab illis præſcindi, & ſinè illis intelligi. Sic ſe habent eſſe principium videndi, & amandi Deum, ut in ſe eſt, & actu illum, ut in ſe, videre, & amare: quæ licèt ſecundùm modum infinitum, quo ſunt in Deo, à nulla creatura participari queant; poſſunt tamen ſinè tali modo à Deo, auctore ſupernaturali, creaturæ communicari: & entia creata, quæ talia prædicata participant, dicuntur entia ſupernaturalia. Hoc modo

II. Dico. Gratia juſtificans eſt ens ſupernaturale participativè. Et probo. Ens, quod eſt participatio alicujus prædicati, in quo Deus excedit omnem naturam creatam, & creabilem, eſt ens participativè ſupernaturale: atqui hujuſmodi eſt gratia; ergo &c. Min. prob. Deus elevatur ſupra totam naturam creatam, & creabilem in hoc, quòd ſit principium videndi, & amandi ſeipſum, ut in ſe eſt: ſed hoc participatur à gratia; ergo &c. Quia verò participare eſt partem capere; ideo ubi Deus eſt principium videndi, & amandi ſe, ut in ſe, & hoc habet à ſe, & actu, ac modo infinito: gratia hoc habet ab alio, & actu, ac modo finito: participans quidem rem, in qua Deus elevatur, ſed modum, quo elevatur ſupra omnem naturam creatam, & creabilem, relinquens.

III. Secundò probatur. Qualis ſit intrinſecè entitas rei, dignoſcitur ex cauſis ejus: ſed omnes cauſæ gratiæ habitualis indicant, ejus entitatem eſſe ſupernaturalem; ergo &c. Min. prob. Cauſa efficiens gratiæ eſt Deus, ut auctor ſupernaturalis: cauſa formalis ejus, ut dicetur, eſt participatio formalis divinæ naturæ, ut in ſe eſt: cauſa finalis eſt Deus, ut videndus in ſe, & ut objectum beatificans: cauſa verò materialis eſt potentia animæ rationalis obedientialis, quâ nata eſt obedire Deo agenti in ipſa ſupra ipſam; ergo omnes cauſæ &c.

IV. Nec dicas, entitatem gratiæ tendere in Deum auctorem ſupernaturalem, non ab intrinſeco; ſed quia à Deo acceptatur, & ordinatur ad illum finem.

Nam contra eſt. Si non aliud habet gratia, quàm extrinſecè à Deo ordinari ad finem ſupernaturalem, quid plus habebit, quam anima rationalis: cùm & iſti extrinſecè ordinetur, & acceptetur ad finem ſupernaturalem? Quid animæ rationali confert gratia plus, quàm ex ſe habeat; ſi entitas gratiæ ſolùm eſt ſupernaturalis, quia à Deo ordinatur, & acceptatur extrinſecè ad finem ſupernaturalem: cum hoc modo acceptare, & ordinare poſſit entitatem ipſam animæ rationalis? Dicendum ergo eſt, entitatem gratiæ eſſe intrinſecè ordinatam ad finem ſupernaturalem; ac reſpicere Deum in illo ordine, non ſolùm ut cauſam efficientem, ſed ut cauſam formalem, & ſpecificativam: cum gratia ſit id, quo Deus elevat animam, redditque eam potentem operari in illo ordine.

§. II.

Reſolutio ſecundæ Partis.

V. Duplex eſt alicujus participatio: alia virtualis, alia formalis. Virtualis dicitur, vel quia eſtò non participet formam, quæ eſt in alio, participat tamen virtutem ad producendum ſimile in forma: ſic ſemen eſt participatio virtualis generantis; quia eſtò non habeat formam generantis, eſt tamen virtus ab eo participata ad producendum ſimile in forma ipſi generanti. Vel dicitur participatio virtualis, quia participat id, quod ſolùm virtualiter continetur in alio: ſicut intra terram participatur virtualiter calor Solis; qui tamen calor ſolùm

lùm virtualiter eſt in Sole. Participatio verò formalis eſt illa, quæ formaliter in ſe trahit, quod formaliter in alio eſt: ſicut aer participat lumen à Sole, quæ lux formaliter in Sole eſt; & lux in aere eſt formalis participatio lucis ſolaris. Creaturæ ergo, ſecundùm eſſe naturale ſuum, ſunt participationes ſolùm virtuales Dei; quia cùm non ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſolùm eminenter, & virtualiter in Deo eſſe poſſunt, non formaliter: unde Deus non eſt formaliter, nec Angelus, nec homo, nec lapis &c. ut oſtendimus *Tom. 2. in 1. p. Qu. 3. de Eſſentia Dei. Dub. 4. §. 2.* Participationes ergo formales Dei ſunt, quæ formaliter in creatura ponunt id, quod formaliter in Deo eſt.

VI. Sed dupliciter poteſt aliquid creatum eſſe formalis participatio Dei: uno modo phyſicè, alio modo ſolùm moraliter. Participatio formalis phyſica eſt, quæ phyſicè formaliter continet id, quod participat: moralis verò, quæ continet ſolùm moraliter. Hoc ſolùm modo cenſent aliqui, gratiam ſanctificantem eſſe formalem participationem Dei; nimirùm, quia ſicut Deus ſemper eſt ad ſe converſus, & nunquam à ſe averſus, ſemper Juſtus, ſemper Sanctus: Ita gratia, quæ hoc homini confert, dicatur formalis participatio juſtitiæ, ſanctitatis, rectitudinis Dei.

VII. Dico primò. Gratia ſanctificans eſt formalis participatio divinæ naturæ, non ſolùm moralis, ſed in aliquo vero ſenſu phyſica. Hanc eſſe mentem S. Thomæ, patet ex hâc *q. 110. a. 3.* ubi dicit, quòd *lumen gratiæ eſt participatio quadam divinæ naturæ.* Et oſtendit ex illo 2. Petri 1. v. 4. *Maxima, & pretioſa vobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Item 3. p. q. 2. a. 10. ad 1. *Gratia* (inquit) *quæ eſt accidens, eſt quadam ſimilitudo divinitatis participata in homine;* ad differentiam humanæ naturæ Chriſti, quæ non dicitur *participaſſe ſimilitudinem aliquam divinæ naturæ: ſed dicitur eſſe conjuncta ipſi divinæ naturæ in Perſona Filii.* Quod repetit ibi *q. 3. a. 4. ad 3.* & *q. 62. a. 1. & 2.* Quibus invicem collatis apparet, S. Doctoris mentem eſſe, gratiam eſſe participationem divinæ naturæ, non ſolùm moralem, per conformitatem in voluntate, & imitationem bonitatis Dei, ſed etiam phyſicam.

VIII. Accedit etiam, quòd *Joann. 1. v. 12.* per gratiam dicimur, filii Dei fieri: *Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri.* v. 13. nati ex Deo: *Ex Deo nati ſunt.* Quod repetit idem Joann. Epiſt. 1. c. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Atqui per gratiam fieri filium Dei, natum ex Deo, ſemen Dei in ipſo manere, indicant, non ſolam participationem moralem, per conformitatem, & conſortium cum Deo, ſed phyſicam; & quòd gratia ſit quaſi ſemen, quo anima fæcundata naturam divinam participet, & ex Deo renaſcatur; ergo &c. Min. prob. Nativitas enim ex ſemine, & filiatio petunt, ut filius participet naturam patris: ſubſtantialiter quidem, ſi filiatio fuerit ſubſtantialis; accidentaliter autem, ſi filiatio fuerit accidentalis, & adoptiva.

IX. Unde probatur ſic. Si gratia ſanctificans non eſſet formalis, & phyſica participatio divinæ naturæ, per modum naturæ, ſed pura extrinſeca acceptatio Dei; diceremur quidem filii Dei, at non eſſemus filii Dei: ſicut quia in humanis filius adoptatur ex mera extrinſecâ acceptatione adoptantis; ille, qui adoptatur, dicitur quidem filius, at non eſt filius adoptantis, quia ab adoptante non accipit naturam: ſed per gratiam non ſolùm vocamur filii Dei, ſed verè ſumus, juxta illud 1. Joann. 3. v. 1. *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus;* ergo &c.

 X. Rur-

Digitized by Google

X. Rurſus : non poteſt filius connaturaliter facere operationes patris, niſi habeat, vel participet naturam Patris; quia operationes naturæ ſuperioris nequeunt fieri connaturales alteri, niſi aliquomodo participet de natura ſuperiori: ſed operationes propriæ Dei, ut videre, & amare ſe ipſum, ut in ſe eſt, per gratiam fiunt connaturales filiis Dei; eas enim gratia radicat, & facit, ut ad eas faciendas inclinentur; ergo gratia in filios Dei trahit naturam divinam. Inclinatio enim ad videndum Deum, ut eſt in ſe, non poteſt,eſſe connaturalis, niſi fundetur in natura divinâ: cùm nulla natura creata fundare poſſit inclinationem ad videndum Deum, ut in ſe eſt.

XI. Dico ſecundò. Gratia eſt formalis participatio naturæ divinæ; non ſubjectivè, quaſi in ſe habens eumdem infinitatis modum, quem habet natura divina: ſed objectivè, quatenus eſt fulgor, & ſimilitudo naturę divinę in creaturam rationalem deſcendens, eamque elevans, ut connaturaliter poſſit facere operationes, quas facit Deus; nempe, videre Deum, ut in ſe eſt actus purus, infinitus, & ens per eſſentiam. Eſt contra plures ex noſtris. Eam tamen docet Joan. à S. Thoma hic *Diſp.* 22. *a.* 1. & explicat exemplo Angeli inferioris, qui dum elevatur per illuminationem, ad cognoſcenda ea quæ cognoſcit Angelus ſuperior per ſuam naturam; nunquam tamen lumen, receptum in Angelo inferiori, ſubjectivè habebit eumdem modum, quem habet in ſuperiori, ſed ſolùm objectivè. Ita gratia eſt lumen participatum à divina natura in creaturâ rationali, ſimile quidem divino lumini objectivè; quia demonſtrat naturam, & omnia divina: non tamen ſubjectivè, quaſi continens eumdem modum, quo eſt in natura divinâ. Concluſio ſic explicata ſe expedit à pluribus difficultatibus, quibus implicatur contraria ſententia. Vix enim perceptibile eſt, quòd gratia ſit quid creatum, & finitum; & quòd participet aſſeitatem, rationem actus puri, infinitatem, & hoc ſubjectivè: imò, quòd hæc predicata, & alia ſimilia, ſint in aliqua re creatâ participabilia.

XII. Itaque natura divina, & divina prædicata duplicem habent infinitatem: unam entitativam ex parte ſubjecti, & principii; alteram ex parte objecti, & finis. Natura Dei, & omnia divina prædicata entitativè, & in ſe ſunt omnibus modis infinita, & reddunt ſuum principium infinitum: & hoc modo nec à gratia, nec ab ullo extra Deum participabilia ſunt. Infinitas autem objectiva, & terminativa poteſt à gratia participari: quia cùm gratia ſit radix videndi, & amandi Deum, ut in ſe eſt, & Deus ſit in ſe infinitus, æternus, omnipotens &c. ideo gratia ex parte termini, & objecti omnia iſta participat. Et ecce quomodo gratia entitativè finita ſit; ex parte autem termini, & objecti infinita, & divina.

§. III.

Aliqua contra Præfata.

XIII. ARgues primò, gratiam habitualem non eſſe formalem participationem naturæ divinæ. Nam 1. *Joann.* 3. *v.* 9. vocatur *Semen Dei*. At ſemen ſolùm virtualiter participat naturam generantis: nam ſemen arboris eſt arbor, non formaliter, ſed virtualiter ſolùm; ergo gratia non eſt formalis participatio naturæ Dei, ſed virtualis.

XIV. Reſpondeo, gratiam dici ſemen Dei, non relatè ad naturam Dei, cujus eſt participatio; ſed relatè ad viſionem beatam, quæ radicatur, & continetur in gratia, ſicut arbor in ſemine. Quod docuit Sanctus Thomas 1. *p. q.* 62. *a.* 3. dicens; *Gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, ſicut ratio ſeminalis in natura ad effectum naturalem.*

Digitized by Google

lem. *Unde* 1. *Joann*. 3. *Gratia* ſemen Dei *nominatur*.

XV. Argues ſecundò, gratiam eſſe participationem divinæ naturæ ſolùm moralem. Primò: quia *Matth*. 12. Chriſtus vocat fratres eos, qui fecerint voluntatem Patris ſui; ergo dicitur frater Chriſti per conformitatem cum Dei voluntate; ergo eâdem conformitate dicetur filius Dei: quia, qui eſt frater alicujus, ut natus à tali patre, eſt filius. Quod indicavit Paulus *Roman*. 8. *v*. 29. 30. dum ait: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit*. Quibus juſtificationem, quæ eſt effectus prædeſtinationis, in conformitate collocat Apoſtolus.

XVI. Reſpondeo, me non negare, filios Dei, & fratres Chriſti eſſe, qui faciunt voluntatem Dei Patris, & in hoc conformari Chriſto; qui, ut faceret voluntatem Patris ſui, factus eſt obediens uſque ad mortem. Dico tamen, quòd ſicut conformitas fratris cum fratre, & utriuſque cum patre fundatur in communicatione in eadem naturâ acceptâ à patre: ita fraternitas Juſti cum Chriſto Filio Dei naturali fundatur in gratia, quâ uterque communicat in natura Patris; Chriſtus quidem ſubſtantialiter, quia eſt Filius naturalis homo autem juſtus; ſolùm accidentaliter, quia filius adoptivus. Nec aliud intendit Paulus.

XVII. Argues tertiò. Paulus *ad Galat*. 3. *v*. 26. ait: *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem*: & tamen fides non eſt participatio formalis divinæ naturæ.

XVIII. Reſpondeo, Apoſtolum loqui de fide viva, quæ per dilectionem operatur, & eſt conjuncta cum gratia. Loquitur enim de fide, quà baptizati in Chriſto, Chriſtum induimus, & quâ cum Chriſto ſemen Abrahæ ſumus, ſecundùm promiſſionem hæredes. Unde Auguſt. *Epiſt*. 196. aliàs 200. *ad Aſellicum cap*. 3. ſtatuit differentiam inter nos, & Judæos; quòd nos ſumus Iſrael *ſecundùm ſpiritualem regenerationem*, *illi ſecundùm carnalem generationem*. Et poſt multa: *Sumus Iſrael adoptione divina, non humana cognatione glorientes*.

XIX. Argues quartò. Res etiam inanimes ex Deo naſci, & ex Deo generari dicuntur: Job 38. v. 28. *Quis eſt pluviæ pater? Vel quis genuit ſtillas roris?* Et tamen nec pluvia, nec ros participant formaliter naturam Dei.

XX. Reſpondeo, res inanimes dici à Deo generari, & ex Deo naſci generatione, & nativitate impropriè ſumtâ, ſicut omnis effectus oritur à ſua cauſâ: quâ etiam ratione homo ſecundùm naturam dici poteſt, naſci ex Deo, & à Deo generari. Verùm dum juſtificatur per gratiam, ita dicitur regenerari, & naſci ex Deo; ut fiat adoptione filius cum jure ad hæreditatem Dei, juxta illud Rom. 8. v. 17. *Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*. Quo fit, ut participes ſint divinæ naturæ.

XXI. Argues quintò. Ideo gratia eſt formalis participatio naturæ divinæ, quia conſtituit filium Dei adoptivum: ſed hoc, vel eſt falſum, vel non evincit intentum; ergo &c. Min. pro prima parte probatur. Tùm quia: in Chriſto fuit gratia habitualis; & tamen illum non reddidit filium Dei adoptivum. Tùm quia: filiatio eſt de genere relativi, gratia verò de genere abſoluti. — Pro ſecunda etiam parte prob. Nam non eſt de ratione adoptionis, quòd adoptans communicet naturam ſuam adoptato: ut patet in adoptione, quæ fit inter homines, in qua adoptatus non accipit naturam ab adoptante.

XXII. Reſpondeo, neg. min. pro utraque parte. Ad 1. probat. pro prima parte, dico, gratiam in Chriſto non feciſſe eum filium adoptivum: quia cùm ad adoptionem requiratur, quòd perſona ſit extranea naturæ adoptantis,

Digitized by Google

tis, Chriſtus autem, utpote perſona divina, ſit intraneus naturæ Dei, & Filius ejus naturalis; ideo incapax erat filiationis adoptivæ.

Ad ſecundam dico, gratiam eſſe quidem fundamentum filiationis adoptivæ, ſumtæ pro relatione filiationis, non verò ipſam filiationem: quemadmodum natura in filio eſt fundamentum filiationis naturalis, non ipſa filiatio.

XXIII. Ad probat. ſecundæ partis reſpondeo, quòd licèt de ratione adoptionis, quæ fit inter homines, non ſit communicatio naturæ adoptantis; benè tamen de ratione adoptionis, quâ homo adoptatur in filium Dei. Et ratio eſt: quia in humanis adoptio ſupponit, quòd adoptandus ſit ejuſdem naturæ cum adoptante, & habeat in ſe ſufficiens principium ad percipiendam ejus hæreditatem. Adoptio autem divina, cùm non ſupponat in homine ſimilitudinem in natura divinâ, nec ſufficientem aptitudinem ad percipiendam hæreditatem, debet illam efficere: & ſubinde ad divinæ naturæ participationem elevare adoptandum. Sed pro majori horum explicatione ſit

DUBIUM IV.

An Gratia conſtituat Hominem Filium Dei Adoptivum?

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. PRæmitto pro intelligentia Dubii definitionem adoptionis, quæ talis eſt: *Aſſumtio gratuita perſonæ extraneæ in filium, cum jure ad hæreditatem.* Quæ definitio aptari etiam poteſt adoptioni ſupernaturali, quâ homo adoptatur in filium Dei. Hæc enim eſt aſſumtio gratuita, ideſt, indebita; ideoque etiam voluntaria, & libera, tàm ex parte adoptantis, quàm adoptati. Unde Tridentinum, *Seſſ. 6. cap.* 7. deſcribens adoptionem hominis adulti, dicit, eam fieri *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Quoad infantes verò, & alios propriæ voluntatis, & libertatis uſu carentes; ſicut in adoptione humana ſupplet voluntas tutoris: ita in adoptione divina ſupplet voluntas Eccleſiæ. Eſt etiam perſonæ extraneæ Deo adoptanti: quia nulla creatura intellectualis habet ex ſe jus ad filiationem adoptivam Dei, ad bona eam conſequentia, & ad hæreditatem vitæ æternæ.

II. Suppono, ut fide certum, hujuſmodi adoptionis donum per merita Chriſti non ſolùm concedi iis, qui in lege nova juſtificantur; ſed iis quoque conceſſum fuiſſe, qui in lege veteri per fidem mediatoris juſtificabantur. De lege nova teſtis eſt Paulus, *Rom.* 8. *v.* 15. dicens: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (pater)* & ad Epheſ. 1. v. 1. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum.* Quod confitetur etiam Tridentinum, *Seſſ. 6. cap.* 4. De lege quoque veteri teſtis eſt idem Paulus, *Rom.* 9. *v.* 4. ubi ait: *Qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria.* Et Chriſtus ipſe, Math. 11. v. 26. *Non eſt bonum* (inquit) *ſumere panem filiorum, & mittere canibus:* ubi filios vocat Judæos, canes verò Gentiles. Et ſanè: qui enim juſtificabantur in lege veteri, acquirebant jus ad hæreditatem gloriæ: & licèt ingreſſus in eam eſſet pro eo tempore ſuſpenſus; jus tamen retinebant, qui in juſtitia decedebant, ad eam ſuo tempore obtinendam, ſicut de facto per Chriſti mortem conſecuti ſunt. Quamvis enim etiam modò, cum gratia confertur, adſint plura impedimenta, nempe, debitum multiplicis pœnæ luendæ ante ingreſſum, etiam poſt mortem; adhuc tamen per gratiam verè filii adoptivi ſumus, neque

que jus ad hæreditatem amittimus: ita neque veteris Teſtamenti Patres, quamvis in gloriam eis retardaretur ingreſſus. Hoc igitur ſuppoſito, quæſtio eſt: an forma, quâ filii adoptivi conſtituimur, ſit gratia.

III Leſſius vult, formam facientem nos filios Dei adoptivos eſſe Spiritum Sanctum; gratiam verò eſſe conditionem illum nobis applicantem. Scotus vult, formam adoptionis eſſe gratiam, non ratione ſuæ entitatis; ſed ex lege, & pacto Dei eam ad hoc deſtinantis: ſicut moneta Regio ſigillo ſignata habet valorem, quem ex ſe non haberet. Quid autem cum Noſtris dicendum judicemus, ſequentibus exponetur.

§. II.

Reſolutio Dubii.

IV. DIco. Gratia habitualis eſt forma ex natura ſua, omnique pacto ſecluſo, verè faciens hominem filium Dei adoptivum, eique dans jus ad hæreditatem Dei. Probatur ex dictis. Nam per gratiam, tanquam per formalem divinæ naturæ participationem, efficimur divinæ conſortes naturæ; ergo per illam efficimur filii Dei adoptivi. Conſeq. prob. Ille eſt filius alicujus, qui accipit naturam illius: ſi accipit ſubſtantialiter, eſt filius naturalis: ſi verò eam participat ſolum accidentaliter, eſt filius adoptivus. Quia igitur ſolum divinum Verbum accipit ſubſtantialiter naturam divini Patris, ipſum ſolum eſt filius naturalis Dei: nos autem, qui recipimus quamdam ſolùm participationem accidentalem divinæ naturæ, erimus filii Dei ſolum adoptivi.

V. Confirmatur. Adoptio, quæ non ſupponit in adoptato naturam adoptantis, non poteſt in alio meliùs fundari, quam in gratuita communicatione naturæ adoptantis: ſed adoptio hominis in filium Dei non ſupponit in homine naturam divinam, & hæc illi formaliter communicatur per gratiam ſanctificantem; ergo &c. Major prob. Tùm quia: adoptio debet ſupponere communionem in eadem natura; aliàs homo poſſet adoptare equum in filium, & Angelus hominem. Tùm etiam: quia in eo debet fundari filiatio adoptiva, ex quo adoptatus acquirit jus ad hæreditatem patris: atqui jus ad hæreditatem naſcitur ex communicatione naturæ; quia hæreditas Dei adoptantis eſt gloria æterna, & viſio clara Dei: jus autem ad iſta oritur ex gratia, quæ cùm ſit divinæ naturæ formalis participatio, eſt radix Deum clarè videndi, & amandi, ut eſt in ſe; ergo &c. — Quare magis urgetur. Ex eo enim habet homo, quòd ſit filius adoptivus Dei, ex quo primò habet, quòd communicet in bonis Dei: ſed hoc primò habet ex gratia, cum qua primò veniunt omnia bona ſupernaturalia, & propria Dei; ergo &c.

VI. Quòd verò hoc præſtet gratia ſe ſolâ, & ex vi ſuæ perfectionis, & non ex pacto, aut conditione extrinſeca, ut vult Scotus: probo primò ex Tridentino *Seſſ. 6. cap. 7.* ubi aſſignans cauſam formalem noſtræ juſtificationis, ait: *Demum unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ juſtos nos facit: quâ videlicet renovamur ſpiritu mentis noſtra &c.* Ex quibus diſcurro ſic: ex Concilio unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis eſt gratia, ſeu juſtitia, quâ Deus juſtos nos facit; ergo unica cauſa formalis noſtræ adoptionis in filios Dei eſt gratia; quia Concilium pro eodem reputat juſtificari, & renovari, ſeu regenerari in filios Dei: ſed ſi gratia non ſe ſolâ, ſed ex pacto Dei nos juſtificaret, ac regeneraret, non benè dixiſſet Concilium, quòd ſit unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis, & regenerationis; ergo &c.

Secundò probo. Illa forma ſeipſâ, nullo extrinſeco expectato, ſufficiens eſt ad fundandam filiationem adoptivam,

vam, quæ ſufficiens eſt ad communicandam naturam: ſed gratia habitualis, cùm ſit ex dictis formalis participatio accidentalis divinæ naturæ, ſufficiens eſt ad naturam divinam communicandam; ergo &c.

Si dicas: quòd eſtò ad communicationem ſubſtantialem naturæ ſequatur filiatio naturalis, & jus ad hæreditatem: non tamen ad communicationem ſolùm accidentalem divinæ naturæ ſequitur filiatio adoptiva, & jus ad hæreditatem gloriæ, niſi accedat favor Dei acceptantis.

VII. Sed contra. Licèt favor ſit Dei, quòd comunicet homini ſuæ naturæ participationem: hâc tamen communicatâ nullus alius favor requiritur, ut homo ſit filius cum jure ad Dei hæreditatem. Quia dando participationem ſuæ naturæ dat donum, quod eſt radix videndi, & amandi Deum, ut eſt in ſeipſo; & cui debita eſt tanquam actus proportionatus talis viſio, & amor, in quo conſiſtit hæreditas Dei. Si enim lumen gloriæ per modum principii proximi dat jus connaturaliter ad viſionem: cùm gratia ſit radix hujus luminis, cur ſaltem jus radicale, & remotum non præſtabit?

§. III.

Rationes Contrariæ.

VIII. Objicies primò pro Leſſio. Spiritus Sanctus eſt, qui nos facit filios adoptivos Dei. Rom. 8. v. 14. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*. Et v. 15. *Accepiſtis Spiritum adoptionis*. Item Joann. 6. v. 64. *Spiritus eſt, qui vivificat*. Et Galat. 5. v. 25. *Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus*.

IX. Reſpondemus, hæc, & ſimilia teſtimonia ſolùm indicare, vivificationem, & adoptionem tribui Spiritui Dei effectivè, non formaliter; quaſi Spiritus Sanctus ſit cauſa formalis vitæ, & adoptionis: quod evincitur ex verbis illis: *quicumque ſpiritu Dei aguntur*, agimur enim à cauſa agente, ſeu efficiente. Spiritus ergo vivificat, Spiritu vivimus, quia Spiritus Sanctus infundit nobis formam, quâ ſpiritualiter vivimus. Unde, *Rom.* 5. *v.* 5. dicitur: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*.

X. Objicies ſecundò. Satisfactio Chriſti, quâ pro nobis ſatisfecit, communicatur nobis, ita ut per illum, & in illo ſatisfaciamus; ergo & juſtitia Chriſti communicatur nobis, ut per illam ſimus formaliter juſti, & filii adoptivi. Conſ. prob. Quia ſatisfactio inhæret Chriſto non minùs, ac juſtitia ejus, cùm utraque ſit actus immanens.

XI. Reſpondeo in primis, ſatisfactionem Chriſti eſſe quidem cauſam meritoriam, non tamen formalem noſtræ juſtificationis. Ita Trident. *Seſſ.* 6. *cap.* 7. ubi aſſignans cauſas noſtræ juſtificationis, ait: *Meritoria autem dilectiſſimus Unigenitus ſuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui.... ſuâ ſanctiſſimâ paſſione in ligno Crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit*. Imò ſicut, eſtò Chriſtus ſatisfecerit, exiguntur tamen etiam ſatisfactiones noſtræ; quamvis in ipſo, & per ipſum mereamus, & ſatisfaciamus, ut docet idem Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 8. ita quamvis juſti ſimus in Chriſto, & per Chriſtum; adhuc tamen ut juſti ſimus, indigemus juſtitiâ nobis per Chriſtum collatâ. Conſerantur hæc cum iis, quæ dicta ſunt *Dub.* 1.

Dato támen antecedente, nego conſ. Ad probat. diſt. Satisfactio eſt purè immanens, nego ant. Tranſiens in exteriorem materiam, co. ant. Differunt ergo juſtitia, & ſatisfactio: quia juſtitia eſt purè immanens, & unicè reſpicit ſubjectum, in quo eſt, illud renovans, & ſanctificans; ſicut & actus contritionis ita reſpicit ſubjectum, quod conteritur, ut nequeat alteri communicari, aut unus pro altero con-

conteri, neque unus pro alio ſcire, aut actum prudentiæ facere. Quare juſtitia unius nequit alium juſtificare. At ſatisfactio reſpicit medium exterius, ſeu proportionem rei ad rem: unde ſicut aliquis poſſet pro alio ſatisfacere, ſolvendo pro illo debitum ex amicitia, vel caritate; ita Chriſtus ſua ſatisfactione potuit pro nobis ſatisfacere: maximè cùm ſe habeat ut Caput conſtituens unam Perſonam miſtycam cum nobis, qui ſumus membra.

Ut tamen hæc ſolutio meliùs intelligatur, ſciendum ex D. Thoma 1. 2. *q.* 64. *a.* 2. *in corp.* & 2. 2. *q.* 58. *a.* 10. *in corp.* aliquas virtutes reſpicere ſolùm medium rationis, alias medium rei. Illæ reſpiciunt medium rationis tantùm, quæ ordinantur præcisè ad rectificandam rationem ipſius operantis;quales ſunt virtutes ordinatæ ad rectificandam iram, & concupiſcentiam: & hujuſmodi actiones taliter ordinantur ad perficiendum ſubjectum, in quo ſunt, ut nequeant ad aliud comparari. Sic nemo poteſt eſſe caſtus, & temperans temperantiâ alterius, nemo poteſt mereri formaliter merito alieno, conteri contritione aliena. Aliæ verò reſpiciunt etiam medium rei; quarum operationes reſpiciunt materiam exteriorem, proportionem habentem ad externam perſonam. Et tale eſt medium, quod reſpicit juſtitia, cujus actus eſt ſatisfactio: ideoque poteſt juſtitia unius pro altero ſatisfacere, ponendo æquale. Et ſic Chriſtus ſuâ ſatisfactione potuit pro nobis ſatisfacere; non autem juſtitiâ, quâ in ſe juſtus eſt, ſeu gratiâ ſuâ nos juſtificare.

XII. Objicies tertiò pro Scoto. Ideo gratia ſe ſolâ conſtitueret filium adoptivum, quia dat jus ad hæreditatem Dei: ſed hoc vel eſt falſum, vel non convincit; ergo &c. Min. pro prima parte prob. primò. Ratio, ob quam daret tale jus, eſſet, quia per eam homo fit particeps naturæ divinæ: ſed hoc non evincit; nam magis conveniunt in participanda naturâ humana duo homines, qui in ea conveniunt univocè, quàm homo juſtus cum Deo in natura divina, in qua ſolùm analogicè convenit: ſed convenientia in natura humanâ non ſufficit, ut unus homo habeat jus ad hæreditatem alterius; ergo neque &c. — Secundò. Non minor in operibus Juſtorum gratiâ, & caritate informatis eſt proportio cum gloria, ut mercede, quàm in gratia ſanctificante cum viſione beata, ut hæreditate: ſed in operibus Juſtorum non datur jus ad gloriam, ut mercedem, niſi intuitu promiſſionis, & ordinationis divinæ, ut dicemus; ergo neque in gratia ſanctificante erit jus ad viſionem Dei, ut hæreditatem, niſi accedente pacto, & ordinatione divina.

Pro ſecunda etiam parte probatur. Spiritus Sanctus habet jus ad hæreditatem Dei; & tamen non eſt filius naturalis ejus. Rurſus: omnes conſanguinei habent jus ad hæreditatem; & tamen non ſunt filii: & nepos eſt hæres avi, cujus tamen non eſt filius. Licèt ergo omnis filius ſit hæres, ſecundùm Apoſtolum; non tamen omnis hæres eſt filius.

XIII. Reſpondeo, neg. min. pro utraque parte. Ad primam prob. primæ partis, nego min. Ad probationem ibi ſubjunctam dico, quòd, ut aliquis habeat jus ad hæreditatem alterius, non ſufficit, ut conveniat in natura cum illo; ſed requiritur, ut conveniat in natura participatâ ab illo: cùm ergo duo homines conveniant quidem in natura, ſed natura unius per hoc præcisè non ſit accepta ab alio: ideo ex hac purâ convenientiâ nec tenetur ipſum alere, nec ad hæreditatem vocare. At homo juſtus, & convenit in natura, ſaltem analogicè, cum Deo, & habet illam à Deo participatam: & ideo eâdem actione illi dat jus ad hæreditatem, ſicut pater filio adoptivo.

Ad ſecundam probationem primæ partis, nego conſ. & ratio diſcriminis eſt. Quia jus meritorium, quod habent

habent opera Juſtorum ad gloriam, ut mercedem, vel eſt fidelitatis, vel juſtitiæ, vel gratitudinis. Si eſt fidelitatis, fundari debet in promiſſione. Si juſtitiæ, vel gratitudinis, tale jus in pura creaturâ abſque pacto Dei dignitati operum ſuperaddito nequit ſubſiſtere: quia cùm opera Juſtorum ſint multis titulis Deo debita; quòd Deus velit ea remunerare, vel ex juſtitia, vel gratitudine, oritur ex pacto, & conventione à Deo ex ſua benignitate ſtatutâ, ea acceptandi ad talem mercedem. At jus fundatum in gratia ad gloriam, ut hæreditatem, eſt jus connaturalitatis, quod habet gratia, ex quo eſt participatio formalis divinæ naturæ: unde eo ipſo, quòd Deus infundit gratiam, cum ea infundere debet jus ad hæreditatem. Sicut ſuppoſito, quòd Deus creet Angelum, debet cum natura, debito connaturalitatis, ei infundere ſpecies ad intelligendum.

XIV. Ad prob. ſecundæ partis, dico, Spiritum Sanctum habere jus ad hæreditatem Dei, quia ex parte rei acceptæ accipit naturam à Patre: non tamen dici filium naturalem, quia illam non accipit ex vi ſuæ proceſſionis, ut ſuo loco diximus; quod ad filiationem naturalem requiritur, non tamen ad filiationem adoptivam. Ad hanc enim ſatis eſt, eam ex parte rei acceptæ accipere cum jure ad hæreditatem: & ideo gratia, quæ dat jus gratuitum ad hæreditatem gloriæ, facit nos filios adoptivos Dei. — Conſanguinei autem ſuccedunt in hæreditate, non naturali jure: hoc enim in ſola communicatione naturæ fundatur, quæ inter conſanguineos non datur. — Nepos autem eſtò non accipiat immediatè naturam ab avo, eam tamen accipit mediatè: & ideo jus naturale habet ad hæreditatem avi.

Ad id autem, quod poſtremò additur, concedo, quòd non omnis hæres ſit filius: dico tamen, quòd omnis accipiens naturam ab aliquo eſt hæres illius; quia ad eum, qui naturam dedit, ſpectat naturam conſervare: & hoc ſolùm inferimus ex gratia. Quòd autem jus ad hæreditatem ratione gratiæ inferat filiationem adoptivam; deducimus ex eo, quòd homo per gratiam accipit participationem divinæ naturæ à Deo, per ſe primò intendente talem communicationem, ex qua ſequitur filiatio adoptiva. Sicut in humanis unus homo dicitur adoptare, alium, tanquam filium; quia intendit illum ſic unire ſibi, quaſi ab illo accepiſſet naturam. Et quia Deus ſic gratioſè naturam ſuam communicat homini per gratiam, ut illum ſibi uniat, dando ei jus ad ſe videndum, fruendum &c. dicitur aptiſſimè, eum in filium adoptare.

XV. Objicies quartò. Poteſt Deus ſuâ potentiâ abſolutâ homini exiſtenti in gratia, & in illa perſeveranti negare in perpetuum gloriam: ſed homo ſic excluſus filius Dei adoptivus non eſſet: tùm quia: non ſtat filiatio adoptiva ſinè acceptatione ad hæreditatem adoptantis. Tùm quia: utpote ab ea excluſus per voluntatem Dei, cenſeretur etiam privatus jure ad hæreditatem; ergo gratia abſque pacto Dei non facit filium adoptivum.

XVI. Reſpondeo, omiſſa majori (quam tamen aliqui etiam ex Noſtris negant) negando min. Ad primam probat. dico, non ſubſiſtere quidem filiationem adoptivam ſinè acceptatione ad hæreditatem tàm in re, quàm in jure; ſubſiſtere tamen cum acceptatione in jure, eſtò acceptatio in re denegetur, ut etiam in humanis patet. Si enim Petrus adoptaret Joannem in filium, & poſtea nullâ causâ legitimâ, ipſum excluderet ab hæreditate, non deſineret eſſe filius adoptivus illius: quia jus ad illam ex vi præcedentis adoptionis haberet. Cùm ergo, quouſque perſeverat gratia in homine juſto, ex vi illius maneat jus ad hæreditatem Dei; etiamſi ipſum excluderet ab hæreditate, adhuc maneret filius Dei adoptivus.

Neque obeſt ſecunda probatio. Vo-

lun-

Digitized by Google

luntas enim Dei denegantis gloriam Juſto, privaret quidem ipſum actuali conſecutione gloriæ; non tamen jure, & dignitate connaturali ad eam obtinendam, quouſque in illo conſervaret gratiam: ut ſi Deus à natura productâ ſuſpenderet reſultantiam proprietatum, tunc talis natura careret quidem proprietatibus, non tamen debito connaturali habendi illas.

XVII. Obiicies quintò. Poteſt Deus alicui velle efficaciter gloriam abſque voluntate efficaci dandi illi gratiam: ſed iſte eſſet verè filius adoptivus, eſſet enim aſſumtus ad hæreditatem; ergo &c.

XVIII. Reſpondeo, datâ maj. neg. min. Non enim quæcumque aſſumtio ad hæreditatem facit filium adoptivum, ſed ſola aſſumtio communicans affectivè naturam. Et in humanis conſtat: non enim quicumque vocatur ad hæreditatem, cenſetur filius adoptivus; ſed ille ſolùm, qui cum affectu communicandi ei naturam vocatur: aliàs omnes hæredes inſtituti eſſent filii adoptivi. Cùm ergo in caſu Deus vellet quidem, homini illi dare ſuam hæreditatem, ſed non vellet, ſaltem efficaciter, illi communicare naturam; non cenſeretur, velle eum adoptare in filium: ad filiationem enim communicatio naturæ requiritur; ad naturalem, communicatio effectiva, ad adoptivam, affectiva. Imò ad adoptionem divinam non ſufficit voluntas conditionata, & inefficax communicandi naturam, eſtò ſufficiat in adoptione humana: quia homo nonniſi unâ viâ poteſt efficaciter communicare naturam; Deus autem duplici, nempe, univocè filio naturali, & ſecundùm analogam participationem filio adoptivo. Unde adoptio humana ſupponit in adoptando naturam; adoptio divina eam dat. Ita S. Thomas 3. *p. q.* 23. *a.* 1. *in corp.* dicens: *Hoc autem plus habet adoptatio divina, quàm humana: quia Deus hominem, quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hæreditatem cœleſtem percipiendam; homo autem non facit idoneum eum, quem adoptat, ſed potiùs eum jam idoneum eligit adoptando.* Quòd ſi Deus hominem non habentem gratiam raperet ad viſionem beatam; eum raperet ut hæredem, ſed non ut filium etiam adoptivum.

XIX. Si tandem objicias. Gratia ſe ſolâ ſinè acceptatione extrinſeca Dei non ſufficit ad remittendum peccatum; ergo neque ad conſtituendum filium Dei adoptivum.

Reſpondeo, neg. ant. de quo dicemus infra. Cùm enim per voluntariam ſuſceptionem gratiæ excludatur voluntas perſeverandi in privatione gratiæ, ex qua erat in ſtatu peccati, excluditur abſque ullo extrinſeco peccatum: ſicut poſitâ luce excluduntur tenebræ, Sed de hoc infra

§. IV.

Aliqua Quæſita reſolvuntur.

XX. Queres primò: An adoptare creaturam rationalem in filium ſit proprium alicujus divinæ Perſonæ?

Reſpondeo, adoptare creaturam rationalem, cùm ſit opus ad extra, non eſſe proprium alicujus Perſonæ divinæ, ut diſtinctæ ab aliis, ſed commune toti Trinitati. Ita S. Thomas 3. *p. q.* 23. *a.* 2. his verbis: *Hæc eſt differentia inter filium Dei adoptivum, & naturalem; quòd Filius Dei naturalis eſt genitus, non factus: filius autem adoptivus eſt factus, ſecundùm illud Joan.* 1. Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri. *Dicitur tamen quandoque filius adoptivus eſſe genitus, propter ſpiritualem regenerationem, quæ eſt gratuita, non naturalis. Unde dicitur Jacobi* 1. Voluntariè genuit nos verbo veritatis. *Quamvis autem generare in divinis ſit proprium Perſonæ Patris; tamen facere quemcumque effectum in creaturis eſt commune toti Trinitati, propter unitatem naturæ: quia ubi eſt una natura, oportet, quòd ſit una virtus, & una operatio.*

tio. Unde Dominus dicit Joan. 5. Quæcumque Pater facit, hæc Filius ſimiliter facit. *Et ideo adoptare homines in filios Dei, convenit toti Trinitati.* Ita S. Thomas, qui tamen ibid. *ad* 3. addit, quòd *Adoptatio licèt ſit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri, ut auctori; Filio, ut exemplari; Spiritui Sancto, ut imprimenti in nobis hujus ſimilitudinem exemplaris.*

XXI. Nec dicas primò. Ejus ſolùm eſt adoptare, cujus eſt generare filios: ſed ſolius Patris eſt generare filium; ergo ſolius Patris eſt adoptare — Secundò. Per adoptionem efficimur fratres Chriſti, ſecundùm illud Roman. 8. v. 29. *Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus.* Fratres autem dicuntur, qui ſunt Filii unius Patris: unde & Dominus dicit, Joan. 20. v. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum;* ergo ſolus Pater Chriſti habet filios adoptivos.

XXII. Nam reſpondet S. Thom. a. 2. citato ad 1. *Quòd omnes perſonæ humanæ non ſunt unius naturæ ſecundùm numerum*; *ut oporteat, unam eſſe operationem tantùm, & unum effectum, ſicut accidit in divinis.* Et ideo non ſequitur: ſolus Pater poteſt generare; ergo ſolus Pater poteſt adoptare. Quia adoptatio, cùm ſit effectus ad extra, debet eſſe communis omnibus Perſonis, quarum eſt una operatio, & unus effectus ad extra —. Ad ſecundum (reſpondet idem S. Doct. ibi.) *Dicendum, quòd nos per adoptionem efficimur fratres Chriſti, quaſi eumdem Patrem habentes cum ipſo: qui tamen alio modo eſt Pater Chriſti, & alio modo eſt Pater noſter. Unde ſignanter Dominus, Jon.* 20. *ſeorſum dixit*, Patrem meum, & *ſeorſum dixit*, Patrem veſtrum. *Eſt enim Pater Chriſti naturaliter generando, quod eſt proprium ſibi: eſt autem Pater noſter, voluntariè aliquid faciendo, quod eſt commune ſibi, & Filio, & Spiritui Sancto: & ideo Chriſtus non eſt Filius totius Trinitatis, ſicut nos.*

XXIII. Quæres ſecundò: Cùm adoptio ſit inſtituta in defectum filiationis naturalis, cur Deo, qui habet Filium naturalem, aſſignamus filios adoptivos? Rurſus: Cùm aliquis adoptetur in filium, ut in hæreditate patri ſuccedat; cur Deus, qui nunquam decedit, adoptat Flios?

Utrique quæſito reſpondet S. Thomas citatâ 3. *p. q.* 23. *a.* 1. *ad* 2. & 3. Ad primum enim dicit, quòd adoptio in humanis eſt ad ſupplendam indigentiam; in Deo autem eſt *ad communicandam ſuæ perfectionis abundantiam. Et ideo ſicut per actum creationis communicatur bonitas divina omnibus creaturis, ſecundum quamdam ſimilitudinem: ita per actum adoptionis communicatur ſimilitudo naturalis filiationis hominibus, ſecundùm illud Rom. 8. v. 29.* Quos præſcivit, conformes fieri imaginis Filii ſui.

Ad ſecundum quæſitum reſpondet: *Quòd bona ſpiritualia poſſunt ſimul à pluribus poſſideri, non autem bona corporalia. Et ideo hæreditatem corporalem nullus poteſt percipere, niſi ſuccedens decedenti: hæreditatem autem ſpiritualem ſimul omnes ex integro accipiunt ſinè detrimento patris ſemper viventis. Quamvis poſſet dici, quòd Deus decedit, ſecundùm quòd eſt in nobis per fidem, ut incipiat in nobis eſſe per ſpeciem: ſicut Gloſſa* (ordin.) *dicit, Rom.* 8. *ſuper illud:* Si filii, & hæredes.

XXIV. Quæres tertiò: Utrum adoptari ſit proprium creaturæ rationalis?

Reſpondet S. Thom. 3. p. qu. 23. laudatâ a. 3. *Quòd adoptari convenit ſoli creaturæ rationali, non tamen omni; ſed ſolùm habenti caritatem, quæ eſt diffuſa in cordibus noſtris, ut dicitur, Rom. 5. & ideo Rom. 8. Spiritus Sanctus dicitur, Spiritus adoptionis filiorum.* Probat hoc S. Doctor hâc pulcherrimâ doctrinâ: *Filiatio adoptionis eſt quædam ſimilitudo filiationis naturalis: Filius autem Dei naturaliter procedit à Patre, ut Verbum intellectuale, unum cum ipſo Patre exiſtens. Huic ergo Verbo tripliciter poteſt aliquid aſſimilari. Uno quidem modo ſecundùm rationem*

Digitized by Google

nem formæ, non autem ſecundùm intellectualitatem ipſius: ſicut forma domus exteriùs conſtituta aſſimilatur verbo mentali artificis, ſecundùm ſpeciem formæ, non autem ſecundùm intellectualitatem; quia forma domus in materia non eſt intelligibilis, ſicut erat in mente artificis. Et hoc modo Verbo æterno aſſimilatur quælibet creatura, cùm ſit facta per Verbum. Secundo modo aſſimilatur creatura Verbo, non ſolùm quantùm ad rationem formæ, ſed etiam quantùm ad intellectualitatem ipſius; ſicut ſcientia, quæ fit in mente diſcipuli, aſſimilatur verbo, quod eſt in mente magiſtri. Et hoc modo creatura rationalis, etiam ſecundùm ſuam naturam, aſſimilatur Verbo Dei. Tertiò modo aſſimilatur creatura Verbo Dei æterno ſecundùm unitatem, quam habet ad Patrem; quod quidem fit per gratiam, & caritatem: unde Dominus orat, Joan. 17. Sint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus. *Et talis aſſimilatio perficit rationem adoptionis, quia ſic aſſimilatis debetur hæreditas æterna.* Hæc D. Thom. qui ibi *ad* 3. addit: quòd eſtò *adoptio propria ſit ſolius creaturæ rationalis: quia tamen non eſt proprium conſequens naturam, ſed conſequens gratiam, cujus natura rationalis eſt capax: ideo non oportet, quòd omni rationali creaturæ conveniat, ſed quòd omnis rationalis creatura ſit capax adoptionis.*

Hinc fit, quòd Angeli, utpote creaturæ rationales perfectæ, capaces ſunt filiationis adoptivæ Dei. Unde *Job.* 1. *v.* 6. dicitur: *Quadam autem die cùm veniſſent filii Dei, ut aſſiſterent coram Domino:* ubi filii Dei intelliguntur Angeli. Non quia filiatio adoptionis *ipſis primò conveniat: ſed quia ipſi primò adoptionem filiorum receperunt;* ut docet S. Thom. citato *a.* 3. *ad* 2.

DUBIUM V.

Utrum Gratia Habitualis ſit realiter idem cum Caritate.

§. I.

Reſolutio.

I. PRocedit præſens quæſitum de gratia, & habitu caritatis, non verò de habitu fidei, & ſpei: quia cùm de fide ſit tenendum, hos duos habitus remanere in peccatore, in quo non eſt gratia, ut ſtatuit Trident. *Seſſ. 6. cap.* 15. & *Can.* 28. certum eſt, à gratia realiter diſtingui, cùm realiter à gratia ſeparati exiſtant. Procedit etiam de gratia habituali, quæ eſt interior renovatio, & ſanctificatio animæ; non verò de actuali, & tranſeunte, quâ anima non juſtificatur, ſed ſolùm ad juſtificationem diſponitur.

II. Quidam, ut refert S. Thom. hâc 1. 2. *q.* 110. *a.* 3. & *Q.* 27. *de Verit. a.* 2. poſuerunt, idem eſſe gratiam, & virtutem, ſeu caritatem ſecundùm eſſentiam; ſed differre ſolùm ſecundùm rationem: ut gratia dicatur, ſecundùm quòd facit hominem Deo gratum, vel ſecundùm quòd gratis datur; virtus autem, ſeu caritas, ſecundùm quòd perficit ad benè operandum: & hoc ſenſiſſe videtur Magiſter in 2. *diſt.* 26. Quam opinionem amplexus fuit Scotus, & ſequuntur ejus diſcipuli, Durandus, multique ex Societate. Sed gratiam diſtingui realiter à caritate, tanquam probabilius, docet S. Thom. citatis locis, & cum eo omnes ejus doctrinæ Sectatores. Quare

III. Dico. Gratia habitualis, & habitus caritatis realiter diſtinguuntur. Videtur magis conſonum modo loquendi Scripturæ, & Conciliorum: cùm enim loquuntur de gratia, & caritate, de illis, tanquam de duobus donis diſtinctis, loquuntur; ut Roman.

5. v. 5.

Digitized by Google

5. v. 5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Super quæ S. Thom. *Qu.* 27. citatâ *de Verit art.* 2. *in arg.* Sed contra: *Ergo* (inquit) *datio Spiritus Sancti praecedit caritatem, ſicut cauſa effectum: ſed Spiritus Sanctus datur ſecundùm aliquod donum ſuum; ergo aliquod donum eſt in nobis, quod praecedit caritatem, & hoc non videtur eſſe aliud, quàm gratia; ergo gratia eſt aliud, quàm caritas*. Hoc idem confirmat S. Thomas, tùm ibi, tùm hâc *q.* 110. *a.* 3. in arg. *Sed contra*. Quia S. Augſt. *l. de Dono perſever. c.* 16. dicit, quòd *Gratia prævenit caritatem*. Loqui autem Auguſtinum de gratia, quæ eſt donum habituale, conſtat; quia loquitur de gratia, quæ eſt etiam in parvulis: ſed nihil præcedit ſeipſum; ergo gratia non eſt idem, ac caritas.

IV. Confirmatur, oſtendendo Scripturam loqui de gratia, & caritate, tanquam de duobus donis diſtinctis. 2. *Cor.* 13. *v.* 13. dicitur: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei &c.* & 1. ad Timoth. 1. v. 14. *Superabundavit autem gratiâ Domini noſtri cum fide, & dilectione*; ubi gratiam à caritate diſtingvi inſinuatur, ſicut à fide: cùm ergo realiter diſtinguatur à fide; ergo conſequens eſt, ut realiter etiam diſtinguatur à dilectione. Concilium quoque Tridentinum, *Seſs. 6. cap.* 7. ubi docet, hominem juſtificari *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*: quòd in juſtificatione *hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & caritatem*. Can. 11. ubi damnat, qui dixerit, hominem juſtificari *excluſâ gratiâ, & caritate*, ſecundùm proprietatem locutionis dogmaticæ intelligendum eſt, accipere gratiam, & caritatem, tanquam duo diverſa dona.

V. Urgetur hoc magis. Priùs eſt, animam diligi à Deo, quàm animam diligere Deum, ut docet S. Joann. Ep. 1. c. 4. v. 10. *In hoc eſt caritas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*; ergo priùs eſt, Deum diligendo infundere donum in anima, quo fiat objectum dilectionis divinæ (quia Deus amando non ſupponit, ſed facit objectum amabile, & bonum, ut ſupra *Dub.* 1. oſtendimus) quàm animam per caritatem diligere Deum: ſed donum, quo anima fit objectum divinæ dilectionis ſupernaturalis, eſt gratia; ergo gratia eſt prior, & diſtincta à caritate.

VI. Probo nunc ratione S. Thomæ citatis locis ſub hac formâ. Caritas eſt virtus in ordine ſupernaturali; ergo debet ſupponere ſubjectum, in quo eſt, in eſſe naturæ in tali ordine jam conſtitutum; ergo debet in eo ſupponere gratiam, quæ in ordine ſupernaturali obtinet locum naturæ, ut diximus. Prior conſequ. prob. *Virtus eſt* (inquit Philoſophus 7. Phyſ. text. 17.) *quædam diſpoſitio perfecti: dico autem perfectum, quod eſt diſpoſitum ſecundùm naturam*; ergo (ſubjungit D. Tho.) *virtus uniuſcujuſque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam praexiſtentem; quando ſcilicet unumquodque ſic eſt diſpoſitum, ſecundùm quòd congruit ſuæ naturæ*.

Explicat autem hoc S. D. hoc diſcurſu à pari. Virtutes acquiſitæ per actus humanos ſunt diſpoſitiones, quibus homo convenienter diſponitur in ordine ad naturam, quâ homo eſt, & in qua genitus, & natus; ergo virtutes infuſæ, quæ diſponunt hominem ad altiorem finem, diſponent ipſum convenienter ad altiorem naturam, ad quam elevatus, in qua regeneratus, & renatus eſt: hæc autem eſt lumen gratiæ, ſecundùm quòd dicitur 2. Petri 1. v. 4. *Maxima, & pretioſa vobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*; ergo caritas, quæ eſt virtus infuſa, ſupponit hominem jam conſtitutum in eſſe naturæ in ordine ſupernaturali per gratiam, & proinde ab hac diſtinguitur. — Et confirmat S. D.

Lumen

Lumen naturale rationis eſt aliquid, præter virtutes aquiſitas, quia diſponunt hominem, ut ambulet ſecundùm lumen naturalis rationis: ſed etiam virtutes infuſæ diſponunt hominem, ut ambulet ſecundùm lumen gratiæ, quâ renatus eſt in filium lucis: unde ait Paulus ad Epheſ. 5. v. 8. 9. *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate.* Ex quibus concludit S. Tho. *Sicut enim virtutes acquiſitæ perficiunt hominem ad ambulandum, ſecundùm quòd congruit lumini naturali rationis* (& ſunt fructus illius.) *ita virtutes infuſæ perficiunt hominem ad ambulandum, ſecundùm quòd congruit lumini gratiæ* (& ſunt fructus illius.)

VII. Alia ratio, præcedenti conformis, ſumitur ex eodem S. Doctore Q. 27. *de Verit. a.* 2. Rationi conſonum eſt, ut Deus eodem proportionali modo perficiat naturam in ordine ſupernaturali, quo in ordine naturali: ſed in ordine naturæ ita rem conſtituit, ut primò det illi naturam, deinde potentias, & virtutes agendi, tanquam connexas cum forma, & in ea radicatas: ſicut terræ dedit naturam, per quam ſibi competit eſſe in medio, & hanc naturam ſequitur inclinatio in locum medium, deinde motus ad tale medium, niſi detineatur; ergo naturam ſublevans ad divinum ordinem, primò dat formam, quâ conſtituatur in eſſe divino cum jure ad divinas operationes, & finem ſupernaturalem; & hæc eſt gratia gratum faciens: deinde virtutes operativas, ipſi gratiæ tanquam eſſentiæ, & radici conjunctas. *Et ideo* (concludit S. Tho. laudato loco) *ſicut in rebus naturalibus eſt aliud natura ipſa, quàm inclinatio naturæ, & ejus motus, vel operatio: ita & in gratuitis eſt aliud gratia à caritate, & cæteris virtutibus. Et quòd hæc comparatio ſit rectè accepta, patet per Dionyſ. in 2. cap. Cæleſt. Hierarch. ubi dicit, quòd non poteſt aliquis habere ſpiritualem operationem, niſi priùs eſſe ſpirituale accipiat: ſicut nec operationem alicujus naturæ, niſi priùs habeat eſſe in natura illâ.*

VIII. Reſpondebis, comparationem hactenus factam non tenere: quia forma, quæ dat eſſe naturale, eſt ſubſtantialis: & ideo ex hoc illi repugnat ſe ipsâ eſſe principium immediatum operandi in illo ordine. At gratia, quæ dat eſſe ſupernaturale, eſt accidens: & ideo ſicut calor, quia eſt accidens, dat eſſe calidum, & ſimul eſt principium calefactionis immediatum; ita gratia dabit ſimul eſſe ſupernaturale, & erit principium operationum in tali ordine.

IX. Sed contra primò. Nam licèt gratiæ, ex quo eſt accidens, non repugnet eſſe immediatum operationis principium; ex quo tamen eſt participatio divinæ naturæ per ſe primò data, ut conſtituat per modum naturæ hominem in ordine ſupernaturali, hoc illi repugnat. Sanctus enim Tho. non ſolùm probat, naturam in ordine naturali diſtingui à ſuis virtutibus, quia illa eſt in genere ſubſtantiæ, & iſtæ accidentis; ſed etiam, quia natura per ſe primò reſpicit eſſe, tanquam ſuum actum, virtutes autem per ſe primò reſpiciunt operationem: oportet autem, potentias ſecundùm actus diverſificari, ut docet Q. *de Spir. creat. a.* 11. Unde ſicut propter diverſitatem operationum, ad quas per ſe ordinantur, diſtinguuntur potentiæ invicem: ita multò magis debent diſtingui à natura, quæ per ſe reſpicit actum alterius generis, nempe, *eſſe*: cùm ergo gratia, tanquam natura in ordine ſupernaturali, reſpiciat primò *eſſe* in tali ordine, non poteſt per ſe reſpicere operationem in tali ordine. Nec eſt ſimile de calore: nam calor eſt accidens ſupponens naturam, non verò eſt accidens conſtituens naturam, & dans primum eſſe, ſicut eſt gratia in ordine ſupernaturali.

X. Con-

X. Contra ſecundò. Etſi gratia ſit accidens, non tamen eſt principium immediatum intelligendi in ordine ſupernaturali, ſed id præſtat mediâ fide, vel lumine gloriæ; ergo multò minùs erit principium proximum diligendi Deum in eodem ordine; cùm vis intelligendi proximior ſit naturæ, quàm vis appetendi: vis enim appetitiva oritur à natura, mediâ vi intellectivâ. Quare D. Thomas 1. *p. q.* 19. *a.* 1. probat, in Deo eſſe vim volitivam, quia in eo eſt vis intellectiva.

§. II.

Argumenta Contraria.

XI. PRimò objiciunt Scotiſtæ, & alii. Scripturæ, & Patres, & Concilia, omnia, quæ attribuuntur gratiæ, nempe, juſtificare, expellere peccatum, facere amicum Dei, attribuunt etiam caritati; ergo ea conſiderant tanquam unum, & idem. Ant. probant. Nam 1. *Petri* 4. *v.* 8. dicitur: *Caritas operit multitudinem peccatorum*. 1. Joan. 4. v. 16. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*. Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, & ad eum veniemur, & manſionem apud eum faciemus*. Et Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*. Concilium etiam Trident. *Seſſ. 6. c.* 7. dum numerat cauſas juſtificationis, meminit caritatis, nullam gratiæ mentionem faciens.

XII. Reſpondeo, omnia, quæ tribuuntur gratiæ, tribui etiam caritati; non quia idem realiter ſint, ſed quia ſunt invicem connexæ. Nam, vel loquimur de actu caritatis; & hic eſt ultima diſpoſitio ad gratiam: & in hoc ſenſu exponendi ſunt textus *Joann.* 14. *& Lucæ* 7. Vel ſermo eſt de habitu caritatis; & hic, utpote proprietas inſeparabilis gratiæ, gratiam ſemper comitatur: & ſic exponi debent textus ex 1. *Petri* & 1. *Joan.* Quemadmodum cùm Paulus 1. *Cor.* 13. *v.* 4. *&c.* dicit: *Caritas patiens eſt, benigna eſt &c.* non facit ſenſum, quòd caritas, patientia, benignitas, & aliæ virtutes ſint unus, & idem habitus: ſed quòd caritatem, ut radicem, ſequantur, & comitentur. Cæterùm quòd Scriptura diſtinguat caritatem à gratia, oſtendimus §. præcedente. Quòd verò dicitur de Tridentino, ſatis ex dictis ibi apparere poterit; quòd ſi citatis verbis gratiæ non meminit, meminerat ſuperioribus, dicens: *Verè Juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes &c.* Et dum ait, quòd *in juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, caritatem*, indicat quidem, hæc omnia comitari juſtitiam, ſeu gratiam: ſed formalem juſtificationem à peccato, per gratiam præſtitam, ſupponere.

XIII. Objiciunt ſecundò. Ideo caritas deberet à gratia realiter diſtingui; quia cùm ſit virtus ſupernaturalis, debet ſupponere hominem elevatum ad illum ordinem per gratiam, tanquam per naturam: ſed hæc ratio non urget: nam fides, & ſpes ſunt virtutes ſupernaturales, & tamen non ſupponunt hominem elevatum per gratiam, cùm maneant in peccatore; ergo licèt &c.

XIV. Reſpondeo primò, quòd ſi hic diſcurſus valet, convincet, quòd in homine non elevato per gratiam, poſſit etiam eſſe virtus caritatis, ſicut poſſunt eſſe fides, & ſpes. Reſpondeo ergo, diſt. min. cùm maneant in peccatore, in ratione habitus, con. min. In ratione virtutis, nego min. Fides ergo, & ſpes manent in peccatore, non in ratione virtutis ſupernaturalis (ſic enim debent ſupponere hominem elevatum per gratiam) ſed in ratione habitus ſupernaturalis remotè diſponentis ad gratiam. At caritas ex ſuo eſſentiali conceptu eſt virtus ſupernaturalis: & ideo debet ſemper ſupponere ſubjectum in eo ordine jam perfectum.

Ratio

Ratio autem, quare habitus ſupernaturales, dum non habent ſtatum virtutis, non debeant ſupponere naturam jam conſtitutam, in qua radicentur, in illo ordine, hæc eſt. Quia habitus ſupernaturales, dum non ſunt in ſtatu virtutis, ſe habent ſolùm ut diſpoſitiones remotæ ad gratiam, ſeu naturam ſupernaturalem; diſpoſitiones autem remotæ, & præviæ non debent in ſubjecto ſupponere naturam, ad quam illud præparant, & diſponunt: at virtutes ſupernaturales, ut tales, cùm ſint diſpoſitiones ſubjecti jam ſecundùm naturam perfecti, debent, & ſupponere naturam, & convenienter ad illam ipſum diſponere ad operandum: unde ſe habent ut proprietates, & quaſi inclinationes ſequentes ad naturam. Et hoc eſt, quod ſupra dicebamus cum D. Thom. Q. 27. *de Verit. a.* 2. quòd *Sicut in rebus naturalibus eſt aliud natura ipſa, quàm inclinatio naturæ, & ejus motus, vel operatio: ita & in gratuitis eſt aliud gratia à caritate, & à cæteris virtutibus.*

XV. Objiciunt tertiò. Illud donum eſt gratia, per quod digni reddimur ad vitam æternam habendam: ſed hoc habemus per caritatem, dicente Chriſto, Joann. 14. v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum;* ergo caritas eſt ipſa gratia.

Confirm. primò. Auguſtinus dicit, quòd ſola caritas eſt, quæ dividit inter filios Regni, & filios perditionis; cætera enim dona ſunt bonis, maliſque communia: ſed gratia eſt, quæ diſtinguit inter filios Regni, & filios perditionis; ergo caritas eſt gratia. Unde *lib. de Gratia Chriſti cap.* 20. vocat eam radicem omnium bonorum.

Confirmatur ſecundò. Caritas dicitur forma omnium virtutum: ſed forma omnium virtutum eſt gratia; ergo caritas eſt gratia.

XVI. Reſpondeo ex D. Tho. Q. 27. *de Verit. a.* 2. *ad* 4. quòd *Caritas non ſufficeret ad merendum bonum æternum, niſi præſuppoſita idoneitate merentis, quæ eſt per gratiam: aliter enim dilectio noſtra non eſſet tanto præmio condigna.* Unde, ut homo diligendo Deum mereatur per opera caritatis Regnum æternum; prærequiritur, quòd ſit à Deo dilectus, factuſque Dei amicus, eique gratus per gratiam: quia, ut ſuperiùs diximus, prius eſt, quòd Deus diligat nos per gratiam, faciendo nos ſibi gratos, quàm quòd nos diligamus Deum per caritatem: *Sicut priùs eſt cauſa ſanitatis, quàm ipſa ſanitas in ſanitatis ſubjecto; & tamen ſanum priùs ſignificat habentem ſanitatem, quàm ſanitatis cauſam*, ut docet D. Tho. citatus *ad* 5.

XVII. Ad primam Confirmationem reſpondet D. Tho. citato loco ad 6. *Dicendum, quòd hoc, quòd caritas ſola diſtinguat inter filios perditionis, & Regni, convenit ei, inquantùm non poteſt eſſe informis, ſicut aliæ virtutes. Unde per hoc non excluditur gratia, quâ ipſa caritas formatur.* Pro quorum explicatione

XVIII. Ad ſecundam Confirm. reſpondeo cum eodem S. Thoma in 2. diſt. 26. q. 1. a. 4. ad 5. *Quòd caritas alio modo dicitur forma virtutum, quàm gratia. Caritas enim eſt forma virtutum ex parte actus; inquantùm ſcilicet omnes actus virtutum in ſuum finem convocat, eò quòd ejus objectum eſt finis ultimus. Sic enim eſt in omnibus potentiis, & actibus ordinatis, quòd illa, quæ altiorem finem reſpicit, largitur formam arti, quæ ſub ipſa eſt, cujus actus in ſuum finem ordinatur; ſicut patet, quia Gubernator oſtendit factori navis, qualis debeat eſſe forma timonis: unde caritas informat alias virtutes, ſicut virtus virtutem. Sed gratia informat per modum originis; quia ſcilicet ex ipſa gratiâ quodammodo formaliter oriuntur habitus virtutum, per diverſas potentias diffuſi; illud autem, quod ab alio oritur, formam, & ſpeciem ab eo trahit, & in ſuo vigore conſiſtit, quamdiu origini continuatur: & ideo non oportet, quòd gratia ſit idem, quod caritas, quamvis caritas nunquam poſſit eſſe ſine gratiâ.*

Digitized by Google

XIX. Objiciunt quartò. Si gratia, & caritas invicem realiter diſtinguerentur, poſſent realiter invicem ſeparari, ſaltem per Dei abſolutam potentiam: ſed hoc dici nequit; ergo &c. Min. probatur primò. Si alicui infunderetur gratia ſinè caritate, eſſet Deo gratus, acceptus, filius ejus adoptivus; & tamen non eſſet Deo amicus, quod videtur abſurdum. Secundò. Si alicui infunderetur caritas ſinè gratiâ, ille nec damnaretur, cùm nullum haberet peccatum; hoc enim cum caritate eſt impoſſibile; nec ſalvaretur; quia cum non eſſet filius adoptivus, non eſſet capax hæreditatis Dei.

XX. Reſpondeo, data majori, de qua multi dubitant, neg. minor. Ad primam ejus probat. dico, quòd ille, cui infunderetur gratia ſinè caritate, eſſet Dei amicus radicaliter, & exigitivè: quia haberet gratiam, cui, ut principio radicali, debetur principium diligendi Deum. Vel eſſet Dei amicus à Deo amatus, & dilectus per gratiam; ſed non eſſet Dei amicus amans, & dilector Dei formaliter: quia non haberet proximum principium inclinans voluntatem ad Deum diligendum. Quamvis dici poſſet, quòd aliquando etiam poſſet Deum diligere; non per habitum caritatis, quem non haberet, ſed per ſpecialem Spiritus Sancti motionem, quæ homini Deo grato non deeſſet: quâ dilectione, licèt non connaturali modo, & adeo perfectè, poſſet mereri vitam æternam, & ſalvari.

Ad ſecundam probat. vel dico, caſum illum eſſe impoſſibilem: quia eſtò Deus poſſit facere, ut exiſtat eſſentia ſinè proprietatibus; non poteſt tamen facere, ut exiſtat proprietas ſinè eſſentiâ, maximè ſi proprietas ſit vitalis. Quare, ſicut non poteſt fieri, ut exiſtat voluntas ſinè animâ: ita nec quòd exiſtat habitus caritatis ſinè gratiâ. — Vel admiſſa hypotheſi tanquam poſſibili, dico, quòd eſtò ille homo, carens habituali gratia, non foret ſatis idoneus idoneitate perſonæ (quia deeſſet illi dignitas perſonæ, quæ eſt conditio neceſſaria ad meritum de condigno ex parte operantis) ad merendum vitam æternam; quia non eſſet intrinſecè, & propriè filius Dei, nec haberet naturam Dei participatam, unde non deberetur ei vita æterna tanquam hæreditas: ei tamen deberetur ut merces operario promiſſa, debito tamen inferiori ad meritum de condigno. Quia, ut ſupra cum D. Tho. *Qu. 27. de Verit. art. 2. ad 4.* dicebamus: *Caritas non ſufficeret ad merendum* (de condigno) *bonum æternum, niſi præſuppoſitâ idoneitate merentis, quæ eſt per gratiam: aliter enim dilectio noſtra, non eſſet tanto præmio condigna.* Et hujuſmodi homo eſſet quidem formaliter dilector, ſed non formaliter intrinſecè dilectus, Deo gratus, & naturam Dei participans.

§. III.

Quomodo Virtutes effluant à Gratia.

XXI. Ex hactenus dictis ſequitur, caritatem, aliaſque virtutes infuſas comparari ad gratiam, ſicut proprietates ad naturam. Quia verò proprietates effluunt à natura, videndum modò eſt, quo genere effluxus virtutes emanent à gratia habituali: an effluxu ſolum morali, an verò phyſico.

XXII. Dico. Doctrinæ, & menti S. Thomæ conformius videtur, gratiam habitualem ita eſſe radicem, ſeu principium radicale virtutum ſupernaturalium; ut juxta exigentiam ſtatus, & capacitatem ſubjecti ſimul cum ea infundantur, & ab ea deriventur: non moraliter ſolum, ſed vel phyſicè, vel modo quodam ad effluxum phyſicum accedente. Hoc enim ſignificat S. Doctor hâc *q. 110. a. 4. ad 1. & 2.* & *Q. 27. de Verit. a. 5. ad 17.* & alibi: partim dum gratiam ad virtutes comparat, ſicut animam ad potentias, ſicut lumen naturalis rationis

Digitized by Google

tionis ad virtutes acquiſitas; partim dum dicit, quòd à gratia virtutes *derivantur*, *fluunt*, *effluunt*, *oriuntur:* quæ verba pluſquàm effluxum moralem ſignificant. Accedit: quòd talem effluxum gratiæ tribuere, non eſt contra naturam gratiæ vel virtutum; & deſervit ad meliùs percipiendam naturam gratiæ, & ad reducendos omnes habitus ſupernaturales ad unum principium.

XXIII. Sed dices primò cum Suarez, & aliis. Sunt aliqui habitus ſupernaturales, qui ſinè gratiâ interdum infunduntur, & ſinè eâ conſervantur, ut habitus fidei, ſpei; ergo non poſſunt dici emanare phyiſicè à gratia: cùm effectus, qui phyſicè ab aliqua causâ emanat, nequeat fieri, aut conſervari ſinè illâ.

XXIV. Dices ſecundò. Potentiæ, quæ phyſicè derivantur ab aliqua natura, inſunt omnibus habentibus illam naturam: non omnes autem virtutes inſunt omnibus habentibus gratiam; cùm Beati habeant gratiam, & non fidem, neque ſpem; ergo &c.

XXV. Dices tertiò. Lumen gloriæ, quamvis ſupponat gratiam, non tamen à gratia profluit; ergo idem dicendum de virtutibus.

XXVI. Dices quartò. Poſitâ gratiâ ut radice phyſica virtutum, jam dici debebit, gratiam eſſe qualitatem de genere activo, quod ſupra rejecimus. Inſuper ſequeretur, virtutes ſic proportionari gratiæ, ut non augerentur, nec minuerentur, niſi eâ auctâ, vel diminutâ: ſed hoc falſum eſt; cùm fides, & ſpes augeri poſſint per ſuos actus ferventiores, etſi gratia, & caritas ſint remiſſæ; ergo &c.

XXVII. Hæc tamen non obſtant: nam ſi benè conſiderentur, æquè militant contra effluxum moralem. Unde ad primum dico, quòd fides, & ſpes ſumi poſſunt, & ſecundùm ſubſtantiam habitus, & ſecundùm rationem virtutis. Secundùm primum non ſunt proprietates gratiæ, nec ab illa effluunt, ſive phyſicè, ſive moraliter: quoad ſecundum autem, & ut coniunctam habent caritatem, proprietates gratiæ ſunt, & ab ea phyſicè effluunt.

XXVIII. Ad ſecundum dico, verum eſſe aſſumtum, quando natura illa habet unicum ſtatum; & emanatio proprietatis, ſive phyſica, ſive moralis non impeditur. Secus ſi habeat diverſos ſtatus, & in uno ſtatu adſit impedimentum. Cùm ergo gratia alium ſtatum habeat hìc in via, ac in Patria; & ſubiectum, quod hìc in via non eſt impeditum, nec incapax fidei, & ſpei, ſit impeditum in Patria à claritate viſionis: ideo fides, & ſpes, quæ à gratia in ſtatu viæ effluunt, in ſtatu Patriæ effluere nequeunt, nec phyſicè, nec moraliter. Qua ratione eadem gratia in nobis radicat filiationem adoptivam, quam in Chriſto, qui ratione ſuppoſiti incapax eſt, non radicat.

XXIX. Ad tertium, nego ant. Nam lumen gloriæ eſtò non effluat à gratia in ſtatu viæ, ubi habet ſtatum adhuc imperfectum, ratione ſubjecti; ab illa tamen effluit in ſtatu Patriæ, ubi habet ſtatum perfectum, & conſummatum. Vel, ſi velis, admiſſo ant. neg. conſ. & paritatem. Nam virtutes, & mediantibus illis gratia ſunt principia benè vivendi, & ad terminum tendendi. At lumen gloriæ eſt præmium: præmium autem non emanat ab aliquo, quod in operante ſit, ſed datur à præmiante.

XXX. Ad quartum reſpondeo, gratiam eſſe qualitatem de genere activo radicali, & mediato, ſicut naturam; non verò de genere activo proximo, & immediato. Ita S. Thom. *Qu.* 27. *de Verit. art.* 5. *ad* 17. & hâc *qu.* 110. *art.* 4. *ad* 2. his verbis*: Eſt enim gratia principium meritorii operis, mediantibus virtutibus: ſicut eſſentia animæ eſt principium operum vitæ, mediantibus potentiis*. Quod repetit in 2. diſt. 26. a. 5. ad 1. *Quamvis non immediatè gratia ad opus referatur; tamen eſt per ſe cauſa operis meritorii,*

Digitized by Google

licèt mediante virtute. — Ad id verò, quod additur, dico, quòd dum fides augetur, vel diminuitur non auctâ, vel diminutâ gratiâ; hoc non habet, prout à gratia effluit, ſed ab alia causâ. Imò proportio, quæ debet eſſe inter naturam, & proprietates, non eſt; ut dum augentur intenſivè, vel minuuntur proprietates, augeatur, vel minuatur natura: ſed quòd à natura talis, vel talis ſpeciei, oriantur tales, vel tales ſpecie proprietates.

DUBIUM VI.

In quo, ut in Subiecto Immediato, ſit Gratia Habitualis.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. ISta *quæſtio* (inquit S. Tho. hâc qu. 110. a. 4.) *ex præcedente dependet. Si enim gratia ſit idem, quod virtus, neceſſe eſt, quòd ſit in potentia animæ: nam potentia animæ eſt proprium ſubjectum virtutis.... Si autem gratia differt à virtute, non poteſt dici, quòd potentia animæ ſit gratiæ ſubjectum: quia omnis perfectio potentiæ animæ habet rationem virtutis.* Idem dicit Q. 27. *de Verit. a.* 6. Procedit autem Quæſtio de Gratia habituali: nam de gratiis actualibus, quæ ſeculariter dantur ad operandum, certiſſimum eſt, eſſe, tanquam in ſubjecto, in illis potentiis, quas elevant ad ſupernaturaliter operandum.

II. Scotus ergo, qui caritatem à gratia habituali non diſtinguit, niſi ſecundùm munera, ut Dubio præcedente vidimus, ponit gratiam, ſicut & caritatem in voluntate, ut ſubiecto immediato. At S. Thomas, ejuſque Diſcipuli, qui realiter diſtinguunt gratiam à caritate, dicunt, ſubjectum immediatum, in quo gratia recipitur, eſſe animam, ſeu eſſentiam animæ. Unde

III. Dico. Immediatum ſubjectum gratiæ ſanctificantis eſt ipſa animæ rationalis eſſentia. Ita S. Thomas citatis locis, cujus ratione probatur ſic. Sicut ſecundum potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam, per virtutem fidei, & ſecundum potentiam voluntatis amorem divinum, per virtutem caritatis; ita etiam ſecundum animam participat ſecundum quamdam ſimilitudinem naturam divinam, per quamdam regenerationem, & recreationem: ſed fides, & caritas, quæ ſunt participationes intellectus, & voluntatis divinæ, reſident, una in intellectu, altera in voluntate, ut in ſubiecto immediato; ergo gratia, quæ eſt participatio naturæ divinæ, ut natura eſt, debet in ipſa natura, nempe, anima rationali, ut in ſubjecto immediato, recipi.

IV. Confirmatur primò. Per gratiam regeneramur, ac renaſcimur in filios Dei, & novum eſſe in ordine ſupernaturali accipimus: ſed generatio per priùs terminatur ad eſſentiam, quàm ad potentias; ergo gratia per priùs eſt in eſſentia animæ, quàm in potentiis.

V. Confirm. ſecundò. Ex mente SS. PP. gratia eſt vita animæ, ſicut anima eſt vita corporis; ſicut enim in ordine naturali corpus primò vivit per animam; ita in ordine ſupernaturali anima primò vivit vitâ gratiæ: ſed anima immediatè ſubjectatur in corpore, cui primò vitam communicat, & quod per illam primò vivit; ergo & gratia immediatè ſubjectatur in anima, cui primò vitam ſupernaturalem communicat, & quæ per illam in illo ordine primò vivit.

VI. Confirmatur tertiò. Gratia per ſe datur ad eſſe, ut ſupra vidimus: caritas verò datur per ſe ad operari; ergo gratia immediatè ſubjectatur in anima, quæ datur ad eſſe, & caritas in voluntate, quæ per ſe datur ad operari. Nam forma, & ſubjectum debent invicem proportionari; ergo gratia, quæ datur ad eſſe, debet immediate

mediatè recipi in eo, quod per ſe reſpicit eſſe, ut per illam elevetur ad nobilius eſſe: charitas verò, quæ datur ad operari, debet recipi in eo, quod datur ad operari, ut per illam elevetur ad nobiliorem operationem.

VII. Explicatur magis. Ibi, ut in ſubjecto proprio, reſidet forma, ubi eſt ejus effectus formalis; quia effectus formalis formæ nil aliud eſt, quàm ipſa forma ut communicata: ſed effectus formalis gratiæ eſt in anima: eſt enim dare eſſe, & vitam ſupernaturalem, ſeu eſſe principium radicale operationum ſupernaturalium: eſſe autem primò, & per ſe convenit animæ; eſſe gratum primò, & per ſe reſpicit ſubjectum, ſeu perſonam, non operationes; eſſe principium radicale proprium eſt naturæ, non potentiarum; ergo &c.

VIII. Secundò probatur hoc diſcurſu. Anima, ſeu animæ eſſentia non minus eſt capax perfectionis ſupernaturalis, quàm ejus potentiæ: & omnino decet, quòd ſicut voluntas hominis eſt juſta, ſancta, Deo grata; ita animæ ipſius eſſentia ſit formaliter ſpiritualiter pulchra, ſancta, juſta, & Deo grata: ſed propter hoc in potentiis animæ aliquæ virtutes immediatè recipiuntur; ergo, ob eamdem rationem, aliquis habitus infuſus ſupernaturalis debet recipi immediatè in anima, qui nil aliud eſſe poteſt, quàm gratia habitualis: quæ primò dat eſſe, & vivere vità ſupernaturali, ſicut anima primò dat eſſe, & vivere vità naturali. *Oportet ergo dicere, quòd gratia ſit in eſſentia animæ perficiens ipſam, inquantùm dat ei quoddam eſſe ſpirituale, & facit eam, per quamdam aſſimilationem, conſortem divinæ naturæ, ut habetur* 2. *Petri* 1. *ſicut virtutes perficiunt potentias ad rectè operandum.* Ita concludit S. Thom. *Q.* 27. *de Verit. a.* 6.

§. II.

Rationes Contrariæ.

IX. Primò objicies. In eodem ſubjecto debent eſſe gratia, & gloria, cum gloria nihil aliud ſit, quàm gratia conſummata: ſed gloria non eſt immediatè in eſſentia animæ, ſed, vel in intellectu, juxta opinionem ponentem beatitudinem formalem in actu viſionis Dei; vel in voluntate, in ſententia collocante beatitudinem in actu amoris Dei; ergo &c.

X. Reſpondeo, neg. maj. Ad hoc, quod additur, nempe, quòd gloria eſt gratia conſummata, diſtinguo. Ita ut gloria ſit finis, & terminus, ad quem gratia, & operationes ab ipſa radicatæ ultimò tendunt, & in quo conſummantur, concedo. Secus, nego. Beatitudo ergo eſt gratia conſummata, quatenus gratia in ea ſuum finem, ſuamque potiſſimam operationem, ad quam elevabat, & diſponebat in hoc ſeculo naturam, conſecuta eſt. Non oportet tamen, quòd illa finis conſecutio, ſeu potiſſima operatio in eodem ſubjecto immediato ſit, in quo eſt gratia. Imò ſicut unaquæque res perficitur, & conſummatur illà ſuà operatione immanente, quæ eſt conſecutio finis; nec tamen illa operatio eſt immediatè in ſubſtantia rei, ſed in ejus potentia operativâ; ita gratia in ſubſtantia animæ exiſtens, cùm ordinetur ad beatificam viſionem, tanquam ad ſui ultimam perfectionem, hoc ipſo perficitur, quòd beatifica illa viſio advenit; non oportet tamen, eam eſſe in eodem ſubjecto immediato, in quo eſt gratia.

Ex his ſolvitur, quod aliis verbis objicitur, nempe: gratia reſpondet gloriæ; ergo debet habere idem ſubjectum — negari enim debet conſ. Nam non eſt neceſſe, ut ſibi invicem reſpondeant ex parte ſubjecti proximi, ſeu immediati: ſed gratia reſpondet gloriæ, inquantùm gratia dat jus ad glo-

Digitized by Google

gloriam: gloria eſt finis, ad quem ultimò datur gratia, & quò maior eſt gratia, eò major erit gloria. Gloria quoque reſpondet gratiæ, ſicut fructus reſpondet virtuti ſeminis: & per conſequens tanta eſt, quantam gratia per bonas operationes, quas mediis potentiis, & virtutibus in hac viâ exercuit, promerita eſt.

XI. Secundò objicies. Si gratia eſſet in anima, ut in ſubjecto immediato, prius faceret gratam, & meritoriam actionem intellectus, quàm voluntatis: quia ſicut priùs oritur ab anima intellectus, quàm voluntas; ita actio intellectus prior eſt actione voluntatis: & propterea, quòd actus fidei eſſet gratus, & meritorius, antequam accederet ei actus, ſeu motio voluntatis: ſed hoc eſt falſum, cùm fides ſolùm meritoria ſit, quando per dilectionem operatur; ergo &c.

XII. Reſpondeo, neg. maj. Quamvis enim actus intellectus, & conſequenter fidei, ſit prior caritate, ſicut intellectus eſt prior voluntate ordine originis; in ratione tamen grati, & meritorii ſubſequitur actum caritatis: cùm actus fidei nequeat eſſe gratus, & meritorius, niſi ex pia affectione erga Deum moveatur per caritatem. Quare actus intellectus eſt prior actu voluntatis, & poſterior illo: prior in oſtendendo, & manifeſtando voluntati objectum: poſterior verò in ratione liberi, voluntarii, & meritorii: hoc enim actui intellectus convenire non poteſt, niſi quoad exercitium moveatur à voluntate. Uno verbo: actus fidei, ut radicatus in gratia, eſt actio grata, & dilecta in ſua radice; non intelligitur tamen actu moraliter actio bona, & meritoria, niſi accedat ei caritatis imperium. Unde ultra perfectionem ſibi propriam, quam habet à gratia, accipit perfectionem accidentalem boni, & meritorii à caritate.

XIII. Tertiò objicies. Gratia eſt habitus; ergo operativus; ergo eſt in potentia operativâ, & non in anima.

XIV. Reſpondeo, neg. conſ. Non enim omnis habitus datur ad immediatè operandum; ſed aliquis etiam ad benè diſponendum ſubjectum in ſe, ut ſcilicet benè ſe habeat in aliquo ordine: & talis habitus ſufficit, ut ſit operativus ſolùm radicaliter. Hujuſmodi eſt gratia, quæ cùm ex jam dictis data ſit, ut animam elevet per modum naturæ, eamque conſtituat in eſſe ſupernaturali: inde fit, ut ſicut anima, quæ eſt natura, non eſt niſi principium radicale in ordine naturali; ita gratia non ſit niſi principium radicale in ordine ſupernaturali.

XV. Sed dices. Virtutes emanant à gratia: ſed virtutes ſunt in potentiis animæ, ut in ſubjecto; ergo & gratia. Conſequ. prob. Quia à ſubjecto in ſubjectum realiter diſtinctum emanatio eſſe non poteſt. Licèt enim vera actio, qualis eſt actio tranſiens, poſſit producere terminum extra proprium ſubjectum, ut patet in calefactione, quæ producit calorem in ligno: actio tamen ſolùm impropriè talis, qualis eſt dimanatio, producit terminum intra ſubjectum ſuæ dimanationis.

XVI. Reſpondeo tamen. neg. conſ. Ad ejus probat. diſtinguo ant. A ſubjecto in ſubjectum extraneum, & *quod*, con. ant. In ſubjectum intraneum, & *quo*, nego ant. Verum ergo eſt, quòd per ſimplicem dimanationem nequit reſultare terminus in diverſo ſubjecto extraneo, ſeu *quod*, nimirum, ſuppoſitaliter diſtincto à ſubjecto radicis. Attamen quando ſubjectum radicis, & termini radicati, eſtò realiter differant, ad idem tamen ſuppoſitum pertinent, benè poteſt ex uno ad aliud dari dimanatio. Cùm igitur, licèt anima, & voluntas ſint duo ſubjecta *quo*, pertineant tamen ad integritatem unius, & ejuſdem ſubjecti *quod*, nempe, ſuppoſiti; ideo quamvis gratia ſit in anima, poteſt radicare caritatem, quæ ſit in voluntate.

XVII. Quartò objicies. Gratia, & peccatum, cùm ſint contrariè oppoſita, debent eſſe in eodem ſubjecto: ſed peccatum eſt in voluntate; ergo & gratia.

XVIII.

XVIII. Reſpondeo primò, neg. min. Eſtò enim omne peccatum ſit in voluntate, ſicut in cauſa; non tamen omne peccatum eſt in voluntate, ſicut in ſubjecto immediato: nam peccatum infidelitatis eſt in intellectu. Quemadmodum ergo peccatum infidelitatis, quod eſt in intellectu, expellit gratiam, & caritatem, quæ non ſunt in intellectu, & viceverſa gratia illud expellit: quare quodvis peccatum mortale non poteſt expellere gratiam, & hoc ipſum à gratia expelli; quamvis gratia ſit in anima, & peccata quædam in voluntate ſint, quædam in aliis potentiis?

XIX. Reſpondeo ſecundò, diſt. min. Peccatum quoad actum, ſeu actuale, con. min. Sumtum quoad maculam, ſeu habitualem, nego min. Quamvis ergo peccatum actuale non ſit primò, & per ſe in anima, quia proprio actu committitur, non autem infunditur, ſicut gratia, nec contrahitur, ſicut originale; ideoque debeat eſſe in illa potentiâ, à qua proximè proficiſcitur: ſecundùm maculam tamen, ex peccato actuali relictam, in eſſentia animæ eſt, eamque fœdam, maculatam, & Deo ingratam reddit: & ſecundum hanc maculam peccatum directè, & immediatè opponitur gratiæ. Hæc reſponſio conſonat doctrinæ S. Th. in 2. *diſt.* 26. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 4. ubi ait: *Culpa actualis non eſt per infuſionem, vel immiſſionem, ſed per aliquem determinatum actum nobis advenit: & quia omnis operatio reſpicit determinatam potentiam, quæ eſt ejus principium; inde eſt, quod culpa per priùs eſt in potentia, quàm in eſſentia animæ. Gratia autem non acquiritur per actus noſtros, ſed à ſuperiori infunditur: unde illud, quod ſuperius anima eſt, ſcilicet, eſſentiam, quæ eſt origo omnium potentiarum, per priùs reſpicit*. Videri etiam poteſt *Qu.* 27. *de Veritate art.* 6. *ad* 2.

§. III.

An Creatura Irrationalis ſit Subjectum capax Gratiæ?

XX. Reſpondeo negativè. Et conſtat ex ſupradictis. *Dub* 4. §. 4 *num.* 24. ubi ex S. Tho. oſtenſum eſt, adoptari in filium Dei eſſe proprium creaturæ rationalis. Nunc autem probo primò. Gratia, ex dictis, nil aliud eſt, quàm participatio formalis divinæ intellectualitatis per modum radicis; ergo quod eſt incapax intellectualitatis, erit incapax gratiæ: ſed creatura irrationalis eſt incapax intellectualitatis; ergo erit incapax gratiæ.

Secundò. Gratia ad nil aliud datur, niſi ut elevet ſubjectum, illudque reddat aptum videre Deum, & illum amare, ut in ſe eſt: ſed creatura irrationalis eſt incapax videre &c. ergo eſt incapax, ut elevetur per gratiam: quod enim eſt incapax effectus formalis formæ, eſt incapax formæ.

XXI. Sed dices primò. Corpus eſt incapax intelligendi: & tamen eſt ſubjectum animæ rationalis, quæ eſt intelligendi principium; ergo à pari &c.

XXII. Reſpondeo, diſcrimen eſſe, quòd anima rationalis dat non ſolùm eſſe intellectivum, ſed etiam eſſe corporeum; vegetativum, & ſenſitivum, quorum corpus eſt capax; cùm ſit principium operationum corporearum, vel à corpore pendentium. At gratia nullum effectum præſtat, qui creaturæ irrationali poſſit convenire; & operationes, quæ à gratia radicantur, ſunt ſupra omnem naturam corporalem, ejuſque capacitatem eſſentialiter elevatæ: & ideo non poteſt in natura corporali recipi, qualis eſt natura irrationalis.

XXIII. Dices ſecundò. Verbum divinum infinitè dignius eſt, quàm gratia: & tamen poteſt uniri cuilibet naturæ corporali, & illam reddere ſubſi-

ſubſiſtentem; ergo etiam gratia poterit uniri naturæ irrationali, eamque facere gratam.

XXIV. Reſpondeo, co. ant. neg. conſ. ob duplicem diſparitatem. Prima eſt: quia Verbum divinum unitur naturæ præcisè, ut reddat illam ſubſiſtentem: omnis autem natura, ſive ſit rationalis, & ſpiritualis, ſive irrationalis, & corporea, ex quo ſubſtantialis eſt, capax eſt ſubſiſtendi. At gratia unitur naturæ, ut illam conſtituit aptam, & idoneam ad operationes ſupernaturales videndi, & amandi Deum, ut in ſe eſt; quarum operationum natura irrationalis eſſentialiter incapax eſt: & ideo &c.

Secunda eſt: quòd Verbum divinum dum unitur alicui naturæ, illi unitur, non per dependentiam ab illa, aut aliquid ab illa accipiendo: ſed potiùs per dependentiam illius à ſe, & illam aſſumendo ad eſſe divinum. At gratia, utpote accidens, deberet uniri naturæ irrationali, & corporeæ cum dependentia ab illa in eſſe, & operari. Cùmque forma dependens in eſſe, & operari à corpore, non poſſit eſſe ſpiritualis, & principium operationum ſpiritualium; ideo gratia in natura irrationali poni non poteſt: alioquin non eſſet ſpiritualis, neque principium operationum ſpiritualium, quod eſt contra eſſentiam gratiæ.

XXV. Sed replicabis contra hoc primò. Virtutes morales infuſæ ſpirituales, & ſupernaturales ſunt: & tamen recipiuntur in appetitu ſenſitivo, qui corporalis eſt.

Secundò. In ſententia aſſerente, Sacramenta cauſare phyſicè gratiam, virtus illa ſpiritualis eſt: & tamen recipitur in Sacramento, quod in rebus corporeis conſiſtit.

XXVI. Reſpondeo ad primam replicam, diſputari apud Theologos: an virtutes morales infuſæ ſint ſpirituales, an corporeæ. Nos *Tom. 7. Tract. de Virt. Q. 2. Dub. 2. §. 3. num. 20.* eas eſſe ſpirituales, admiſimus, eò quòd ſint in corporeâ potentia, non ut corporea eſt; ſed ut illam ſubjiciant ſpiritui, & rationi, ac prudentiæ ſupernaturali ad finem altiorem & ſupernaturalem. Alii virtutes illas materiales ponunt, ſicut potentia, in qua ſunt, materialis eſt. An autem illæ virtutes morales, quæ cum gratia infunduntur, à gratia radicentur, quæſtio eſt. Quidquid tamen de hoc ſit, dico, quòd illæ virtutes morales infuſæ, ſive ſint radicatæ in gratia, ſive non, ſimul tamen cum gratia infunduntur. Sive ſint ſpirituales, ſive corporeæ, dantur ad ſubjiciendum appetitum rationi; cui poſitus in natura rationali natus eſt obedire in ordine ad operationes, ſive naturales, ſive ſupernaturales, ſive ſpirituales, ſive corporeas: quod non eſt ſimile de natura irrationali, quæ incapax eſt obediendi Deo ad actiones intellectuales, ad quas gratia ordinatur.

Ad ſecundam dico, quòd virtus illa Sacramentis collata probabiliùs ſpiritualis aſſeritur; quia tamen inſtrumentalis eſt, poteſt ſubjectari in corpore: quia cum deſcendat tanquam virtus cauſæ principalis ſpiritualis, magis ſuam ſpeciem ſumit ab ea, quàm à ſubjecto corporeo, quod per eam movetur. Gratia verò cum ſit forma habens eſſe completum, habens eſſe fixum, & ratum in ſubjecto, in quo ſe habet per modum naturæ, quodque per ipſam debet conſtitui potens operari principaliter; non poteſt poni in ſubjecto materiali: alioquin deberet ſequi conditionem illius, nec eſſet ampliùs ſpiritualis.

Doctrinam hanc inſinuavit S. Thomas *3. p. q. 63. a. 5. ad* 1. ubi quærens: quomodo character ſacramentalis ſit indelebilis, cum gratia, quæ charactere perfectior eſt, ſit ab anima delebilis, & pro hoc ſtatu amiſſibilis, reſpondet: *Dicendum, quòd aliter eſt in anima gratia, & aliter character. Nam gratia eſt in anima, ſicut quædam forma habens eſſe completum in ea. Character autem eſt in anima, ſicut quæ-*

dam

dam virtus inſtrumentalis .... Formæ autem completa eſt in ſubjecto ſecundùm conditionem ſubjecti. Et quia anima eſt mutabilis ſecundùm liberum arbitrium, quamdiù eſt in ſtatu viæ; conſequens eſt, quòd gratia inſit animæ mutabiliter. Sed virtus inſtrumentalis magis attenditur ſecundùm conditionem principalis agentis: & ideo character indelebiliter ineſt animæ, non propter ſui perfectionem, ſed propter perfectionem Sacerdotii Chriſti; à quo derivatur character, ſicut quædam inſtrumentalis virtus. Sicut ergo character, quamvis in ſubjecto mutabili, indelebilis eſt; quia agens principale, cujus eſt virtus, eſt immutabile: ſic virtus Sacramentalis, quamvis in ſubjecto corporeo (& idem dic de virtute infusâ) ſpiritualis erit; quia agens principale, cujus eſt virtus, ſpirituale eſt.

DUBIUM VII.

Utrum ſolus Deus ſit Cauſa Principalis Gratiæ.

§. I.

Certa præmittuntur.

I. DE cauſa efficiente, & quidem principali, quæſtio procedit. Suppono enim primò: cauſam finalem ultimam totius gratiæ eſſe Deum; non ultimam verò eſſe gloriam Chriſti, & vitam æternam ejus, cui datur gratia. Ita Trident. Seſs. 6. cap. 7. *Juſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna.* Utramque partem comprobat Scriptura. Priorem quidem, *Proverb.* 16. *v.* 4. ubi legitur: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Apoc. 1. v. 8. *Ego ſum Alpha, & Omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus.* Epheſ. 1. v. 5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* — Poſteriorem autem, 1. Cor. 3. v. 22. *Omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Ad Epheſ. 1. v. 22. *Ipſum* (Chriſtum) *dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Et ad Coloſs. 1. v. 18. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, Primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Tertiam etiam partem eædem Sacræ Litteræ manifeſtè tradunt; quæ ſignificant, gratiam hujus vitæ referri ad gloriam, & beatitudinem, quam in altera expectamus: ut ad Roman. 6. v. 22. *Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et *ad Titum* 3. *v.* 7. dicitur, effuſum fuiſſe in nos lavacrum regenerationis: *Ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.*

II. Suppono ſecundò: cauſam materialem, in qua recipitur gratia, ſeu ſubjectum, eſſe animam rationalem, ex dictis *Dub. præcedente.* Quòd ſi loquamur de cauſa materiali *ex qua*, certum eſt, nullam eſſe cauſam materialem ex qua, vel componatur, cùm gratia ſit forma ſimplex: vel naturaliter educatur, cùm ſit ſupernaturalis. An verò in aliquo ſenſu dici poſſit, quòd educatur de potentia obedientiali animæ, inquantùm ab anima pendet in fieri, eſſe, & conſervari, videbitur *Dubio ſequente.* Ad cauſam quoque materialem pertinent diſpoſitiones illæ, quæ in adultis requiruntur ante juſtificationem: de quibus Concil. Trident. *Seſs. 6. cap. 6.* & à nobis inferius ſermo erit.

III. Suppono tertiò: cauſam exemplarem primariam gratiæ noſtræ eſſe Deum, ſecundariam verò Chriſtum.

Prior pars patet: quia gratia, & juſtitia noſtra eſt participata ſimilitudo juſtitiæ, & ſanctitatis, quæ eſſentialiter in Deo eſt. Quare Ambroſius *in Hexameron*, Eucherius *lib. 1. in Geneſ.* & Damaſcenus *lib. 2. de Fide cap. 12.* diſtinguunt in homine imaginem

ginem, & ſimilitudinem Dei; ut per naturam humanam, ideſt, per animam, intellectum, & voluntatem ſit in eo Dei imago; & per gratiam juſtificantem, Dei ſimilitudo. — Poſterior etiam pars prob. Tum ex cap. 8. ad Rom. v. 29. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus.* Tum ratione: quia primum in unoquoque genere eſt exemplar cæterorum: Chriſtus autem primus eſt eorum, qui habent gratiam; cùm ex meritis ejus omnes illam accipiant ut Joan. 1. v. 16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

IV. Suppono quartò: cauſam meritoriam totius noſtræ gratiæ tàm habitualis, quàm actualis eſſe Chriſtum Dominum. Unde Con. Trident. *Seſſ. 6. cap. 7.* Cauſa (inquit) *meritoria autem dilectiſſimus Unigenitus ſuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui... ſuâ ſanctiſſimâ Paſſione in ligno Crucis nobis juſtificationem meruit.* Quod docet etiam D. Thom. infra *q. 114. a. 6.* & *3. p. q. 19. a. 4.* conformiter Apoſtolo, qui ad *Epheſ. 1. v. 3.* ſcribit, benedixiſſe nos Deum omni benedictione ſpirituali in Chriſto. Quamvis autem ſolus Chriſtus ſit prima cauſa meritoria noſtræ gratiæ: hoc tamen non obſtare, quin Juſtus eam mereri poſſit alteri de congruo, & ſibi ipſi augmentum gratiæ etiam de condigno, oſtendemus in Tractatu de Merito.

V. Suppono quintò: cauſam efficientem inſtrumentalem gratiæ eſſe humanitatem Chriſti, modo infra explicando, & Eccleſiæ Sacramenta. Quare de Baptiſmo Paulus *ad Epheſ. 5. v. 25.* dicit, quòd Chriſtus *dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ.* Et ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Unde Trident. *Seſſ. 6. cap. 7.* ait: *Inſtrumentalis item Sacramentum Baptiſmi.*

Cauſa quoque miniſterialis, & quodammodo inſtrumentalis noſtræ gratiæ ſunt etiam Angeli, & homines. Angeli quidem ſubminiſtrando illuminationes, & illuſtrationes, quibus ad gratiam perveniamus, vel in ea perſeveremus: hoc enim facere poſſunt, eſtò non per modum interioris purgationis, benè tamen per modum cujuſdam inſtructionis. Homines autem non ſolùm inſtruendo ſunt nobis cauſa gratiæ, verum etiam applicando ſigna efficacia, hoc eſt, Sacramenta.

VI. Quæſtio igitur tota reducitur ad cauſam efficientem, & quidem principalem productivam gratiæ in nobis. Quam quidem eſſe Deum, docet Tridentinum citatâ *Seſſ. 6. c. 7.* dicens: cauſa *efficiens verò miſericors Deus, qui gratuitò abluit, & ſanctificat, ſignans, & ungens ſpiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Sed quod controvertitur, eſt: an Deus ita ſit cauſa principalis dans gratiam; ut ſolus ipſe, & nemo alius eam principaliter det, aut dare poſſit.

§. II.

Reſolutio Dubii.

VII. DIco. Deus ſolus eſt cauſa efficiens principaliter dans, & producens gratiam: & nullus alius ab eo dat, aut dare, & principaliter producere poteſt. Hoc apertè indicat Scriptura, Job. 14. v. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es?* Rom. 3. v. 30. *Unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Item gratia, etſi non ſit ſola remiſſio peccatorum, ut vult Lutherus, eam tamen involvit: ſed dimittere peccata ſolius Dei eſſe, vel ipſi Scribæ, & Phariſæi agnoverunt, dum *Lucæ 5. v. 21.* dixerunt: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Hinc S. Auguſt. l. 1. de Peccat. merit. c. 14. *Potuit* (inquit) *Apoſtolus rectè dicere:* imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. *Nunquam ta-*

men

men diceret, juſtificamini à me, ſicut & ego ſum juſtificatus à Chriſto. Quoniam poſſunt eſſe, & ſunt, & fuerunt multi juſti homines, & imitandi: juſtus autem, & juſtificans, nemo, niſi Chriſtus. Unde dicitur. Credenti in eum, qui juſtificat impium, deputatur fides ejus ad juſtitiam. *Quiſquis ergo auſus fuerit dicere, juſtifico te: conſequens eſt, ut dicat etiam, crede in me. Quod nemo Sanctorum rectè dicere potuit, niſi Sanctus Sanctorum:* Credite in Deum, & in me credite: *ut quia ipſe juſtificat impium, credenti in eum. qui juſtificat impium, deputetur fides ad juſtitiam.*

VIII. Probatur ratione S. Thomæ hâc 1. 2. *q.* 112. *a.* 1. ſic. Cum gratia ſit quædam ſimilitudo participata divinæ naturæ; ab illa ſola cauſa poteſt principaliter produci, quæ habet in ſe divinam naturam, ſeu deitatem habet per naturam; ſicut nequit ignire, ſeu participationem ignis in alio producere, niſi qui habet naturam ignis, ſeu eſt ignis per naturam: atqui ſolus Deus habet naturam divinam, ſeu deitatem habet per naturam; ergo creatura quæcumque, etſi per gratiam habeat participationem divinæ naturæ, non poterit in alio hanc divinæ naturæ participationem principaliter producere: ſicut neque ferrum, quamvis ignitum, poteſt principaliter ignire, ſeu in alio naturam ignis participare, ſed ſolus ignis eſt, qui principaliter ignit.

IX. Urgetur probando, nullam creaturam poſſe principaliter gratiam producere. Gratia efficienter principaliter à creatura producta, eſſet formalis participatio naturæ divinæ, & non eſſet: ſed hoc repugnat; ergo &c. Maj. pro ſecunda parte prob. Gratia à creatura principaliter producta, eſſet formalis participatio, & ſimilitudo principii formalis, quo creatura eam produceret; quia cauſa principalis intendit aſſimilare effectum in forma, ſeu principio formali, quo agit, ad differentiam cauſæ inſtrumentalis, quæ intendit aſſimilare effectum in forma principalis agentis: ſed principium formale, quo creatura gratiam produceret principaliter, non eſſet natura divina, ſed gratia, quæ eſt formalis participatio naturæ divinæ; ergo produceret, non participationem formalem, & immediatam naturæ divinæ, ſed participationem formalem gratiæ, nempe, participationem formalem participationis naturæ divinæ. En igitur repugnantia in terminis: cùm enim gratia ſit formalis participatio divinæ naturæ, nonniſi à Deo, qui habet naturam divinam, principaliter effici poteſt.

X. Probatur ſecundò ex D. Thom. 4. *contra Gentes cap.* 17. Gratia ſanctificans conſtituit hominem filium Dei adoptivum, ut dictum eſt ſupra: ſed nulla creatura poteſt principaliter adoptare in filium Dei; ergo &c. Min. prob. Adoptare principaliter in filium Dei, eſt tantùm illius, qui eſt filius Dei per naturam: unde S. Thom. ibi concludit, Chriſtum eſſe verum Deum, & Spiritum Sanctum, quia ex Apoſtolo *ad Galat.* 4. & *Roman.* 8. tàm Chriſto, quàm Spiritui Sancto convenit adoptare in filios Dei. Et meritò: quia adoptare in filios Dei, eſt deificare, juxta illud Pſalm. 81. v. 6. *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes*, quod repetit Chriſtus, *Joann.* 10. *v.* 39. Solus autem ille deificare poteſt, qui deitatem habet per naturam.

XI. Quia verò ſpecialis difficultas eſt de Chriſto, ut homine: an ſcilicet humanitas Chriſti ratione unionis cum Verbo cauſet, vel cauſare poſſit principaliter gratiam in nobis. Probo, quòd non. Si enim humanitas Chriſti eſſet potens principaliter cauſare gratiam in nobis, hoc eſſet, vel quia fieret potens ex unione ad Verbum; vel quia ſuppoſitâ tali unione, ex quadam decentiâ communicaretur ei vis principaliter cauſativa gratiæ: ſed ex neutro ei convenire poteſt; ergo &c. Minor pro prima parte prob. Tùm quia; unio hypoſtatica datur præ-

Digitized by Google

eisè ad faciendum ſubſiſtere naturam humanam, non verò ad conſtituendam illam potentem operari. Quare communiter Theologi in Chriſto, præter gratiam unionis, ponunt gratiam habitualem; ut per iſtam anima Chriſti reddatur potens elicere operationes ſupernaturales. Tùm etiam: quia ſi Verbum faceret naturam humanam Chriſti potentem operari; deberet ei uniri, non per modum puri termini, ſed per modum formæ eam intrinſecè informantis: quod ſubſiſtentiæ divinæ completiſſimæ repugnat.

Pro ſecunda etiam probatur primò. Ex dictis gratia eſt formalis, & immediata participatio naturæ divinæ, ut in ſe eſt; ergo non poteſt principaliter cauſari, niſi ab habente naturam divinam, cui ſoli aſſimilari poteſt tanquam effectus cauſæ: ſed humanitati Chriſti nequit communicari natura divina tanquam principium agendi; ergo nequit communicari virtus principaliter cauſativa gratiæ. — Secundò. Si humanitati Chriſti communicaretur virtus ad principaliter cauſandam gratiam; vel eſſet ad eam creandam: & hoc nulli creaturæ communicari poſſe, oſtendimus *Tom. 5. in 1. par. Qu. 1. de Deo Creatore Dub. 3. §. 2.* Vel eſſet ad eam educendam de potentia obedientiali animæ; & neque hoc creaturæ principaliter concedi poteſt: quia potentia obedientialis ſubditur ſoli Deo, ut habenti dominium ſupra totam naturam creatam, ad obediendum Deo in omnibus, quæ non involvunt contradictionem: hoc autem abſolutum dominium nec humanitas Chriſti, nec ulla creatura habere poteſt; ergo &c.

XII. Ex dictis colligi poteſt, hominem non eſſe cauſam principalem habituum fidei, ſpei, & caritatis: tales enim habitus, utpote ſupernaturales, & infuſos, Deus operatur in nobis ſinè nobis efficientibus. Imò nec per actus noſtros augeri effectivè, ſed ſolùm diſpoſitivè, & meritoriè. Unde D. Tho. 2. 2. quæſt. 24. art. 6. *Quilibet* (inquit) *actus caritatis diſponit ad caritatis augmentum, inquantùm ex uno actu caritatis homo redditur promtior ad agendum ſecundùm caritatem: & habilitate creſcente homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad caritatis profectum.*

§. III.

Contraria Rationes.

XIII. Objicitur primò. Ideo probamus, Deum eſſe cauſam principalem gratiæ; quia de ipſo Scriptura dicit, quòd juſtificat nos, & ſanctificat animas noſtras: ſed hoc ipſum dicitur de quolibet Juſto; ergo &c. Min. probatur primò. *Joann. 3. v. 3.* dicitur: *Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut ille ſanctus eſt.* Eccleſiaſtici 2. v. 20. *Qui timent Dominum, praparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas.* Et Ezechiel. 18. v. 27. *Et cum averterit ſe Juſtus ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium, & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit.*

XIV. Reſpondeo, omnia, & ſimilia teſtimonia ſolum evincere, quòd homo vivificet ſe, & ſanctificet animam ſuam: vel quatenus, iam in gratia conſtitutus, facit per caritatem opera vitæ diſponentia ad augmentum gratiæ: vel quatenus auxilio gratiæ Dei moventis diſponit ſe, ut à Deo accipiat gratiam vivificantem, & juſtificantem.

XV. Sed inſtabis contra. Qui ſe movet effectivè ad diſpoſitionem ex natura rei connexam cum forma, effectivè quoque ſe movet ad formam ipſam; ergo ſi homo, virtute gratiæ moventis, effectivè ſe movet ad contritionem, quæ eſt ultima diſpoſitio ex natura rei connexa cum gratia ſanctificante, ſe movet etiam ad gratiam: ſicut qui effective ultimò diſponit lignum ad formam ignis, effectivè etiam producit formam ignis in ligno.

XVI.

XVI. Reſpondeo primò, diſt. maj. Qui ſe movet &c. per formam æqualis perfectionis cum forma, ad quam diſponit &c. conc. major. Qui ſe movet per formam inæqualis perfectionis &c. nego maj. & conc. min. nego con eq. Quia homo non diſponit ſe ad gratiam per formam æqualis perfectionis cum gratia ſanctificante; diſponit enim ſe per auxilium gratiæ, quod minùs nobile eſt ipsâ gratiâ: & ideo non ſequitur, quòd ſi effectivè ſe diſponit ad gratiam, effectivè quoque producat gratiam. Qui autem ponit ultimam diſpoſitionem ad formam ignis, illam ponit per formam, vel æquè nobilem, vel nobiliorem formâ ignis: & ideo poteſt etiam formam ignis producere.

XVII. Reſpondeo ſecundò, diſt. majorem. Ad ultimam diſpoſitionem, quæ ſit totaliter phyſica, concedo major. Quæ ſit partim phyſica, partim moralis, nego maj. In ordine naturali ultima diſpoſitio ad formam ex natura ſua, & phyſicè infert in ſubiecto formam, ut calor ut octo formam ignis: & ideo agens, quod ponit ultimam diſpoſitionem, ponit etiam formam. At in ordine ſupernaturali contritio, quæ eſt ultima diſpoſitio ad gratiam juſtificantem, non eſt totaliter phyſica, & ex natura rei inferens gratiam; ſed inter illam, & gratiam intercedit novus favor Dei. De facto enim contrito datur gratia, ſuppoſitâ promiſſione Dei: dicitur enim Zachar. 1. v. 3. *Convertimini ad me* (per contritionem) *& ego convertar ad vos* (per gratiam). Et ideo homo eliciens contritionem, non efficit principaliter gratiam, ſed hæc à Deo infunditur: *Gratiam dabit Dominus* (Pſalm. 83. v. 12.)

XVIII. Objicitur ſecundò. Homo habitum habens caritatis eſt cauſa efficiens principalis actus caritatis: & habens habitum luminis gloriæ eſt etiam cauſa principalis viſionis Dei; ergo homo habens gratiam poteſt eſſe cauſa gratiæ. Conſ. prob. Nam ſicut hæc eſt participatio formalis divinæ naturæ: ita illi actus, divini actus, quo Deus videt ſe, & ſe amat, formales participationes ſunt, & per eos ſimiles Deo efficimur. Unde 1. Joann. 3. v. 2. *Similes ei erimus: quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.*

XIX. Reſpondeo, co. ant. neg. conſ. Ad probat. dico, diſparitatem eſſe: quòd gratia eſt immediata participatio formalis divinæ naturæ, ſicut habitus caritatis, & luminis gloriæ ſunt immediatæ participationes divinæ voluntatis, & intellectus: unde à ſolo Deo ea habente per naturam infundi, & produci poſſunt. At actus caritatis, & viſionis Dei, eſtò ſint ſimiles analogicè amori, & viſioni increatæ Dei; non tamen ſunt formales, & immediatæ participationes eorum: quia ab iis immediatè non procedunt, ſed ab intellectu creato in vi luminis, & caritatis à Deo procedentium, juxta illud Pſal. 35. v. 10. *In lumine tuo videbimus lumen*. Unde benè ſtat, quòd actus viſionis, & caritatis poſſint ab agente creato principaliter produci, ſecus gratia.

Ex hoc naſcitur alia diſparitas: nempe, quòd actus viſionis, & caritatis, eſtò ſint ſupernaturales, ſupponunt tamen in intellectu habitum luminis gloriæ, & in voluntate habitum caritatis, qui ſunt ejuſdem ſpeciei, & perfectionis cum illis. At gratia ſanctificans non poteſt ſupponere in ſuo ſubjecto aliquod principium ſupernaturale, quod ſit æqualis perfectionis; cùm illa, utpote natura in tali ordine, ſit principium primum, & perfectiſſimum — Quibus addi poteſt: quòd ſi homo gratiam principaliter produceret in alio, ageret immediatè in potentiam obedientialem animæ, quæ ſoli Deo ſubditur, eam elevando: producendo autem actum ſupernaturalem agit in potentiam jam elevatam per habitum, cui actus ille factus eſt connaturalis.

XX. Objicitur tertiò. Gratia Petri eſt ejuſdem rationis cum gratia Pauli; ergo

ergo Petrus poterit gratiam in Paulo producere. Conſ. prob. Principium enim conſtitutum per formam æqualis perfectionis poteſt formam ſimilem in altero producere: quemadmodum quia omnes homines in natura ſunt æquales, poteſt unus homo alium producere ſibi ſimilem in natura.

XXI. Reſpondeo. diſt. ant. Eſt ejuſdem rationis in eſſe entis, co. ant. In ratione cauſæ, & effectus, nego ant. Ad probat. eodem modo diſtinguo. Et inſto in Archangelo, qui eſtò perfectior ſit Angelo in eſſe entis, nequit tamen Angelum producere, quia Angelus in ratione effectus excedit Archangelum: cùm, utpote producibilis ſolùm per creationem, petat agens infinitæ virtutis.

XXII. Sed dices. Bonum eſt diffuſivum ſui, ut patet in omnibus cauſis; ergo quod plus habet de ratione boni, plus habet de ratione diffuſionis: ſed gratia, utpote forma ſpiritualis, plus habet de ratione boni, quàm formę corporales: cùm ergo formæ corporales ſint principium ſuæ communicationis in ſimilitudinem ſpeciei, multò magis gratiam habens poterit eam in alio cauſare.

XXIII. Reſpondeo, diſt. maj. Bonum poſitum in ſubjecto, à quo perfectè poſſidetur, eſt diffuſivum ſui, co. maj. Poſitum in ſubjecto, à quo ſolùm imperfectè, & diminutè poſſidetur, nego maj. Ait ergo S. Tho. Q. 27. de Verit. a. 3. ad 3. *Quòd non eſt ex defectu bonitatis gratiæ, quin habens eam poſſit in alium diffundere; ſed eſt ex ejus eminentia pariter, & defectu habentis: quia ipſa tranſcendit ſtatum naturæ creatæ; & habens eam, non ipſam participat in tanta perfectione, ut eam communicare poſſit.* Videatur etiam ibi *ad* 24.

Conferenda eſt hæc doctrina cum alia ejuſdem S. Doctoris 1. 2. *q.* 5. *a.* 6. *ad* 2. ubi quærens: an Angelus, qui eſt beatus in actu, poſſit beatitudinem in homine, qui eſt beatus ſolùm in potentia, producere; cùm id, quod eſt in potentia, poſſit reduci in actum per id, quod eſt actu tale; ſicut quod eſt potentia calidum, fit actu calidum per id, quod eſt actu calidum: reſpondet negativè his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quod quando aliqua forma actu exiſtit in aliquo ſecundum eſſe perfectum, & naturale, poteſt eſſe principium actionis in alterum; ſicut calidum per calorem calefacit: ſed ſi forma exiſtit in aliquo imperfectè, & non ſecundùm eſſe naturale, non poteſt eſſe principium communicationis ſui ad alterum, ſicut intentio coloris, qui eſt in pupilla, non poteſt facere album: neque omnia, quæ ſunt illuminata, aut calefacta poſſunt alia calefacere, & illuminare: ſic enim illuminatio, & calefactio eſſent uſque ad infinitum. Lumen autem gloriæ, per quod Deus videtur, in Deo quidem eſt perfectè ſecundùm eſſe naturale; in qualibet autem creaturâ eſt imperfectè, & ſecundùm eſſe ſimilitudinarium, vel participatum: unde nulla creatura beata poteſt communicare ſuam beatitudinem alteri.* Hæc D. Thom. Ex quibus ſic diſcurro. Certè gratia, quæ eſt in Petro comparata gratiæ, quæ eſt in Deo, magis imperfecta eſt, quàm ſit minima lux, & minimus calor: ſed minima lux, & minimus calor nequeunt lucem, & calorem in alium diffundere; ergo nec gratia &c.

XXIV. Sed contra hanc doctrinam replicabis. Sicut gratia eſt participata ſimilitudo Dei, qui eſt per eſſentiam Deus, Sanctus &c. ita ignis, & quælibet creatura eſt participatio eſſentialis divini eſſe; & tamen ignis poteſt alium ignem producere; ergo gratia poterit aliam gratiam producere.

XXV. Reſpondeo, diſparitatem eſſe. Primò: quia eſſe ignem, eſtò ſit à Deo virtualiter participatum, eſt tamen in igne ſecundùm eſſe naturale, & perfectum: & ideo poteſt eſſe principium communicationis in alterum. Gratia verò in natura creata eſt ſolùm imperfectè, & non ſecundum eſſe

natu-

Digitized by Google

naturale. Secundò: ignis eſt participatio Dei, ut cauſæ univerſalis, & purè efficientis, & ſolum virtualis: & ideo non tollit, quin ab alia cauſa particulari poſſit produci. At gratia eſt participatio formalis divinæ naturæ reſpiciens Deum, non ſolum ut cauſam efficientem ſpecialem, ſed & ſpecificativam; unde non poteſt ab alio, quàm ab ipſo participari; ſicut participatio formalis ignis non poteſt ab alio participari principaliter, quod non ſit ignis.

XXVI. Objicitur quartò, probando, quòd etiam Chriſtus, ut homo, ſit cauſa principalis noſtræ gratiæ. Primò. Tùm ex illo *Matth. 9. v. 6.* ubi Chriſtus de ſe ait: *Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*. Tùm Joann. 1 v. 17. *Gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Tùm Joan. 10. v. 9. *Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſalvabitur*. Ait D. Thom. 3. p. q. 8. a. 6. ad 3. *In oſtio importatur principalis auctoritas*. Et in 4. diſt. 5. q. 2. a. 2. quæſt. 2. *Agens* (inquit) *principale in baptizando eſt ipſe Deus per auctoritatem, & ipſe Chriſtus ſecundùm quòd homo*.

Secundò ratione. Quia Chriſtus, ut homo, habet gratiam perfectiorem noſtrâ, nempe, gratiam capitis: ſed de ratione capitis eſt principaliter influere in membra; ergo &c.

XXVII. Reſpondeo, materiam hanc pertinere ad Tractatum de Gratia Chriſti. Ad præſens tamen intentum, obſervo cum S. Thoma 3. *p. q. 64. a. 3. & 4.* Chriſtum reſpectu gratiæ, & remiſſionis peccatorum duplicem habuiſſe poteſtatem. Unam auctoritatis, & principalis agentis, quæ ei convenit quatenus eſt Deus, & (ſubdit *a. 4.*) talis poteſtas nulli creaturæ potuit communicari, ſicut nec divina eſſentia. Aliam excellentiæ, ſeu miniſterii principalis, quæ ei convenit, ut homo eſt: inquantùm ejus humanitas eſt inſtrumentum conjunctum divinitati in Perſona, ex quo principalitatem, & cauſalitatem quamdam habet reſpectu inſtrumentorum extrinſecorum: ob quam principalitatem (ait *art. 4.* citato *ad 2.*) poteſtas excellentiæ poteſt auctoritas nominari per comparationem ad alios miniſtros.

Si ergo laudata Scripturæ loca velimus intelligere de poteſtate auctoritatis, ſeu principalis agentis; exponenda erunt de Chriſto, ſeu Filio hominis, non ratione humanæ naturæ, ſed ratione perſonæ: cui, utpote divinæ, & Deo, convenit eſſe cauſam phyſicam principalem gratiæ, quemadmodum & aliis divinis Perſonis. Si verò loqui velimus de Chriſto, ut homine, & de Filio hominis ratione naturæ; exponenda erunt de poteſtate excellentiæ, quæ etiam auctoritatis dici poteſt: non quidem agentis principalis, ſed inſtrumenti conjuncti, quod principalitatem quamdam habet reſpectu inſtrumentorum ſeparatorum. Quando autem D. Tho. *in 4. ſent.* allato dicit, quòd Chriſtus, ſecundùm quòd homo, eſt agens principale; non ſentit, eſſe agens principale per auctoritatem abſolutè, ſicut Deus, ſed per meritum; unde ſubdit: *Cujus meritum operatur in Baptiſmo*. Eſſe autem agens principale hoc modo, ſolùm eſt habere poteſtatem miniſterii principalis, ſive poteſtatem excellentiæ; ad differentiam aliorum miniſtrorum, qui, ut dicit S. Doctor ibi, ſunt agentia ſolùm inſtrumentalia. Videri poteſt in 4. *diſt. 19. q. 1. a. 1. quæſt. 2.*

XXVIII. Alii propterea (nec malè) diſtinguunt inter agens phyſicum, & morale; aſſeruntque, Chriſtum, ut homo eſt, licèt non ſit agens principale phyſicum noſtræ gratiæ, eſſe tamen agens principale morale illius. Nam Chriſtus meruit nobis gratiam, non quidem ut inſtrumentum Dei, aliàs Deus eſſet, qui mereretur; ſed ut cauſa principalis meritoria. Unde Tridentinum *Seſſione 6. cap. 7.* Chriſtum appellat cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis; Sacramenta verò cauſam inſtrumentalem. Et hoc modo cùm S. Tho. appellat Chriſtum,

ut

ut hominem, cauſam principalem noſtræ gratiæ; loquitur de cauſa principali, non phyſicâ, ſed morali.

XXIX. Ad rationem allatam, dico, gratiam Chriſti eſſe ejuſdem ſpeciei cum noſtra: ac proinde ſicut gratia noſtra non eſt productiva principaliter alterius gratiæ, ob rationes ſuperiùs allatas; ita neque gratia Chriſti. Dicitur tamen eſſe gratia capitalis, & influxiva in membra, vel inſtrumentaliter phyſicè, poteſtate tamen excellentiæ: vel principaliter moraliter, modo explicato. Unde D. Thom. *Q. 27. de Verit. a. 3. ad 6.* ait: *Quòd ideo Chriſtus ſecundùm humanam naturam, præ aliis miniſtris, Caput Eccleſiæ dicitur; quia præ cæteris aliis miniſterium habuit: inquantùm per fidem ipſius ſanctificamur, & per invocationem nominis ejus Sacramentis imbuimur, & virtute Paſſionis ejus tota humana natura à peccato primi Parentis purgatur; & multa alia hujuſmodi, quæ Chriſto ſingulariter conveniunt.*

DUBIUM VIII.

An Deus ſit Cauſa Gratiæ per Creationem?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico. Deus eſt cauſa gratiæ, non eam creando, ſed de potentia obedientiali animæ eam educendo. Eſt contra Scotum, & alios: eam tamen docent S. Thom. & omnes ejus diſcipuli. Et prob. primò ex duobus principiis apud Sanctum Thomam certiſſimis. Primum eſt; quòd creatura non poteſt concurrere inſtrumentaliter phyſicè ad creationem, ut *Tom. 5. in 1. p. Qu. 1. de Deo Creatore. Dub. 3. §. 2. num. 14.* oſtendimus. Secundum, quòd humanitas Chriſti, & Sacramenta novæ legis inſtrumentaliter phyſicè producunt gratiam in anima; de quo in Tractatu de Sacramentis in genere ſermo erit. Ex quibus ſic formo argumentum. Nulla creatura aſſumi poteſt ut inſtrumentum phyſicum ad creationem: ſed humanitas Chriſti, & Sacramenta aſſumuntur à Deo ut inſtrumenta phyſica ad cauſandam gratiam: ergo eam non cauſat per creationem.

II. Secundò probatur ex D. Thom. hîc 1. 2. *q.* 113. *a.* 9. ubi quærens an ſit majus opus Dei creatio Mundi, quàm juſtificatio impii; reſpondet ſub diſtinctione: quòd ex parte modi agendi *maximum opus eſt opus creationis, in qua ex nihilo fit aliquid:* ex parte verò magnitudinis ejus, quod fit, *majus opus eſt juſtificatio impii, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis; quàm creatio Cœli, & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis:* ſed ſi in juſtificatione impii gratia crearetur, juſtificatio eſſet maximum opus, non ſolùm ex magnitudine ejus, quod fit: ſed etiam ex modo agendi; ergo &c.

III. Tertiò probat. Gratia, quando deſinit eſſe, non annihilatur; ergo neque, quando producitur, creatur. Conſeq. videtur ſequi. Nam ex communi Philoſophorum conſenſu inceptio, & deſitio alicujus rei ſibi correſpondent, ut eodem modo deſinat, quo incipit. Antec. probatur. Tùm quia: ut docet D. Tho. 1. *p. qu.* 104. *a.* 4. In operibus ſive naturæ, ſive gratiæ nihil redigitur omnino in nihilum. Tùm quia: id redigitur omnino in nihilum, cujus nec pars remanet in ſe, nec in potentia ſubjecti. Unde S. Doct. ibid. *ad* 3. oſtendit, formas accidentales non omnino redigi in nihilum, cum deſinunt: *non quia aliqua pars eorum remanet, ſed quia remanet in potentia materiæ, vel ſubjecti.*

IV. Reſpondent Scotiſtæ. Si Deus deſtrueret animam rationalem, illam annihilaret: & tamen corpus, quod eſt ejus ſubjectum, remaneret; ergo, eſtò in deſtructione gratiæ remaneat ejus ſubjectum, nempe, anima, adhuc tamen annihilabitur.

V. Sed

V. Sed contra. Nam quamvis forma, quæ unitur quidem ſubjecto, quia tamen eſt per ſe ſubſiſtens, non dependet in ſuo fieri, eſſe, & conſervari à ſubjecto, poſſit vere annihilari, manente ejus ſubjecto; quemadmodum ejus ſubjecto præexiſtente poteſt creari, qualis eſt anima rationalis: forma tamen, cujus eſſe eſt in ſubjecto eſſe, & à ſubjecto in eſſe, & conſervari dependet, ſi remanet ſubjectum, non redigitur totaliter in nihilum; ut patet in formis materialibus, ſive ſubſtantialibus, ſive accidentalibus: ſed gratia, utpote accidens, habet eſſe dependens à ſubjecto in conſervari; ergo nequit redigi in nihilum manente ſubjecto. Et ſicut non poteſt eſſe terminus creationis, ita neque annihilationis.

VI. Ex his ſequitur, quòd gratia educatur de potentia animæ, non quidem naturali, ſeu violentâ; quia gratia neque eſt connaturalis animæ, nec violenta: ſed obedientiali, ſecundùm quòd nata eſt Deo obedire, ut in ea faciat, & eam moveat, quomodocumque voluerit. Quare D. Thom. *Qu. unicâ de Virtutibus art. 10. ad 13.* ait: *Sicut ex aqua, vel terrâ poteſt aliquid fieri virtute corporis cœleſtis, quod non poteſt fieri virtute ignis: ita ex eis poteſt aliquid fieri virtute ſupernaturalis agentis, quod non poteſt fieri virtute alicujus naturalis agentis. Et ſecundùm hoc dicimus, quòd in tota creaturâ eſt quædam obedientialis potentia, prout tota creatura obedit Deo, ad ſuſcipiendum in ſe quidquid Deus voluerit. Sic igitur in anima eſt aliquid in potentia, quod natum eſt reduci in actum ab agente naturali: & hoc modo ſunt in potentia in ipſa virtutes acquiſitæ. Alio modo aliquid eſt in potentia in anima, quod non eſt natum educi in actum, niſi per virtutem divinam: & ſic ſunt in potentia in anima virtutes infuſæ.* Hæc D. Thom. Idem dicito de gratia, à qua, tanquam à radice, emanant virtutes infuſæ.

§. II.

Rationes Scotiſtarum.

VII. Objiciunt primò varia Scripturæ teſtimonia, quibus videtur dici, gratiam creari. Pſalm. 50. v. 12. *Cor mundum crea in me Deus.* Ad Epheſ. 2. v. 10. *Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis.* Et cap. 4. v. 24. *Induite* (inquit Paulus) *novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*: unde *ad Galat.* 4. *v.* 15 hominem juſtum appellat *novam creaturam*. Cùm autem verba Scripturæ debeant ſumi in ſenſu literali; debet intelligi, gratiam propriè creari: maximè cùm ex hoc nullum ſequatur abſurdum.

VIII. Reſpondeo primò, inſtando contra Scotiſtas. Nam in Scriptura homo per gratiam dicitur regenerari, renaſci: unde *ad Titum* 3. *v.* 5. Baptiſmum vocat Paulus *lavacrum regenerationis*. 1. Petri 1. v. 3. *Benedictus Deus...... qui regeneravit nos in ſpem vivam*, &c. 2. v. 2. *Sicut modò geniti infantes*. Et 1. Cor. 4. v. 15. *Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui*. Quod autem generatur, non creatur — Deinde verbum *creavit* non ſemper in rigoroſo ſenſu uſurpatur a Scriptura. Nam *Geneſis* 1. *v.* 21. dicitur: *Creavitque Deus cete grandia*, quæ tamen fecit ex aquis. *v.* 27. dicitur: *Et creavit Deus hominem, ... maſculum, & fœminam creavit eos*; cum tamen hominem fecerit ex limo terræ, & fœminam ex coſta viri.

IX. Reſpondeo ſecundò cum D. Tho. 1. 2. *q.* 110. *a.* 2. *ad* 3. Quòd *propriè loquendo nullum accidens neque fit, neque corrumpitur, ſed dicitur fieri, vel corrumpi, ſecundùm quod ſubjectum incipit, vel deſinit eſſe in actu ſecundùm illud accidens. Et ſecundùm hoc etiam gratia dicitur creari; ex eo quod homines ſecundùm ipſam creantur, id eſt,* in

in novo eſſe conſtituuntur ex nihilo: ideſt, non ex meritis, ſecundùm illud ad Eph. 2. Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis.

X. Objiciunt ſecundò. Gratia eſt omnium rerum creatarum præſtantiſſima, cum ſit formalis participatio divinæ naturæ; ergo debet produci actione omnium præſtantiſſimâ, qualis eſt creatio, non verò eductio.

XI. Reſpondeo, neg. conſ. Actio igitur productiva gratiæ debet eſſe præſtantiſſima quidem, ſed accommodata conditioni, & naturæ gratiæ; quæ cum ſit accidens, atque adeo per ſe non ſubſiſtens, ſed dependens in eſſe, & conſervari à ſuo ſubjecto: debet fieri dependenter ab illo, & conſequenter à potentia obedientiali ejus educi, ſi connaturaliter producatur. Aliunde autem præſtantia gratiæ deducitur: quia, nempe, nulla creatura eſt, quæ ad ejus productionem principaliter concurrere queat.

XII. Sed dices. Non eſt contra naturam accidentis creari; ergo gratia, etſi accidens, creari poteſt. Ant. prob. Accidens ſinè ſubjecto conſervari poteſt; ergo etiam ſinè ſubjecto fieri. Rurſus: Anima rationalis in ratione ſubjecti nihil tribuit gratiæ, cùm potiùs gratia tribuat ipſi, eamque perficiat; ergo non eſt, cur ex potentia animæ educatur. Maximè quia, ſi nulla eſt in natura cauſa moralis gratiæ, multò minus debet eſſe cauſa phyſica, qualis eſt cauſa materialis, & eductiva.

XIII. Reſpondeo ad primum, neg. ant. Ad prob. diſt. conſ. Sinè ſubjecto fieri, ſi producatur extra ſubjectum, tranſeat. Si in ſubjecto producatur, nego conſeq. Imò ſicut gratia connaturaliter conſervari ſinè ſubjecto nequit; ita nequit connaturaliter ſinè ſubjecti tranſmutatione fieri. — Ad ſecundum, diſt. ant. Nihil tribuit gratiæ in genere cauſæ formalis, conc. antec. In genere cauſæ materialis, nego antec. Gratia igitur eſtò in genere cauſæ formalis tribuat animæ ſanctitatem; anima tamen in genere cauſæ materialis ad fieri, ſuſtentari, & conſervari gratiæ concurrit; non quidem ſecundum potentiam naturalem, ſed obedientialem: patiendo ſe à Deo auctore ſupernaturali tranſmutari, eo proportionali modo, quo aer patitur, ſe tranſmutari a Sole per lucem. Ex quo fit, ut reſpectu gratiæ poſſit dari in natura cauſa materialis phyſica, quia hæc ſolum dicit capacitatem, & obedientiam: non verò cauſa moralis, quæ dicit debitum, & exigentiam ſaltem moralem.

XIV. Objiciunt tertiò. Gratia Angelis, & primis Parentibus data in primo creationis momento non potuit educi; ergo fuit creata. Antec. prob. Ut forma aliqua educatur, debet fieri actione tranſmutativâ ſubjecti: ſed gratia data Angelis, & primis Parentibus, actione tranſmutativa ſubjecti fieri nequivit: ad hanc enim requiritur, ut ſubjectum pro aliquo priori inſtanti fuerit ſub privatione formæ, à qua deinde tranſmutetur ad formam; quod non potuit contingere in Angelis, qui in eodem inſtanti quo creati fuerunt, gratiam acceperunt, dicente Auguſtino: erat Deus in Angelis *condens naturam, & largiens gratiam.* (lib. 12. de Civit. Dei cap. 9.)

XV. Reſpondeo, neg. ant. ad prob. ant. dico, quòd licèt per ſe, & regulariter loquendo, ad actualem tranſmutationem requiratur, ut ſubjectum pro aliquo inſtanti reali præcedat ſub privatione, & deinde tranſeat ad formam: ut tamen actio ſit de ſe tranſmutativa ſubjecti, & conſequenter eductiva, ſufficit, ut, eſtò ſubjectum tempore non præcedat formam, actio tamen, quâ producitur forma, ſit diſtincta, & naturâ poſterior, neque habens inviolabilem nexum cùm actione productiva ſubjecti. Cum autem actio, quâ collata fuit Angelis gratia, fuerit diſtincta, & ſaltem naturâ poſterior, neque inviolabiliter connexa cum actione creativa illorum, quod indicant verba illa Auguſtini: *Con-*

dens

dens naturam, & largiens gratiam, nimirum, largitionem gratiæ fuiſſe actionem gratuitam, & donum diſtinctum à conditione naturæ: cùmque inſuper Angeli, etſi gratiam acceperint in eodem inſtanti ſuæ creationis, ad eam tamen, ſeipſos referendo in Deum, ſe diſpoſuerint, ut oſtendimus *Tom. 5. in 1. par. Quæſt. 7. de Perfect. Angel. in eſſe gratia, & gloria Dub. 2.* §. 3. *num.* 15. &c. fit, quòd actio productiva gratiæ fuit actio transmutativa ſubjecti. Quòd ſi actu non transmutaverit, fuit per accidens: quia produxit gratiam in eodem momento, quo Deus ſubſtantiam Angelorum creaverat.

XVI. Reſponderi etiam, puto, poſſet, dato, quòd gratia primò Angelis collata, non fuerit educta, ſed cum natura ipſorum concreata, ſicut concreatæ fuerunt eorum proprietates: negando tamen, quòd in nobis, in quibus anima præcedit tempore gratiæ collationem, gratia creetur, ſeu veriùs concreetur. Sicut quamvis formæ rerum materialium in prima rerum productione non fuerint eductæ ex materia, ſed cum materia concreatæ: non tamen ſequitur, quòd poſtea in ſubſequentibus generationibus non educantur, ſed concreentur. Concludo ergo cum S. Thoma Q. 27. *de Ver. a.* 3. *ad* 9. Quòd *creari propriè eſt rei ſubſiſtentis, cuius eſt propriè eſſe, & fieri. Formæ autem non ſubſiſtentes, ſive ſubſtantiales, ſive accidentales, non propriè creantur, ſed concreantur; ſicut nec eſſe habent per ſe, ſed in alio. Et quamvis non habeant materiam ex qua, quæ ſit pars eorum; habent tamen materiam in qua, à qua dependent, & per cujus mutationem in eſſe educuntur; ut ſic eorum fieri ſit propriè ſubiecti eorum tranſmutari. Secus autem eſt de anima rationali, quæ eſt forma ſubſiſtens: unde propriè ei creari convenit.*

DUBIUM IX.

An Homo Viator poſſit certò ſcire, ſe eſſe in Gratia, tali certitudine, ut nequeat ei ſubeſſe falſum?

§. I.

Varia præmittuntur.

I. TRipliciter, ut obſervat S. Th. hîc *q.* 112. *a.* 5. poteſt aliquis cognoſcere, ſe eſſe in gratia. Uno modo per revelationem: Et hoc modo poteſt aliquis certò ſcire, ſe eſſe in gratia: *Revelat enim Deus hoc aliquando aliquibus ex ſpeciali privilegio; ut ſecuritatis gaudium etiam in hac vitâ in eis incipiat, & confidentiùs, & fortiùs magnifica opera proſequantur, & mala præſentis vitæ ſuſtineant: ſicut Paulo dictum eſt* 2. *ad Cor.* 12. *ſufficit tibi gratia mea*. Quod Beatæ Virgini factum credendum eſt, *Luca* 1. Angelo eam gratiâ plenam ſalutante. Itemque Paralytico, & Mulieri peccatrici, quando, *Matth.* 9. & *Luca* 7. ipſemet Chriſtus eis dixit, quòd peccata eorum remittebantur. Unde quando Concilium Trident. *Seſſ.* 6. *cap.* 9. dicit, neminem poſſe certò certitudine fidei, cui falſum ſubeſſe non poſſit, ſcire ſe eſſe in gratia; loquitur ſecluſo ſpecialis revelationis privilegio, & ſolum viâ ordinariâ, contra hæreticos infra recenſendos, & impugnandos.

Alio modo poteſt aliquis cognoſcere, ſe eſſe in gratia, per ſeipſum; & hoc certitudinaliter. Et hoc, vel cognitione certâ, & evidente, ſicut eſt certitudo, quæ habetur per ſcientiam: vel certitudine morali, ſicut eſt certitudo de exiſtentia Romæ in eo, qui audivit à multis, Romam eſſe, tamen Romam nunquam vidit: vel certitudine ortâ ex ſignis ſupernaturalibus, quæ homo in ſe experitur: vel tandem certitudine prudentiali ſi-

mili illi, quâ certò credimus, hominem, quem videmus celebrare, eſſe Sacerdotem, vel nos eſſe baptizatos, vel nos eſſe talium hominum Filios; quæ certitudo nititur judicio prudentiali, excluditque formidinem actualem, eſtò non potentiam formidandi, ſaltem ut in plurimis.

Tertio modo etiam, aſſerit S. Doctor, aliquis cognoſcere poteſt, ſe habere gratiam, conjecturaliter per aliqua ſigna; inquantùm percipit, ſe delectari in Deo, & contemnere res mundanas; vel inquantùm ſibi non eſt conſcius peccati mortalis.

II. Lutherus, cui ſubſcribit Calvinus, cum omnibus Sectariis, tria docuit. Primum eſt: hominem certa fide cognoſcere, ſibi remiſſa eſſe peccata, & ſe eſſe in gratia. Secundum: hoc de ſeipſis omnes prorſus debere certò tenere, & ſtatuere; alioquin nec Juſtos eſſe, nec Fideles. Tertium: hac ſpeciali fide homines juſtificari, & quidem ſolâ. Primum, & ſecundum docuit primò Lutherus *in Theſibus publicis* anno 1518. *quarum* 13. erat: *Uſque ad infidelitatem errant, qui remiſſionem culpæ incertam aſſerunt, propter incertitudinem contritionis.* Item 14. *Quantumlibet incertus ſit tàm Sacerdos, quàm peccator de contritione, rata eſt abſolutio, ſi credit ſe abſolutum.* Et 15. *Certum eſt ergo, remiſſa eſſe peccata, ſi credit remiſſa; quia certa eſt Chriſti Salvatoris promiſſio.* Tertium verò primò aſſeruit in collatione, quam habuit cum Cardinali Cajetano; ubi inter cætera affirmat: *Neminem juſticari poſſe, niſi per fidem, ſic ſcilicet, ut neceſſe ſit, cum certa fide credere, ſeſe juſtificari, & nullo modo dubitare, quòd juſtitiam conſequatur. Si enim dubitat, & incertus eſt, jam non juſtificatur, ſed evomit gratiam.* Primum, & ſecundum Lutheri aſſertum hìc examinabimus: tertium ad Tractatum de Juſtificatione remittimus.

III. Ex Catholicis Ambroſius Catharinus noſter, licèt non aſſerat, hominem viatorem poſſe eſſe certum, ſe eſſe in gratia certitudine, quæ ſit fidei immediatè, & innixa divinæ revelationi, dicit, poſſe eſſe certitudine innixâ diſcurſui ex una de fide, & alterâ lumine naturali notâ. Poteſt enim homo facere hunc diſcurſum: certum de fide eſt, Deum remittere peccata, & dare gratiam pœnitentibus, & diligentibus: ſed lumine naturali cognoſco, me veram pœnitentiam habere, & Deum diligere; ergo certus ſum, ſaltem mediatè, divinâ fide, me eſſe diſpoſitum ad gratiam. Soto autem, in Apolog. contra Catharinum, dicit, hominem poſſe eſſe certum, ſe eſſe in gratia tantâ certitudine morali, quantâ certus eſt, eſſe Romam, qui Romam nunquam vidit. Patres verò Salmanticenſes aſſerunt, hominem juſtum de ſua juſtitia habere poſſe certitudinem moralem, ſimilem illi, quâ credimus, hominem, quem videmus celebrare, eſſe Sacerdotem, vel nos eſſe baptizatos, aut filios talium parentum. Communis tamen catholicorum ſententia eſt cum S. Thoma, neminem, ſinè ſpeciali revelatione, habere poſſe de ſua juſtitia cognitionem pluſquam conjecturalem. Prius ergo contra Sectarios agemus: deinde Catholicorum ſingulares opiniones ad trutinam revocabimus.

§. I I.

Aſſertio Catholica contra Sectarios.

IV. Dico. Nemo in hac vitâ poſitus, abſque ſpeciali revelatione ſibi factâ, tenetur, aut poteſt, certitudine fidei divinæ certò credere, aut ſcire, ſe habere gratiam coram Deo. Utrumque docet Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 9.* his verbis: *Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos, qui verè juſtificati ſunt, abſque ulla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe juſtificatos; neminemque à peccatis abſolvi, ac juſtificari, niſi eum, qui certò credat, ſe abſolutum, & juſtificatum*

catum eſſe; atque hac ſolâ fide abſolutionem, & juſtificationem perfici: quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſſis, deque Mortis, & Reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet. Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: ſic quilibet, dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, ac timere poteſt; cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. Hæc Tridentinum. Quæ firmat *Can.* 13. dum ait: *Si quis dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, ut credat certò, & abſque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis, & diſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa: anathema ſit.* Et Can. 14. *Si quis dixerit, hominem à peccatis abſolvi, ac juſtificari ex eo, quòd ſe abſolvi, ac juſtificari certò credat: aut neminem verè eſſe juſtificatum, niſi qui credat, ſe eſſe juſtificatum: & hac ſolâ fide abſolutionem, ac juſtificationem perfici: anathema ſit.*

V. Multis Scripturarum locis hæc veritas Catholica firmari ſolet: nos præcipua ſubjiciemus. Primum, ex Job. 9. v. 20. & 21. *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem oſtendero, pravum me comprobabit. Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Secundum, ex Pſalm. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Tertium, Proverb. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Quartum, Eccleſiaſtæ 9. v. 1. *Sunt juſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit.* — Si dicas, impium certò ſcire, ſe odio dignum eſſe. — Reſpondeo, ſenſum eſſe, quòd nemo etiam illorum, qui juſti ſunt, ac ſapientes, certò ſcit, an amore potiùs, quàm odio dignus ſit. Vide Heronymum *Comment. in iſta verba.* Quintum, ex 1. *ad Cor.* 4. *v.* 4. ubi Apoſtolus de ſe ait: *Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.* — Nec dicas, Apoſtolo fuiſſe revelatam ſuam tùm juſtitiam, tùm prædeſtinationem. Juſtitiam quidem 2. *Cor.* 12. *v.* 9. ubi ei dicitur: *Sufficit tibi gratia mea*, ut ſuperiùs cum D. Thom. obſervavimus. Prædeſtinationem verò *Actor.* 9. *v.* 15. ubi Ananiæ de Saulo dicitur: *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte.*

Reſpondeo enim, communiùs negari, Paulo fuiſſe à Deo revelatam ſuam juſtitiam, ac prædeſtinationem. Tàm enim præcitata verba, quàm hæc alia c. 9. v. 27. *Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar,* apertè oſtendunt, eum nec de ſua juſtitiâ, nec de ſua perſeverantiâ certum fuiſſe. Unde citato *c.* 4. ex 1. *ad Cor.* præmiſerat: *Sed neque me ipſum judico:* & poſtea ſubdit: *Qui autem judicat me, Dominus eſt.* Potuiſſet autem de ſe ferre judicium, ſi divinâ revelatione fuiſſet certificatus. In hunc ſenſum veniunt S. Hieron. *l.* 2. *adver. Pelagian.* Chryſoſt. *Homil.* 23 *in* 1. *ad Cor.* dicens: *Si Paulus hoc timuit, cùm talis eſſet præceptor, & poſt prædicationem, & orbis terrarum ſuſceptum patrocinium formidavit: quidnam nos dicemus?* Et Aug. Serm. 19. de Verb. Apoſt. *Suo* (inquit) *timore nos terruit: Quid enim faciet agnus, ubi aries tremit?* Eadem eſt ſententia Gregorii *l.* 9. *Epiſt.* 22. Bernardi *Serm. de Converſ. ad Clericos c.* 16. Et aliorum. Unde ſequitur, quòd etſi detur, Apoſtolos fuiſſe in gratia confirmatos, id tamen eos latuiſſe.

VI. Hinc non obſtat, dictum Paulo fuiſſe: *Sufficit tibi gratia mea.* Illis enim verbis exprimitur quidem, ipſum auxilio gratiæ divinæ adjuvari, & adjuvandum; ne, ut oraverat, ſtimulo carnis ſuperetur: non tamen ei revelatur, quòd ſit in gratia juſtificante, vel quòd ab ea non ſit caſurus.

Nec

Nec refert, quòd S. Thom. afferat hanc ſententiam pro exemplo eius, quod dixerat, Deum quibuſdam revelare, quòd habeant gratiam. Nam non exprimit, Paulo fuiſſe revelatum, quòd haberet gratiam iuſtificantem: ſed generaliter de gratia actualis protectionis hoc ipſe interpretatur *lect.* 3. in iſtud *cap.* dicens: *Non duceris ad impatientiam, cùm gratia mea confortet te, quia gratia mea protegit te.* His addo: quòd, dato etiam, fuiſſe revelatum Paulo, quòd tunc eſſet in gratia juſtificante; non fuit tamen revelatum, quamdiu eſſet in gratia perſeveraturus, vel nunquam in aliam tentationem ipſum caſurum: & propterea locum adhuc timori fuiſſe in Paulo.

Quod verò Ananiæ dicitur: *Vas electionis eſt mihi iſte*, non continet revelationem de electione Pauli ad gloriam, ſed ad miniſterium prædicationis Evangelii; ſubditur enim: *Ut portet nomen meum coram Gentibus &c.*

VII. Certitudini, quam Acatholici fingunt neceſſariam ad juſtificationem, reſiſtunt ea Scripturæ teſtimonia, quæ docent, hominem ſemper debere eſſe in timore. Ut illud Proverb. 28. v. 14. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Illud 1. Petri 1. v. 17. *In timore incolatus veſtri tempore converſamini:* Et hoc, quia Deus *ſinè acceptione perſonarum judicat ſecundum uniuſcujuſque opus.* Illud ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Et illud 2 ad Cor. 10. v. 18. *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.*

VIII. Accedunt Patres. Auguſtinus *l. de Perfect. Juſtit. c.* 15. ait: *Quantâlibet enim juſtitiâ ſit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inveniatur eſſe culpandum, cùm Rex juſtus ſederit in throno; cujus cognitionem fugere delicta non poſſunt, nec illa de quibus dictum eſt;* Delicta quis intelligit? Idem, Gregorius *l. 6. Epiſt.* 22. Bernardus *Serm.* 3. *de Adventu, & Serm.* 23. *in Cantic.* Idem alii. Quorum aliqui obſervant, quòd Scriptura, agens de remiſſione peccatorum reſpectu perſonarum particularium, ſemper adhibet particulam illam *fortè, forſitan*, ut à nobis juſtitiæ propriæ perniciofam hanc confidentiam ſubmoveat. Ut Daniel. 4. v. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime, ... forſitan ignoſcet* (Deus) *delictis tuis.* Act. 8. v. 22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tuâ, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Jonæ 3. v. 9. *Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus?* Unde S. Greg. *l. 6. Epiſt.* 22. Ad Gregoriam Auguſtæ cubiculariam, quæ ipſum rogaverat, cupiens ſcire, an ſibi remiſſa eſſent peccata; inter alia, hæc reſcribit: *Rem mihi difficilem, & tibi inutilem poſtulaſti: difficilem, quia indignus ſum, cui revelatio immittatur à Deo: tibi inutilem, quia ſecuritas negligentiam parit.*

IX. Ratio tandem hanc comprobat veritatem. Nihil eſt, unde quiſque Fidelis poſſit habere certitudinem fidei de ſua gratia; ergo citra ſpecialem divinam revelationem, & conſequenter abſolutè eam habere non poteſt. Ant. prob. Nihil poteſt eſſe certum certitudine fidei, niſi, vel immediatè contineatur in verbo Dei; vel ſaltem per neceſſariam illationem ex eo deducatur: ſed quòd ego, vel quilibet alius, ſit in ſtatu gratiæ, neque eſt in Sacra Scriptura, ſeu verbo Dei immediatè revelatum; neque ex eo per neceſſariam illationem deduci poteſt: eſtò enim in verbo Dei contineatur, quòd qui ad Deum ex toto corde convertitur, & ex animo pœnitet, & ex ſincero amore Dei operatur, Deus convertetur ad ipſum per gratiam; non tamen in verbo Dei continetur, neque ex eo neceſſariò deduci poteſt, quòd ego, vel alius, ex toto corde convertar, ex animo pœnitentiâ ex motivo ſupernaturali tangar, vel quòd impleam diſpoſitiones neceſſarias ad conſequendam à Deo gratiam; ergo &c. Hæc eſt ratio, quâ, ut ſupra vidi-

vidimus, utitur Concilium Tridentinum.

X Confirmatur. Quòd ego juſtificer, pendet à voluntate Dei, & à mea ultimâ diſpoſitione: ſed meam ultimam diſpoſitionem eſſe devitam, non poſſum certò cognoſcere per fidem infuſam: ut enim ait D. Greg. 1. parte ſui Paſtoralis c. 29. *Mens humana ſæpe ſibi mentitur de ſeipſa, & fingit, ſe amare, quod non amat* Et S. Auguſt. lib. 50. Homiliarum homil. 35. *Quamdiu* (inquit) *vivimus hic, de nobis ipſis nos ipſi judicare non poſſumus, non dico, quid cras erimus, ſed quid hodie ſumus.*

§. III.

Sectariorum Fundamenta.

XI. Objiciunt primò Scripturam. Primò. Nam ſe eſſe in gratia, ſcivit Abraham, juxta illud Geneſ. 22. v. 12. *Nunc cognovi, quod times Deum*, id eſt, *cognoſcere te feci*: timor autem ille, utpote filialis, non erat ſinè gratiâ.

Secundò. Dominus, Joann. 13. v. 35. *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*: multò ergo magis poterit homo de ſeipſo cognoſcere, ſe eſſe diſcipulum Chriſti, ſi dilectionem habeat ad proximum.

Tertiò. Idem Dominus, *Joann.* 14. *v.* 17. poſtquam promiſit diſcipulis *Spiritum veritatis, quem Mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum*; ſubjungit: *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*. Et v. 20. *In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*; ergo fidelis certò cognoſcere poteſt, Spiritum Sanctum, & Chriſtum eſſe in ipſo per gratiam.

Quartò. Paulus, *Rom.* 8. *v.* 16. ait: *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei*: cum ergo teſtimonium Spiritus Sancti ſit infallibile, eique divinâ fide aſſentiri teneamur, ipſi atteſtanti, nos eſſe filios Dei, tenemur fide credere. Unde S. Joann. Chryſoſt. in hæc verba, ait: *Cùm Spiritus Sanctus teſtatur, quæ tandem reſtat ambiguitas?* Et S. Bernardus Serm. 1. de Annunciat. *Si credis* (inquit) *peccata tua non poſſe deleri, niſi ab eo, cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, benè facis: ſed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipſum tibi peccata donantur. Hoc eſt teſtimonium, quod perhibet in corde noſtro Spiritus Sanctus dicens: dimiſſa ſunt tibi peccata tua*. Quid clarius?

Quintò. Idem Paulus 1. *Cor.* 2. *v.* 12. ait: *Nos autem non ſpiritum hujus Mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.*

Sextò. Idem 2. Corinth. 1. v. 12. *Nam* (inquit) *gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus*. Inanis autem eſſet hujuſmodi gloriatio, niſi haberet abſolutam certitudinem de ſua gratia.

Septimò. Eâdem *Epiſt. c.* 13. *v.* 5. ait: *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt? Niſi fortè reprobi eſtis?* Ergo qui non ſunt reprobi, ſciunt, Chriſtum in ipſis eſſe, & eſſe in gratia.

Octavò. 2. *Petri* 1. *v.* 10. ſic monemur: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*; ergo poſſumus eſſe certi, nos habere gratiam, & eſſe Electos.

Nonò. Tandem, 1. Joan 3. v. 14. *Scimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus*. v. 19. *In hoc cognoſcimus, quoniam ex veritate ſumus*. Et v. 24. *Et qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus, quoniam manet in nobis de ſpiritu, quem dedit nobis.*

XII.

XII. Hæc præcipua ſunt, quæ pro ſuo errore ſtabiliendo jactant Acatholici: ſed infeliciter. Nam ad primum reſpondit jam S. Thom. hâc q. 112. a. 5. ad 5. *Quòd illud verbum Abrahæ dictum poteſt referri ad notitiam experimentalem, quæ eſt per exhibitionem operis. In opere enim illo, quod fecerat Abraham, cognoſcere potuit experimentaliter, ſe Dei timorem habere. Vel poteſt hoc etiam ad revelationem referri:* quatenus ſcilicet illis verbis Deus illi revelavit, & propterea Abraham hoc de ſeipſo ſcivit.

XIII. Ad ſecundum dico, Chriſtum verbis illis voluiſſe indicare, externam mutuam dilectionem fore ſignum, quo ab omnibus, tanquam Chriſti diſcipuli, profeſſione nimirum, dignoſcerentur: quod tamen ſolùm parere poteſt conjecturalem cognitionem, non certitudinem abſolutam. An enim ejuſmodi dilectio ſit ex corde ſincero, & ex affectu in Deum, & proinde effectus gratiæ; an vero ex affectu naturæ, & motivo temporali interiùs: nec alii, imò nec ipſe, qui diligit, certò cognoſcere poteſt.

XIV. Ad tertium dico, priora Chriſti verba ſenſum facere, quòd Fideles, in quibus S. Spiritus inhabitat, eum cognoſcant; non quidem cognitione ſterili, qualis eſt ex fide informi, ſed fructuoſâ, qualis oritur ex fide viva: verùm hæc cognitio eſt ſolùm conjecturalis. Quis enim certò novit, opera, quæ facit, eſſe ex fide viva, & non potiùs informi? — Poſteriora verò Chriſti verba juxta expoſitionem Cyrilli *l. 9. in Joann. c. 47.* & Auguſt. *Tract. 75. in Joan.* intelligenda ſunt de die futuri ſeculi, in quo vivemus vitâ beatâ, & evidenter, ac certiſſimè cognoſcemus, Deum eſſe in nobis; non de die præſentis vitæ.

XV. Ad quartum dico, verba Apoſtoli, vel eſſe intelligenda de tota Eccleſia, cui Spiritus Sanctus teſtatur, quòd habeat Spiritum adoptionis; comparat enim ibi Eccleſiam cum Sinagoga, quæ habuit tantùm ſpiritum ſervitutis in timore: non autem de ſingulis Chriſtianis. Nam in ſequentibus ſignificat, aliquos ex iis, ad quos ſcribit, eſſe contentioſos, & infirmos in fide, ut conſtat ex *cap. 14.* — Vel ſi intelligere velimus de Fidelibus in ſingulari, exponenda ſunt: Spiritum Sanctum teſtificari nobis, quòd filii ejus ſumus, infundendo amorem filialem: ſeclusâ tamen revelatione nobis certò conſtare non poteſt, hoc teſtimonium eſſe à Spiritu Sancto, ſed ſolùm per experientiam cujuſdam ſuavitatis, & tranquillitatis conſcientiæ, proſque affectus, quibus confidenter dicimus: *Abba Pater*. Quæ cum inveniri poſſint etiam in non juſtis, nec poſſimus certò ſcire, ea eſſe à Spiritu Sancto, noſque verè eſſe filios Dei; ideo ſolam cognitionem conjecturalem parere poſſunt. Et propterea monet Joannes in ſua primâ Epiſt. c. 4. v. 1. *Nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.*

Ad teſtim. ex Chryſoſt. dico, quòd ſi conſtet teſtimonium illud eſſe Spiritus Sancti, nulla eſt ambiguitas, quia fallax eſſe non poteſt: hoc tamen fallax eſſe poteſt, quòd putetur, eſſe Spiritus Sancti, & non ſit. — D. Bernardus autem duo vult, ut credamus: unum, quòd media ab ipſo inſtituta efficaciam habeant: alterum, Deum habere poteſtatem delendi peccata. Sed, quòd hæc media nobis applicemus iis diſpoſitionibus, quibus oportet, certò credere nec poſſumus, nec nos debere, intendit Bernardus.

XVI. Ad quintum dico cum S. Th. hâc qu. 112. a. 5. ad 4. *Quòd Apoſtolus ibi loquitur de donis gloriæ, quæ ſunt nobis data in ſpe, quæ certiſſimè cognoſcimus per fidem; licèt non cognoſcamus per certitudinem, nos habere gratiam, per quam nos poſſimus, ea promereri. Vel poteſt dici, quòd loquitur de notitia privilegiatâ, quæ eſt per revelationem: Unde ſubdit:* Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum.

XVII. Ad ſextum dico, Apoſtolum ibi in Domino gloriari, ſe converſa-

tum

tum fuiſſe in gratia non habituali, & ſanctificante, ſed in gratia miniſterii; quòd ſcilicet cum ſinceritate, & ſimplicitate converſationis ſe geſſerit in munere Apoſtolico: neque humano ſtudio, ſed gratuitâ, ac potenti Dei operatione illud peregiſſe.

XVIII. Ad ſeptimum obſervo, Apoſtolum hortari Corinthios, ut ſe ipſos tentent, ac probent: ſi autem certi eſſent de ſua gratiâ, quid ſe tentarent, ac probarent? Quod enim certum eſt, probatione non eget. Neque ſequitur, poſt probationem velle, eos eſſe certos, niſi quadam probabili, & morali conjecturâ. Revera tamen ibi non loquitur Paulus de præſentia Chriſti in Corinthiis, per gratiam ſanctificantem; cùm multis, qui peccaverant, pœnam comminetur: ſed de præſentia ſecundùm poteſtatem imperandi, puniendi, miracula faciendi; hoc eſt: diſcutite, an habeatis veram fidem de Eccleſiaſtica poteſtate, quam Chriſtus Apoſtolis, & Eccleſiæ Præfectis dedit.

XIX. Ad octavum nego, S. Petrum ibi velle, Fideles per bona opera certos fieri de ſua gratiâ, & prædeſtinatione; ſed ſolùm eos hortari, ut ſatagant, bona opera facere, & in eis perſeverare: certi, quòd ſi in eis uſque ad finem perſeveraverint, vitam æternam conſequentur.

XX. Ad nonum dico, S. Joannem dirigere verba illa ad totam Eccleſiam, quam certiſſimum eſt, eſſe ſanctam, & quoſdam in ea eſſe ſanctos, & juſtos. At quinam ſint in particulari, niſi per ſigna probabilia, & conjecturas cognoſci non poteſt.

XXI. Objiciunt ſecundò. In Symbolo Apoſtolorum proponitur nobis credendus iſte articulus: *Credo remiſſionem peccatorum*; ergo debet quiſque credere fide divinâ, ſibi remiſſa eſſe peccata.

XXII. Reſpondeo, neg. conſ. Articulus enim de remiſſione peccatorum, non eſt, quòd quiſque credat certitudine abſolutâ, ſibi remiſſa eſſe peccata, ut volunt hæretici: ſed quòd credat, certò ea ſibi remitti, ſi pœniteat, ut oportet. Porro quia nemo ſcit, an ſic pœniteat, nemo certus eſt certitudine, cui non poſſit ſubeſſe falſum, peccata ſibi de facto fuiſſe remiſſa: quò ſpectat illud Eccleſiaſtici 5. v. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſinè metu*.

XXIII. Objiciunt tertiò. De fide eſt, Sacramenta conferre gratiam ea recipienti cum debita diſpoſitione: ſed adultus, cum baptizatur, poteſt certò cognoſcere, quâ fide, & intentione Sacramentum recipiat; ergo &c.

XXIV. Reſpondeo, neg. min. Nam ad recipiendam gratiam in Baptiſmo debet adultus moveri per aliquam diſpoſitionem ſupernaturalem: & hanc nequit homo certò cognoſcere certitudine, nedum divinâ, ſed nec abſolutè humanâ. Debet inſuper eſſe certus certitudine, cui non poſſit ſubeſſe falſum, de intentione baptizantis; ad quam certò cognoſcendam nullum habet medium.

XXV. Sed replicabis. Si ita eſt, nemo poterit dignè Sacramentum Euchariſtiæ recipere: cùm ad hoc dignè recipiendum debeat ſe judicare mundum à peccato, juxta illud 1. Cor. 11. verſ. 28. *Probet autem ſeipſum homo &c.*

XXVI. Reſpondeo, neg. ſequelam. Quia, ut homo dignè accedat ad Euchariſtiam, aut quodlibet aliud Sacramentum, non requiritur, quòd habeat judicium ſpeculativè certum de ſua juſtitia: ſed ſufficit, ut factis omnibus diligentiis prudenter, ſeu probabiliter judicet, ſe eſſe in gratia. Nam hoc ipſo format judicium practicum de licita Sacramenti ſuſceptione: quia ad hanc ſufficit ea moralis certitudo, quæ intervenit in rebus humanis. Legatur S. Tho. 3. *p. q.* 80. *a.* 4. *ad* 5.

XXVII. Objiciunt quartò. Non majorem certitudinem habet Eccleſia de diſpoſitione ejus, qui patitur martyrium, quàm habeat ipſe Martyr; ſed

ſed Eccleſia indubitatâ fide illum colit ut ſanctum; ergo & ipſe Martyr, dum patitur, indubitatâ fide cognoſcit, ſe eſſe in gratia.

XXVIII. Reſpondeo primò, neg. maj. Nam Eccleſia in declaratione Sanctorum ſpecialem habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ne proponat ut Sanctum, aut Martyrem, qui verè non ſit: at Martyr talem aſſiſtentiam non habet, ne in ſuo judicio erret. Hinc eſt, quòd plures hæretici exiſtimant, ſe mori pro Chriſto. & revera eſſe Martyres: cùm tamen pro errore pertinaciter vitam fundant, nec tamen martyrii coronâ donentur.

Reſpondeo ſecundò. objectionem hanc nos non premere. Vel enim loquitur de Martyre, dum adhuc torquetur, & nondum martyrium conſummavit: vel de Martyre, qui morte jam conſummavit martyrium. Si primum; certum eſt, eum ab Eccleſia non haberi pro Martyre. Si ſecundum, tunc Martyr certò novit, ſe habere gratiam, quippe qui à Deo gloriâ coronatur: & tunc ſolùm ab Eccleſia certò colitur ut Martyr.

XXIX Objiciunt quintò. Poteſt aliquis eſſe certus certitudine ſcientiæ, imò & fidei, alium eſſe in ſtatu gratiæ: Sacerdos enim, qui baptizavit infantem, certus eſt, illum eſſe in gratia. Certus enim eſt de fide, Baptiſmum conferre gratiam ex opere operato: certus eſt, ſe adhibuiſſe veram aquam, protuliſſe verba, habuiſſe intentionem, & infantem non poſuiſſe obicem; ergo pari ratione poterit eſſe certus, ſe eſſe in gratia.

XXX. Reſpondeo tamen, neg. conſ. & diſparitas eſt. Quia ad conferendum Baptiſmum, ex parte conferentis nullus actus ſupernaturalis requiritur: ſed ſufficit intentio actualis, vel virtualis faciendi, quod facit Eccleſia; quòd aquâ abluat, quòd legitimam formam proferat, & omnia neceſſaria impleat exteriùs, quæ omnia certò ſcire poteſt, qui batizat. At in adulto, ut dignè Sacramentum ſuſcipiat, & gratiam accipiat, requiritur diſpoſitio ex motivo ſupernaturali elicita, vera peccatorum contritio: quæ cum certò ſcire nequeat, ſe habuiſſe; ideo certus eſſe non poteſt, ſe gratiam recepiſſe.

XXXI. At inquies. Ergo ne homo juſtus erit de ſua conſcientia ſemper fluctuans, ſemper trepidans; & nunquam illâ pace gaudebit, quam ſpopondit Paulus, Rom. 5. v. 1. *Juſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum?*

Reſpondeo, neg. aſſumtum. Nam ad hoc, ut perpetuò conſcientiæ tumultu non vexetur Juſtus, quo in deſperationem impellatur; ſufficit, quòd habeat certitudinem conjecturalem, quæ, licet non auferat omnem formidinem, tollit tamen anxietatem. Neque expedit Juſto, ut de ſua juſtitiâ ſit prorſus ſecurus: nam Prov. 28. v. 14. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Et appoſitè monet Paulus ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore veſtrum ſalutem operamini.*

§. IV.

Examinantur Doctorum Catholicorum Sententia.

XXXII. Dico primò. Homo juſtus non poteſt eſſe certus de ſua juſtitiâ, certitudine comparatâ per diſcurſum ex una præmiſſâ ſupernaturali, & aliâ naturali. Eſt contra Catharinum. Et Probo. Nam ut ex una præmiſſâ ſupernaturali, & aliâ naturali deducatur concluſio certa, debet utraque præmiſſa eſſe certa, una certitudine fidei, altera certitudine naturali; ſi enim præmiſſa naturalis non ſit certa, concluſio, quæ ſemper ſequitur debiliorem partem, erit incerta: ſed in diſcurſu, quem facit Catharinus, minor præmiſſa eſt incerta; ergo &c. Min. prob. Diſcurſus Catharini eſt hic: *Certum de fide eſt, Deum remittere peccata, & dare gratiam pœnitentibus, & diligentibus*

tibus ſe : atqui *lumine naturali cognoſco, me veram pœnitentiam habere, & Deum diligere ; ergo certus ſum, me eſſe diſpoſitum ad gratiam.* Sed minor hujus ſyllogiſmi eſt incerta : ſolùm enim conjecturaliter. & ex ſignis, quæ fallacia eſſe poſſunt, cognoſcit homo, ſe eſſe verè diſpoſitum ad gratiam ; ergo &c.

XXXIII. Probo ulteriùs. Cognitio certa, & infallibilis de aliqua re habetur, vel per cauſam, vel per effectum : at neutro modo poteſt quis cognoſcere infallibiliter, ſe habere gratiam ; ergo &c. Min. pro prima parte probatur. Triplex cauſa noſtræ juſtificationis poteſt aſſignari. Una principalis, nempe, Deus, ſeu voluntas Dei ; & hanc nullus homo ſinè ſpeciali revelatione poteſt certò cognoſcere ; quia quæ ſunt Dei nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei. Altera inſtrumentalis, nempe, Sacramentum : & nec de hoc poteſt haberi certa cognitio ; quoniam hoc pendet ex intentione, ordinatione miniſtri &c. & non eſt evidens ſuſcipienti, miniſtrum habuiſſe ſinceram intentionem, & fuiſſe ritè ordinatum. Tertia cauſa eſt diſpoſitio ex parte noſtri, & hæc nec certò poteſt cognoſci. Tùm quia : non eſt certum apud Theologos, quænam diſpoſitio ſit ſufficiens. Tum quia : debet ad minùs eſſe ſupernaturalis, & ob motivum ſupernaturale : nequit autem quis certò, ac infallibiliter cognoſcere, ſe habere pœnitentiam verè ſupernaturalem. — Deinde, quòd nec ab effectu poſſit aliquis colligere cum certitudine, ſe eſſe in gratia, patet : quia quicumque effectus aſſignetur, arguit ad ſummum cognitionem conjecturalem, cum poſſint eſſe peccata occulta impedientia gratiam.

XXXIV. Probatur quoque ex D.Th. hîc *q.* 112. *a.* 5. ubi ait : *Alio modo homo cognoſcit aliquid per ſeipſum, & hoc certitudinaliter. Et ſic nullus poteſt ſcire, ſe habere gratiam: certitudo enim non poteſt haberi de aliquo, niſi poſſit dijudicari per proprium principium. Sic enim certitudo habetur de concluſionibus demonſtrativis, per indemonſtrabilia univerſalia principia : nullus autem poſſet ſcire, ſe habere ſcientiam alicujus concluſionis, ſi principium ignoraret. Principium autem gratiæ, & objectum ejus eſt ipſe Deus ; qui propter ſui excellentiam eſt nobis ignotus, ſecundùm illud Job* 36. Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram. *Et ideo ejus præſentia in nobis, & abſentia per certitudinem cognoſci non poteſt, ſecundùm illud Job* 9. Si venerit ad me, non videbo eum, ſi autem abierit, non intelligam. *Et ideo homo non poteſt per certitudinem dijudicare, utrum ipſe habeat gratiam, ſecundùm illud* 1. *ad Cor.*4. Sed neque me ipſum judico : qui autem judicat me, Dominus eſt.

XXXV. Contra hanc Catharini opinionem ſtat quoque Tridentinum ſupra laudatum, dicens : *Cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Quamvis autem præcipuum intentum Concilii fuerit, damnare errorem, ut aſſerebatur ab hæreticis : attamen conſequenter damnat omnem ſententiam aſſerentem, poſſe aliquem certitudine, cui non poſſit ſubeſſe falſum, ſcire, ſe eſſe in gratia. Contra eamdem ſtat quoque Innoc. III. qui Cap. *Accepimus* l. 5. Decretal. Tit. 34. de Purgatione Canonica, damnat Archiepiſcopum Biſuntinum, quòd jurare vellet, ſe eſſe immunem à criminibus, de quibus fuerat diffamatus, tanquam ſibi per pœnitentiam dimiſſis ; reſponderque, quòd *hoc jurare non parva temeritatis exiſteret, cùm B. Job. dicat : Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorat anima mea.*

XXXVI. Dico ſecundò. Nemo in hac vitâ poteſt ſcire, ſe eſſe in gratia, tantâ certitudine, quantâ cognoſcit, Romam eſſe ille, qui nunquam Romam vidit. Eſt contra Sotum. Probatur autem. Talis enim certitudo de exiſtentia Romæ in eo, qui nunquam Romam vidit, audivit tamen ab omnibus, Romam eſſe, excludit omnem formidi-

midinem de oppoſito; ita ut, etſi vellet, dubitare non poſſet: atqui de exiſtentia gratiæ in nobis, præciſa ſpeciali revelatione, dubitare poſſumus: *quilibet* (ait Concilium) *dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, ac timere poteſt*; quod confirmant Scripturæ loca ſupra laudata; ergo &c. Addo: in tantùm mihi moraliter certum, ac indubitatum eſt, Romam eſſe; quia veritas hæc nititur teſtimonio communi hominum invicem nec loco, nec tempore communicantium: ſed me habere gratiam, non poteſt inniti alicui fundamento huic ſimili; ergo &c.

Quapropter eſtò fatear, aliquos Sanctos viros eò deveniſſe, ut eſſent omnino certi de ſua juſtitia: hoc tamen ex ſpeciali internâ revelatione illis factâ habuiſſe, tenendum eſt, ut teſtatur D. Thom. hoc *a.* 5. Sic enim Beatæ Virgini per Gabrielem revelatum credimus, dum illi ait: *Ave gratiâ plena*. Sic D. Paulo, ſic Abraham, ſic aliis, ſive pro ſemper, ſive ad tempus determinatum.

XXXVII. Dico tertiò. Neque ex ſignis ſupernaturalibus, quæ in ſe ipſis experiuntur, poſſunt viri, cæteroquin Sanctiſſimi, habere moralem certitudinem excludentem omnem formidinem de ſua juſtitiâ. Probo primò. Quia aliter aſſerere, eſſet recedere à ſenſu Scripturæ, & Concilii Tridentini: ſecluſâ enim revelatione, nemini de ſua gratia certitudinem ſinè formidine ex quacumque causâ concedunt. Secundò. Signa, quæ ſupernaturalia exiſtimantur, poſſunt eſſe merè naturalia: pax item, & conſcientiæ tranquillitas, ſolam cognitionem conjecturalem parere poteſt; cùm etiam peccatores hanc aliquando habeant, ex ignorantia eorum culpæ. Unde 1. *Joann.* 3. *v.* 21. dicitur: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Ubi *fiduciam* (inquit) non certitudinem.

XXXVIII. Dico quartò. Nullus homo viator ſecundùm communem providentiam poteſt, de ſua gratia habere moralem certitudinem ſimilem illi, quâ credimus, hominem quem videmus celebrare, eſſe Sacerdotem, vel nos eſſe baptizatos, vel talium parentum filios. Eſt contra Salmanticenſes, conformior tamen Scripturæ, & Tridentino. Nam de tribus enumeratis ita ſumus moraliter certi, ut prudenter dubitare non poſſimus: qui enim videt aliquem in Eccleſia impunè publicè celebrantem, videt hominem exercentem impunè munus, quod ſolis Sacerdotibus conceſſum eſt: & cum ex alia parte nullum habeat argumentum, quòd Sacerdos non ſit, temerè de oppoſito dubitaret. Similiter de eo, quòd baptizati ſimus, extat fides authentica libri baptiſmalis; extat publica conteſtatio omnium, apud quos nati, & educati ſumus, omni contrario ſubmoto. Quòd etiam talium parentum filii ſimus, fidem authenticam faciunt libri baptiſmi, & teſtimonium irrefragabile eorum, qui noverunt nos, & parentes noſtros. At certitudo de eo, quòd ſimus in gratia, non eſt tanta, quin de oppoſito ſinè imprudentiâ metuere poſſimus; dicente Concilio, quemlibet de ſua gratiâ formidare poſſe. Deſunt enim omnia argumenta poſitiva, tam intrinſeca, quàm extrinſeca, in quibus fundetur certitudo, quæ in tribus præallatis caſibus adſunt; & ſolùm adeſſe poteſt argumentum negativum, quale eſt illud expoſitum à D. Paulo 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conſcius ſum*: ex quo tamen inferre non licet; ergo *juſtificatus ſum*: ſicut nec jurare ſinè temeritate licet, ut ex Innoc. III. retulimus.

XXXIX. Dico quintò. Homo viator, ſecluſâ revelatione ſpeciali, ſolùm habere poteſt cognitionem conjecturalem de eo, quòd ſit in gratia. Ita apertè docet S. Thomas hâc *q.* 112. *a.* 5. Nam, ut dicebamus, revelatione ſecluſâ, nullum adeſt medium infallibile ad hoc dignoſcendum, nec à priori, nec à poſteriori. Non à priori; quia hoc, vel debet eſſe voluntas Dei de

gratiâ dandâ, vel datâ; vel noſtra diſpoſitio: de nullo autem horum habere poſſumus notitiam certam. Neque à poſteriori, nempe, ab actu aliquo à gratia procedente, qui eam nobis certò demonſtret: nam experientia dulcedinis, & promtitudinis ad pietatis opera eſt medium valdè fallibile. Tum ob ſimilitudinem, quæ datur inter actus, qui ſunt à gratia, & qui ſunt à natura; & unum ab alio diſcernere, difficile ſit. Tum quia, Dæmon, transfigurans ſe in Angelum lucis, ſæpe nos decipit, ut videamur agi a Deo; cùm tamen à Deo non agamur, ut probat eventus. Unde S. Thom. citato loco concludit: *Hoc modo* (ideſt conjecturaliter) *aliquis cognoſcere poteſt, ſe habere gratiam; inquantùm ſcilicet percipit, ſe delectari in Deo, & inquantùm homo non eſt conſcius ſibi alicujus peccati mortalis. Secundùm quem modum poteſt intelligi, quod habetur Apoc.* 2. Vincenti dabo manna abſconditum, quod nemo novit, niſi qui accipit. *Quia ſcilicet ille, qui accipit, per quamdam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille, qui non accipit. Iſta tamen cognitio imperfecta eſt: unde Apoſtolus dicit* 1. *Cor.* 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. *Quia, ut dicitur in Pſalmo* 18. Delicta quis intelligit?

XL. Quæres primò: An poſſit aliquis in hac vitâ eſſe certus, ſe habere fidem theologicam, & infuſam?

Reſpondeo affirmativè. Et probo primò. Quia Eccleſia quibusdam in caſibus præcipit, ut Fideles jurent, ſe credere Myſterium Trinitatis, Incarnationis, & reliqua fidei Dogmata: atqui Eccleſia hoc non eis præciperet, niſi crederet, quòd vel eſſent, vel poſſent eſſe certi de iſta ſua fide: ſicut quia ſcit, eos non eſſe, nec poſſe eſſe certos de ſua gratiâ, aut caritate, nunquam præcipit eis, ut jurent, ſe eſſe in gratia, aut caritate: imò neque hoc permittit: Ut enim ſupra retulimus, Innocentius III. reprobavit formam juramenti, quâ Prælatus Biſuntinus volebat jurare, ſe immunem ab objectis criminibus, tanquam ſibi dimiſſis per pœnitentiam; ergo &c.

Quia verò tam in Symbolo, quàm in forma juramenti non eſt ſermo de fide humana, ſed de divina; ideo ulteriùs videtur, quòd Fideles poſſint eſſe certi, ſe credere fide divinâ; quidquid ſit, num certi ſint, an fides illa ſit per habitum infuſum, an per auxilium tranſiens, aut alio quovis modo.

XLI. Ratio autem eſt. Quia cùm certitudo ſit de ratione intellectus; dum intellectus certificatur de objecto ſuo, certificatur etiam de actu ſuo: & ſic ſi ſit actus ſcientiæ, certificatur de ſua ſcientiâ, & ſcit, ſe ſcire: ſi ſit actus fidei divinæ, certificatur de ſua fide, & certus eſt, ſe Deo credere. Ad differentiam voluntatis: cùm enim certitudo ad eam non pertineat, non poteſt certificari de actu ſuo: & quamvis amando objectum ſuum reflexè amet, ſe amare; non tamen per ſeipſam certificatur de actu ſuo, maximè, an ſit naturalis, vel ſupernaturalis; ſed certitudinem accipere deberet à judicio intellectus. Cum autem intellectui nullum occurrere poſſit medium in hac viâ, quo poſſit certò judicare, actum illum amoris eſſe ex vera caritate, ut vidimus; ideo nec poteſt hominem reddere certum, quòd talis amor ſit ex vera caritate. Ad ſe autem certificandum, quòd actus, quo credit, ſit fidei divinæ, habet medium certum, & infallibile, nempe, teſtimonium Eccleſiæ proponentis illud objectum, ut fide divinâ credendum: & dum ei aſſentitur, certus eſt, ſe illud credere fide divinâ. Propterea D. Tho. hâc *qu.* 112. *a.* 5. *ad* 2. ait: *De ratione ſcientiæ eſt, quòd homo certitudinem habeat de his, quorum habet ſcientiam. Et ſimiliter de ratione fidei eſt, quòd homo ſit certus de his, quorum habet fidem: & hoc ideo, quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo prædicta dona exiſtunt. Et ideo quicumque habet ſcientiam,*

vel

vel ſitem, certus eſt, ſe habere. Non eſt autem ſimilis ratio de gratia, & caritate, & aliis hujuſmodi, quæ perficiunt vim appetitivam.

XLII. Secundò probo. Qui de aliqua re non eſt, nec poteſt eſſe certus, poteſt ſinè peccato formidare, ne illa forte aliter ſe habeat: ſicut quia Juſtus non eſt, nec poteſt eſſe certus de ſua juſtitiâ, poteſt formidare abſque culpa, ne forte eam non habeat; ergo ſi Fidelis non poteſt eſſe certus de fide, quâ credit, quòd ſit divina, poterit citra culpam formidare, ne fortè ſit humana. Atqui nemo concedit, Fideles poſſe citra culpam formidare, ne fides, quâ profitentur ſe credere, non ſit divina, ſed humana, & proinde non omnino certa; ergo ſunt, vel ſaltem poſſunt eſſe certi de ſua fide, quòd non ſit humana, ſed divina, & proinde certa, & infallibilis.

XLIII. Quæres ſecundò: An de ſua ſpe poſſit aliquis eſſe certus?

Reſpondent aliqui negativè. Non enim poteſt eſſe aliquis ita certus de actu voluntatis, ſicut de actu intellectus, ut dictum eſt. — Alii tamen probabiliter affirmant: & dant diſcrimen inter actum ſpei, & caritatis. Quia ſpes non tollitur per quodlibet peccatum lethale, ſed per ſolum peccatum deſperationis: & quia poteſt aliquis eſſe certus, ſe non commiſiſſe peccatum deſperationis, poteſt eſſe certus de ſua ſpe. At caritas tollitur per quodcumque peccatum mortale; & homo certus eſſe non poteſt, ſe omni peccato mortali carere: ideo nemo certus eſſe poteſt, ſe habere caritatem, ſicut nec ſe habere habitus infuſos, qui cum gratia, & caritate neceſſariam habent connexionem.

§. V.

An ſecluſâ Revelatione poſſit Homo Viator eſſe certus de ſua Prædeſtinatione?

XLIV. Hic eſt alter Sectariorum error: volunt enim Fidelem poſſe, ac teneri, certum eſſe fide divina, ſe eſſe de numero Electorum, ac Prædeſtinatorum. Contra quem etſi aliqua dixerim *Tom. 4. in 1. p. Qu. 4. de Reprobatione. Dub. 3. §. 3. num. 15.* aliqua tamen hic addere, operæ pretium exiſtimo.

XLV. Dico. Nemo, ſecluſâ revelatione ſpeciali, poteſt eſſe certus certitudine abſolutâ de ſua prædeſtinatione ad gloriam. Dixi certitudine abſolutâ: quia certitudine conditionatâ, hoc eſt, ſi perſeveraverit uſque in finem, poſſe quemlibet eſſe certum de ſua prædeſtinatione, oſtendi citato loco *num* 17. juxta illud Matth. 10. v. 22. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

XLVI. Probant hanc catholicam veritatem primò omnes Sacræ Scripturæ textus, ſuperius § 2. recenſiti, quibus jubemur, ſemper eſſe pavidi, cum timore ſalutem noſtram operari, non eſſe certos de gratia &c. Queis ſequentes addere poſſumus. Proverb. 27. v. 1. *Ne glorieris in craſtinum, ignorans, quid ſuperventura pariat dies.* Eccleſiaſtæ 9. v. 2. *Omnia in futurum ſervantur incerta.* 1. Cor. 10. v. 12 *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* Et Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time.* Et in fine capitis *v.* 33. referens prædeſtinationem ad inſcrutabilia Dei myſteria, exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus! &c.*

XLVII. Eamdem veritatem confirmant SS. Patres. Hieronymus in c. 30. Jerem. *Nullus* (inquit) *quamvis ſanctus ſit, ſecurus pergat ad judicium.* S. Auguſtinus l. de Corrept. & gratia c. 13.

c. 13. *Quis enim ex multitudine Fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero Prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? Quia id occultari opus eſt in hoc loco, ubi ſic cavenda eſt elatio, ut etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus. Hinc Apoſtolis dicebatur:* Si manſeritis in me. *dicens illo, qui eos utique ſciebat eſſe manſuros. Et per Prophetam:* Si volueritis, & audieritis me; *cùm ſciret ipſe, in quibus operaretur & velle.* Et lib. de dono Perſev. c. 13. *Ad quam* (inquit) *vocationem pertinere, nullus eſt homo ab hominibus certâ aſſeveratione dicendus, niſi cùm ex hoc ſeculo exierit. In hac autem vitâ humanâ, quæ tentatio eſt ſuper terram, qui videtur ſtare, videat, ne cadat. Ideo quippe (ſicut jam ſupra diximus) perſeveraturi non perſeveraturis providentiſſima Dei voluntate miſcentur; ut eſſe diſcamus non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, & cum timore, & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur: Deus eſt enim, qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate.* Hoc idem Auctor *lib. 2. de Vocat. Gent. cap.* 36 & 37. docet, & Gregorius *lib. 9. Moral. cap.* 27.

XLVIII. Quamobrem meritò Conc. Trident. Seſs. 6. cap. 12. *Nemo quoque* (inquit) *quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeo præſumere debet, ut certò ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero Prædeſtinatorum ... Nam niſi ex ſpeciali revelatione ſcire non poteſt, quod Deus elegerit.* Unde Can. 16. ſic ſtatuit: *Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certò habiturum, abſolutâ, & infallibili certitudine dixerit: niſi hoc ſpeciali revelatione didicerit: anathema ſit.*

XLIX. Duplicem pro hac veritate rationem præbet S. Thomas. Prima eſt. Non convenit, omnes promiſcuè homines certos eſſe de ſua prædeſtinatione: quia ſic, qui non ſunt Prædeſtinati, deſperarent, & ſecuritas in Prædeſtinatis negligentiam pareret. Hanc tradit 1. *p. q.* 23. *a.* 1. *ad* 4.

Altera eſt. Quæ ex ſola Dei voluntate pendent, non poſſunt certò cognoſci, niſi ipſe revelet: at prædeſtinatio ex ſola Dei voluntate pendet; ergo nemo poteſt eam certò cognoſcere, niſi ipſe revelet. Hanc docet 1. *p. q.* 23. *a.* 5. *ad* 3. & *Q.* 6. *de Verit. a.* 2. Quibus in locis totus eſt in oſtendendo: quare hos ad gloriam elegerit, illos non, unicam rationem eſſe divinam voluntatem. Sed de hoc jam egimus *Tom.* 4. *in* 1. *p. qu.* 3. *de Cauſ. Prædeſt. Dub.* 3.

L. Argumenta, quibus Sectarii ſuum errorem tueri conantur ex Scriptura, eadem ſunt, quæ propoſuimus, & ſolvimus ſupra §. 3. Quibus nunc addi poſſunt ſequentia. Primum, ex prima ad Teſſalon. 1. v. 4. *Scientes fratres dilecti à Deo electionem veſtram* Secundum, ex 1. Joann. 5. v. 13. *Hæc ſcribo vobis, ut ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Tertium, ex 1. Joann. 2. v. 27. *Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium.* Certò igitur edocentur Fideles à Deo de omnibus ad ſalutem ſpectantibus; ergo & de eorum prædeſtinatione, quæ maximè ad ſalutem pertinet.

LI. Sed ad hæc facili negotio reſpondetur. Ad primum: verbum illud *Scientes* referri non ad Theſſalonicenſes, ſed ad ipſum Paulum, Silvanum, & Timotheum, quorum etiam nomine ſcribebat Paulus: ly autem *electionem veſtram*, ſignificare electionem, non ad gloriam, ſed ad Evangelium ſuſcipiendum, quod Theſſalonicenſes à Deo prædilecti cum magno fructu ſuſceperant; hoc autem bene poterat dignoſcere Paulus ex bonis effectibus, quos Theſſalonicenſium converſio apud alios populos pepererat, ut Epiſtolam illam legenti conſtabit.

Ad ſecundum dico, S. Joannem loqui de vita æternâ in ſpe, quam cun-

ctes ,

Digitized by Google

nes, qui crediderant, habere poterant; quam certò quidem ſcire poterat, aliquos de corpore illius Eccleſiæ, ad quam ſcribebat, conſecuturos: ſed quinam in particulari futuri eſſent, ſcire non poterat.

Ad tertium S. Tho. *Qu. 6. de Verit. a. 5. ad 1.* ait: *Cum dicitur, quòd* Unctio &c. *intelligendum eſt de illis, quorum cognitio ad ſalutem pertinet; non de omnibus, quæ ſecundùm ſe ad ſalutem pertinent. Cognitio autem prædeſtinationis non eſt neceſſaria ad ſalutem, etſi prædeſtinatio ſit neceſſaria*. Et 1. 2. *q.* 8. *a.* 4. *ad* 1. ex illis verbis: *Unctio docet vos de omnibus*, infert, Deum omni habenti gratiam dare donum intellectus; ut circa ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſufficienter inſtruatur à Spiritu Sancto. Sed circa ſuam prædeſtinationem non eſt neceſſe, ut quilibet inſtruatur: imò conveniens eſt, ut non doceatur, propter ea, quæ dicta ſunt ex Scriptura, Patribus, & maximè ex D.T. *Q. 6. de Verit. a.* 5. ubi hanc rem ex profeſſo pertractat. Sed hæc ſatis.

TRA-

TRACTATUS
DE JUSTIFICATIONE PECCATORIS.

PRæcipuus gratiæ habitualis effectus eſt, hominem peccatorem à peccato juſtificare, ut ex injuſto fiat juſtus. Unde Conc. Trident. *Seſſ.6.c.7.* cauſas Juſtificationis enumerans, ait: *Demum unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ juſtos nos facit: quâ videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem.* Quæ verba compendio exprimunt totam doctrinam Catholicam, quam in hoc Tractatu ſtabilire, contra noſtri ſeculi Novatores, intendimus.

QUÆSTIO I.

De Eſſentia Juſtificationis.

DE Juſtificatione agit S. Doctor 1. 2. *q.*113. per totam, & Q. 28. *de Verit.* integra. Quià verò moderni hæretici in aſſerenda juſtificationis eſſentiâ varios miſcent errores; ideo quæ ſit de eâdem, doctrina Catholicâ, & vera, in præſenti Quæſtione examinabimus.

DUBIUM I.

Utrum Juſtificatio Impii ſit Remiſſio Peccatorum.

§. I.

Explicatur Juſtificationis Notio.

I. JUſtificare idem eſt, ac facere juſtum; ſed iſtud *facere* ambiguum eſt. Interdum enim ſumitur impropriè, pro eo, quod eſt æſtimare, declarare, aut pronuntiare aliquem juſtum, ſive interim ipſe juſtus ſit, ſive non. Atque in hac ſolâ ſignificatione verbum *juſtificare* accipiunt noſtri temporis Sectarii plerique, nimirum ſtatuentes: Deum hominem declarare, aut pronuntiare juſtum, quamvis reverâ in ſe juſtus non ſit, ſed peccator; non imputando illi peccatum ſuum, ſed illi imputando juſtitiam Chriſti, quâ quaſi indutus extrinſecè coram Deo juſtus appareat. Volunt enim, vocabulum juſtificandi eſſe forenſe; ita ut nihil aliud ſit juſtificare, quàm juſtum pronuntiare, aut declarare, aut ei peccata condonare, vel non imputare, ut dicemus.

II. Alio modo verbum *facere*, quod importatur in verbo *juſtificare*, accipitur propriè; ita ut juſtificare idem ſit, ac reverâ facere juſtum: & ita ſumitur à Catholicis ex Scripturæ locis inferiùs referendis. Nam quamvis, vulgari apud homines ſermone, juſtificare idem eſſet, ac declarare, vel pronuntiare, aliquem eſſe juſtum; quia homi-

Digitized by Google

nes declarando, vel pronuntiando non faciunt juſtum, ſed juſtum ſupponunt: quando tamen in Sacra Scripturâ dicitur, Deus juſtificare impium, debet intelligi, quòd eum faciat juſtum: partim quia cùm ſit ſapientiſſimus, & rectiſſimus, non poteſt pronuntiare, aliquem eſſe juſtum, qui reverâ juſtus non ſit: partim quia nullus eſt verè juſtus, niſi juſtitiam à Deo habeat. Unde omnis ille, quem Deus juſtum declarat, ſeu pronuntiat, reverâ eſt juſtus, & non ab alio eſt juſtus, quàm à Deo: ac proinde Deus verè facit juſtum, quem juſtum eſſe declarat.

III. Neque refert, iſtud verbum *juſtificare* in hac acceptione non reperiri apud prophanos Auctores latinæ linguæ peritiſſimos. Nam nec reperitur apud eos in ea ſignificatione, in qua Sectarii uſurpant, nempe, declarando juſtum aliquem, ſive in ſe juſtus ſit, ſive non: immò nec in ulla alia, cùm prorſus apud eos verbum *juſtificare* non reperiatur. Cæterùm etſi reperiretur, non eſſet mirum, quòd ipſi non uſurparent, ſicut Catholici; quia illam Dei gratiam, quâ facit aliquos verè, ac propriè juſtos, præſertim in anima, penitus ignoraverunt. Qui verò, maximè SS. Patres, illam agnoverunt, pro eodem intellexerunt, Deum juſtificare, quòd juſtum facere. Unde Auguſt. *l. de Spiritu, & lit. c. 26.* ait: *Quid eſt enim aliud juſtificati, quàm juſti facti, ab illo ſcilicet, qui juſtificat impium, ut ex impio fiat juſtus? .... Cum vero dictum eſt:* Factores legis juſtificabuntur, *quid aliud dictum eſt, quàm juſti juſtificabuntur? Factores enim legis utique juſti ſunt. Ac per hoc tantumdem eſt, ac ſi diceretur, factores legis creabuntur, non qui erant, ſed ut ſint .... Aut certè ita dictum eſt*, juſtificabuntur, *ac ſi diceretur, juſti habebuntur, juſti deputabuntur, ſicut dictum eſt de quodam* (*Luca* 10. *v.* 29.) Ille autem volens ſe juſtificare: *ideſt, ut juſtus haberetur, aut deputaretur. Unde aliter dicimus, Deus ſanctificat Sanctos ſuos; aliter autem:* Sanctificetur nomen tuum. *Nam illud ideo, quia illos facit eſſe ſanctos, qui non erant ſancti: hoc autem ideo, ut, quod ſemper apud ſe ſanctum eſt, ſanctum etiam ab hominibus habeatur, ideſt, ſanctè timeatur.* Ecce quale eſt juſtificare, ut à Deo, diverſum à juſtificare, ut ab homine.

IV. Quoniam verò Juſtus à juſtitia dicitur, obſervo cum D. Thoma hâc *q.* 113. *a.* 1. & Q. 28. *de Verit. a.* 1. quòd juſtitia tripliciter dicitur. Uno modo, ſecundum quod eſt ſpecialis virtus contra alias Cardinales diviſa; quæ rectificat actum hominis in ordine ad alium particularem hominem, reddendo illi, quod ſuum eſt; quâ homo dirigitur in contractibus emptionis, venditionis &c. quæ virtus non eſt omni peccato contraria, ſed ſolum illis, quæ contra hujuſmodi rectam communicationem inter homines fiunt, ut rapina, furtum &c. Alio modo, juſtitia dicitur legalis, quâ homo rectè ſe habet in ordine ad bonum commune multitudinis: hanc ſervare intendit Legiſlator in condendis legibus, & vir fortis, cum in acie fortiter confligit pro ſalute Reipublicæ. Et nec omne peccatum juſtitiæ legali opponitur, ſed illud ſolùm, quod bonum commune multitudinis lædit. Tertio tandem modo, juſtitia generaliter dicitur, prout nominat ſtatum quemdam, ſecundùm quem homo eſt debitè ordinatus ad Deum, ad proximum, & ad ſeipſum, quatenus in eo vires inferiores ſuperiori ſubduntur: quæ juſtitia generalis dicitur, & minùs propriè. Et huic juſtitiæ omne peccatum opponitur; cùm per quodlibet peccatum aliquid de prædicto ordine corrumpatur. Ab hac ergo juſtitia, quâ homo ordinatè ſe habet ad Deum, ad proximum, & ad ſe ipſum, homo dicitur ſimpliciter juſtus. Et ab hac juſtitiâ juſtificatio nominatur, ſive ſicut motus à ſuo termino, ſive ſicut effectus formalis à forma. Ita diſcurrit S. Thom. Q. 28. *de Verit. a.* 1 Unde juſtificatio hoc modo omnium virtu-

tum

tum, etiam ſupernaturalium, collectionem complectitur; ut juſtitia dicatur etiam à Deo, & coram Deo, & poteſt deſcribi: quòd ſit *Recta diſpoſitio totius hominis erga Deum, ſeipſum, & proximum.*

V. Ex his conformiter juſtificatio ſumi poteſt activè, vel paſſivè. Activè eſt illa actio, quâ Deus aliquem efficit juſtum, rectum, ac benè diſpoſitum erga Deum, ſeipſum, & proximum. Paſſivè, nempe, pro effectu talis actionis, qui nimirum importat, vel motum, vel mutationem ad juſtitiam, ſicut calefactio importat motum ad calorem. Hic juſtificatio accipitur paſſivè.

VI. Pro quo obſervandum eſt cum D. Tho. citatis locis, juſtificationem paſſivè acceptam fieri poſſe dupliciter. Vel per modum ſimplicis mutationis, ſeu generationis, quæ eſt de naturali privatione, vel negatione juſtitiæ ad juſtitiam, ut ad formam. Et hoc modo juſtificati fuerunt Angeli, & primi homines, qui ſimul cum natura acceperunt gratiam: & juſtificaretur homo in puris naturalibus conditus, ſi non exiſtens in peccato, carens tamen gratiâ, ſeu juſtitiâ ſupernaturali, ad iſtam transferretur. Vel per modum motus, qui eſt de contrario in contrarium, qualis eſt juſtificatio hominis, qui priùs erat in ſtatu peccati: motus enim propriè talis eſt, dum ſubjectum tranſit de uno contrario poſitivo ad aliud contrarium; ſicut dum aqua de frigida tranſit in calidam. Et de juſtificatione hoc modo ſermo erit. Nec refert, quòd, ut in Tract. de Peccatis diximus, peccatum non ſit poſitivum, ſed quid privativum; & proinde non ſit propriè contrarium gratiæ, ſeu juſtitiæ. Nam etſi peccatum formaliter in privativo conſiſtat; aliquid tamen poſitivum includit, ſcilicet, vel debitum habendi juſtitiam, vel ſtatum injuſtitiæ: hic autem ſtatus, etſi privationem contineat; ſonat tamen aliquid poſitivum, & connotat relationem ad actum poſitivum, quo macula peccati fuit inducta.

VII. Ex his jam intelligi poteſt, quid ſit juſtificatio. Generaliter enim deſcribi poteſt, quòd ſit motio, quâ homo ſit juſtus. Sic enim comprehenditur etiam juſtificatio, quâ Angeli, & primi homines fuerunt juſtificati ab initio: imò etiam ſanctificatio ipſius Chriſti, ſecundum humanitatem. Ut enim docet D. Tho. 3. p. q. 34. a. 1. ad 2. *Sanctificari eſt, aliquid fieri ſanctum. Fit autem aliquid non ſolùm ex contrario, ſed etiam ex negativè, vel privativè oppoſito: ſicut album fit ex nigro, & etiam ex non albo. Nos autem ex peccatoribus ſancti efficimur: & ita ſanctificatio noſtra eſt ex peccato. Sed Chriſtus quidem ſecundùm hominem factus eſt Sanctus, quia hanc gratiæ ſanctitatem non ſemper habuit; non tamen factus eſt Sanctus ex peccatore, quia peccatum nunquam habuit: ſed factus eſt Sanctus ex non Sancto ſecundùm hominem; non quidem privativè, ut ſcilicet aliquando fuerit homo, & non fuerit Sanctus: ſed negativè; quia ſcilicet quando non fuit homo, non habuit ſanctitatem humanam: & ideo ſimul fuit factus homo, & ſanctus homo.* Ita S. Tho. quod confirmat ex Greg. *l.* 18. *Moral. c.* 27.

VIII. Juſtificatio verò noſtra, quæ ſemper eſt ex contrario, nempe, ex peccato; vel eſt juſtificatio omnium prima, quâ à peccato originali juſtificamur: & ſic deſcribitur à Trident. *Seſſ. 6. c. 4.* quòd ſit: *Tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Vel eſt juſtificatio, quaſi ſecunda, hoc eſt, à peccatis poſt Baptiſmate ablutum originale commiſſis: & hæc deſcribi poteſt, quòd ſit: Tranſlatio à ſtatu peccati in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per Jeſum Chriſtum. Quæ colligitur ex *cap. 1. ad Coloſſ. v. 13.* ubi Paulus ſcribit, quòd Deus Pater *eripuit nos de poteſtate tenebrarum, &*

tranſtulit in Regnum filii dilectionis ſuæ. Ita igitur Juſtificationis explicatâ notione ſit

§. I I.

Reſolutio Dubii.

IX. DIco primò. Juſtificatio generaliter ſumta neque eſt remiſſio peccatorum, neque eam includit. Probatur ex dictis. Nam juſtificatio generaliter ſumta præſcindit ab hoc, quòd ſit motus à contrario, vel à negativo; ideſt, quòd faciat juſtum ex poſitivè injuſto, vel à non juſto ſolùm negativè: quare poteſt eſſe juſtificatio abſque remiſſione peccati. Et de facto fuit tùm in Angelis, tùm in primis hominibus, dum in ipſa creatione ſuâ fuerunt juſtificati: & in B. Virgine, quæ dum fuit ſinè labe originali concepta, fuit ſinè remiſſione peccati juſtificata. Cui in corporalibus ſimile eſt, quòd Sol, quando creabatur, factus eſt lucidus, quin priùs foret tenebroſus.

X. Dico ſecundò. Juſtificatio impii eſt remiſſio peccatorum concomitanter, eo modo, quo generatio unius eſt corruptio alterius. Quia enim oppoſita non poſſunt ſimul eſſe in eodem; neceſſarium eſt, ut cui infunditur gratia juſtificationis, ab eodem deleatur macula peccati mortalis, quod illi gratiæ opponitur. Ita docet S. Thomas Q. 28. *de Verit. a.* 1. his verbis: *Si ergo juſtificatio accipiatur, ut quidam motus, cùm oporteat, eumdem motum intelligi, quo peccatum aufertur, & juſtitia inducitur: idem erit juſtificatio, quòd peccatorum remiſſio, ſolùm ratione differens, prout ambo eumdem motum nominant: ſed unum ſecundùm reſpectum ad terminum à quo, alium verò ſecundùm reſpectum ad terminum ad quem. Si autem accipiatur juſtificatio per viam mutationis: ſic aliam mutationem ſignificat juſtificatio, ſcilicet, juſtitiæ generationem; & aliam peccatorum remiſſio, ſcilicet, corruptionem culpæ. Sic autem juſtificatio, & remiſſio peccatorum non erunt idem, niſi per concomitantiam. Utrolibet autem modo juſtificatio accipiatur, oportet, quòd à tali juſtitiâ dicatur, quæ peccato cuilibet oppoſita ſit. Nam & motus eſt de contrario in contrarium; & generatio, & corruptio ſeſe concomitantes, contrariorum ſunt.*

XI. Ex his infero: in juſtificatione impii includi remiſſionem peccatorum, non quatenus generaliter juſtificatio eſt; ſed quatenus eſt juſtificatio impii, ſeu quatenus in ſubjecto invenit peccatum ſibi oppoſitum. Ubi remiſſio peccati non ſe habet, ut terminus ad quem, hic enim eſt potius juſtitia, ad quam tendit juſtificatio, tàm quatenus motus eſt, quàm prout eſt mutatio; ſed velut terminus à quo. Cùm enim juſtificatio impii ſit transmutatio à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, ſeu juſtitiæ; in ea includitur remiſſio peccati, tanquam abolitio termini à quo oppoſiti: & includitur quoque juſtitia, ſeu juſtitiæ acquiſitio, tanquam terminus ad quem illa transmutatio terminatur. *Quia verò* (ait D. Tho. hâc q. 113. a. 1. in c.) *motus denominatur magis à termino ad quem, quàm à termino à quo; ideo hujuſmodi transmutatio, quâ aliquis transmutatur à ſtatu injuſtitiæ ad ſtatum juſtitiæ, per remiſſionem peccati, ſortitur nomen à termino ad quem, & vocatur juſtificatio impii.*

DUBIUM II.

An in Juſtificatione Impii Peccata ſic remittantur, ut verè auferantur, & deleantur?

§. I.

Catholica Veritas contra Sectarios.

I. CAlvinus *l.* 3. *Inſtit. c.* 11. §. 21. docet, in juſtificatione peccata non verè tolli, ſed tegi, non eradicari, ſed radi, non deleri,

deleri, ſed operiri, propter juſtitiam Chriſti nobis imputatam; ita ut pecca a dicantur eſſe tecta, quaſi à Deo non videantur, cum ipſa non puniat, & raſa, quaſi non appareant. Hinc *l.* 4. *Inſtit. c* 15. apertè negat, per Baptiſmum ſolvi nos à peccato originali. Idem docuerat Lutherus, ut conſtat ex *art.* 2. ex damnatis à Leone X. Hanc doctrinam Catholici omnes execrantur, cum quibus

II. Dico. In juſtificatione impii peccata mortalia ſic remittuntur, ut penitus auferantur, ac deleantur; nec quidquam remaneat, quod culpæ, vel peccati mortalis rationem habeat. Veritas hæc tanquam de fide definita eſt in Tridentino *Seſſ.* 5. *Can.* 5. his verbis: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod verum, & propriam peccati rationem habet: ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari: anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem &c.* In renatis autem aliquid odiret Deus (& conſequenter in quolibet alio juſtificato) & in eis aliquid damnatione dignum eſſet, ſi peccata adhuc in eis manerent, & tantum tegerentur, raderentur, aut non imputarentur; ergo &c.

III. Hanc veritatem docent omnes Scripturæ textus, quibus Deus dicitur, peccata delere, auferre, abluere. Ut Pſalm. 50. v. 3. &c. *Dele iniquitatem meam. Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* v. 9. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* v. 11. *Omnes iniquitates meas dele.* Quod repetit Iſaias c. 43. v. 25. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Oſeæ 14. v. 3. *Omnem aufer iniquitatem.* Micheæ 7. v. 18. *Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem?* Lavare etiam, & mundare dicitur, Iſaiæ 1. v. 16. *Lavamini, & mundi eſtote.* Ezech. 36. v. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Paulus item 1. *Cor.* 6. v. 11. poſt gravia delicta recenſita, ait: *Et hæc quidam fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis &c.* Et 1. Joann. 1. v. 7. *Sanguis Jeſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

IV. Nec valet cum Sectariis dicere, Scripturam ita loqui, quia juſtificatis non imputantur ad pœnam. — Nam præfata verba non ſolùm occultationem, aut non imputationem, ſed veram peccatorum ablationem, & maculæ totalem purgationem exprimunt. Ineptè enim ille diceretur ablutus, & mundatus, qui ſordibus adhuc eſſet coinquinatus; licèt pallio, aut veſte alterius ipſi applicatâ tegerentur. Incongruè etiam Æthiopem dealbari ut nivem, diceremus; ſi ſolùm nigredinem ejus ſub veſte candida aliquis occultaret. Et tandem inſulsè peccata tolli, aut deleri dicerentur; ſi dumtaxat raderentur, ut capilli capitis, & rurſus repullularent, ac redirent.

V. Hanc eamdem veritatem firmant SS. Patres. Chryſoſtomus l. 3. de Sacerdotio c. 6. *Corporis* (inquit) *lepram purgare, vel, ut veriùs dicam, purgatam oſtendere, Judæorum Sacerdotibus licebat: at vero noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non dico, purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Et l. 2. de Compunct. cordis: *Cordis compunctio, ſicut ignis, omne animæ vitium perurit, & adimit: & quantacumque in ea reperit mala, abſtergit univerſa, & penitus delet.* Hinc *Homil.* 4. *in* 1. *ad Cor.* comparat reum abſolutum à Rege à ſuo crimine cum reo, qui abſolvitur à ſuis peccatis per Baptiſmum; & dicit, illum adhuc ſervare, & retinere animum infectum, hunc verò, quem abluit Baptiſma, non item, ſed habere mentem Solis radiis puriorem.

San-

Sanctus etiam Hieronymus in *cap.* 2. *Sophoniæ* ſcribit, animam prius peccatorum ſordibus inquinatam dicere (Cant. 1.) *Nigra ſum;* ſed de eadem poſt actam pœnitentiam dici (Cant. 8.) *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata?* Nimirum, juxta lectionem lxx. Quibus conformia habet, ſcribens etiam in *cap.* 3. *& lib.* 3. *adv. Pelag.* Clarius autem omnibus errorem contrarium deſtruit S. Auguſtinus, ut in ſolutionibus argumentorum videbimus.

VI. Probatur inſuper ratione theologicâ ex Trident. laudato, ſub hac formâ. Quòd homines juſtificati partim ſint filii Dei, partim filii Diaboli, contradictionem involvit: atqui hoc ſequitur, ſi dicatur, peccata non omnino deleri, ſed aut tegi, aut radi, aut non imputari; ergo &c. Min. prob. Homines juſti verè diliguntur à Deo, & ſunt filii Dei (1. *Joann.* 3.) homines autem, in quibus eſt peccatum, odio habentur à Deo, Sap. 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus;* & ſunt filii Diaboli: ſed in ſententia hæreticorum homines juſtificantur, & adhuc in eis remanet peccatum; ergo ſimul amantur, quatenus juſtificati, & odio habentur, quatenus in eis eſt peccatum. Rectè ergo concludit Tridentinum: *In renatis nihil odit Deus.* Ex quibus ſic ſub ſumo: atqui ſolùm peccatum Deus odit; ergo in renatis nil peccati remanet. Et meritò: nam ſi Scriptura juſtificatos vocat regeneratos, vivificatos, translatos de morte ad vitam (1. *Joann.* 3. *v.* 14.) quomodo in eis manere poteſt peccatum, quod eſt mors animæ? Quomodo ſimul cohabitant mors, & vita ſpiritualis; ſi nequeunt ſimul cohabitare mors, & vita naturalis?

VII. Dicendum erit inſuper, homines non fuiſſe per Chriſtum à ſervitute peccati liberatos; nec Chriſtum eſſe Agnum, qui tollit peccata mundi, ſi ſolum ea tegit, non aufert. Plus valuiſſe peccatum Adæ ad nos inficiendos, quàm Chriſti ſanguinem ad nos emundandos: ſi, dum Adæ peccatum omnes verè maculavit, Chriſti Sanguis hanc maculam tegere quidem valet, ſed non detergere, & auferre.

Rurſus: vel neminem Juſtum ingreſſurum in Regnum Cœlorum, in quod nihil coinquinatum ingreditur, ſi adhuc eſt peccato verè maculatus: vel aliquid coinquinatum in illud ingreſſurum, contra illud Apoc. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Nam ſi fides, quâ, ſecundùm hæreticos, homo juſtificatur, non eſt ſufficiens, ab eo tollere maculam peccati in vita, ſed ſolùm tegit; quomodo eam tollet in morte?

§. II.

Hæreticorum Fundamenta.

VIII. PRimò objiciunt. Apoſtolus Paulus verè erat juſtificatus: & tamen, *Roman.* 7. *v.* 17. dicebat: *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* — Si reſpondeas, nomine peccati intelligere Paulum concupiſcentiam, quæ in juſtificato quidem manet: ſed dicitur peccatum, non quia formaliter ipſa peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, ut expoſuimus *Tom.* 6. *in* 1. *par. Qu.* 8. *de Pec. Origin. quoad eſſentiam. Dub.* 2. *§.* 3. *num.* 14.

IX. Contra inſurgunt. Ergo in juſtificato remanet radix peccati, nempe, concupiſcentia; ergo hominem juſtificari, eſt, ſolùm radi peccata, non penitus tolli: ſicut capilli dicuntur radi, non penitùs tolli, quia remanet radix, ex qua iterum pullulant.

X. Hanc inſtantiam ex Pelagiano fonte expiſcantur noſtri Sectarii. Ut enim refert S. Auguſt. *lib.* 1. *contra duas Epiſt. Pelagian. ad Bonifacium, cap.* 13. Pelagiani idem opponebant Catholicis, ac ſi hi dicerent: *Baptiſma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere; ut omnium peccatorum radices in*

mala

mala carne teneantur? Num hoc eſt, quod Sectarii dicunt? Audiam ergo Auguſtinum ſic hanc calumniam repellentem. *Quis hoc adversùs Pelagianos, niſi infidelis, affirmet? Dicimus ergo, Baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, auferre crimina, non radere: nec, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, inde creſcant iterum reſecanda peccata. Nam & illam ſimilitudinem comperi, ſua illos adhibere calumniæ, tanquam hoc nos ſentiamus, & dicamus.* Ecce doctrinam Calviniſtarum, & Lutheranorum dicentium, Baptiſmate non auferri, ſed radi peccata, reputatam tanquam execrabilem, & à Pelagianis, & à Catholicis. Pergimus audire Auguſtinum: *Sed de iſta concupiſcentiâ carnis falli eos credo, vel fallere; cum qua neceſſe eſt, ut etiam baptizatus, & hoc ſi diligentiſſimè proficit, & ſpiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc etiam vocatur peccatum, non utique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur: ſicut Scriptura manus cujuſque dicitur, quòd manus eam fecerit.* Hæc S. Auguſtinus.

Hinc ad formam inſtantiæ reſpondeo, diſt. ſecundum conſequens. Remanet radix formalis, & univoca, nego conſ. Virtualis, & æquivoca, per modum inclinationis, & originis, conc. conſequentiam. Remanet ergo concupiſcentia in juſtificato, quæ dici poteſt radix peccati; non quia ipſa formaliter peccatum ſit, quemadmodum radix capilli capillus, eſt: ſed radix peccati, & quodammodo peccatum, ſicut Scriptura dicitur manus ſcribentis; quia à manu ſcribentis facta eſt, non quòd Scriptura ſit manus: & quia, ſi accedat voluntatis conſenſus, peccatum facit. Videantur dicta loco citato.

XI. Secundò objiciunt Scripturam dicentem, peccata tegi, & non imputari. Primò. Pſal. 31. v. 1. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Et v. 2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ubi, inquiunt, tria illa, *remitti, tegi,* & *non imputari* poſita ſunt ad idem ſignificandum; unum tamen explicatur per aliud: ideſt, remitti à Deo peccata, nil aliud eſt, quàm peccata tegi; ita ut non videantur apparere coram Deo: tegi autem, nihil aliud eſt, quàm non imputari ad pœnam, & damnationem, juxta illud *Ezech.* 33. *v.* 16. ubi dicitur de impio, ſi egerit pœnitentiam: *Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.* Et 2. Cor. 5. v. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum.*

XII. Reſpondeo primò, peccata tegi, & non imputari, dupliciter contingere poſſe. Vel ita ut verè ſubſiſtant, & ſolùm occultentur: vel ut prorſus deleantur. Quemadmodum ulcera corporis, à quibus hæc metaphora ſumta eſt, dici poſſunt tegi duobus modis. Vel illa tantum occultando, ne appareant, quo pacto teguntur ab ipſo vulnerato; vel ea curando, & tollendo, qualiter teguntur à Medico. Hoc ſecundo modo teguntur peccata à Deo. Unde S. Auguſt. Enar. 2. in Pſalm. 31. *Deus ergo* (inquit) *tegat vulnera, non tu: nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, Medicus non curabit. Medicus tegat, & curet, emplaſto enim tegit: ſub tegmine Medici ſanatur vulnus, ſub tegmine vulnerati, celatur vulnus.* Item duplex eſt non imputatio. Una quidem, quâ non imputatur id, quod eſt; alia, quâ non imputatur id, quod revera non eſt. Prior tectio, & non imputatio eſt hæreticorum figmentum: poſterior verò eſt Catholica aſſertio, & Pſalmiſtæ; ſtatim enim poſt illa verba non *imputavit Dominus peccatum* ſubdit: *& non eſt in ſpiritu ejus dolus.* Unde Aug. citato loco, nempe, præfat in Pſ. 31. poſtquam dixit: *Si texit peccata Deus, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere,* ſubjungit: *Ne ſic intelligatis, quod dixi, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & vivant &c.* Et quidem

cum

Digitized by Google

cùm juſtitia Dei, & lex æterna nullum poſſit peccatum non imputatum, & non punitum relinquere; peccata, quæ à Deo non imputata dicuntur, verè deleta, & ablata cenſenda ſunt. Hinc

XIII. Reſpondeo ſecundò, quòd reſpectu Dei, qui omnia videt, & cui *omnia nuda ſunt, & aperta oculis ejus* (Hebr. 4. v. 13.) idem eſt peccatum tegi, aut non imputari, ac penitus deleri, ac prorſus non eſſe. Sicut enim (ex Auguſt. *Enarrat.* 2. *in Pſalm.* 31.) quod opertum eſt, non videtur oculis noſtris: ita ad explicandum, more noſtro, Deum non videre peccata eorum, qui juſtificantur, dicit, ea tegi, quatenus penitus deſtruuntur: hoc enim requiritur, ut ſint tecta oculis Dei. Quialicèt homo poſſit non videre peccata, quæ adhuc exiſtunt, unde dicebat David, Pſalm. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me:* Deus tamen non poteſt ea non videre. Igitur id dicitur tectum, ſive opertum oculis Dei, quod pœnitus non eſt.

XIV. Reſponderi poteſt tertiò cum D. Tho. hâc q. 113. a. 2. ad 2. *Quòd ſicut dilectio Dei non ſolùm conſiſtit in actu voluntatis div na, ſed etiam importat qu mdam gratiæ effectum ..... ita etiam, & hoc, quod eſt, Deum non imputare peccatum homini, importat quemdam effectum in ipſo, cui peccatum non imputatur. Quòd enim alicui peccatum non imputetur à Deo, ex divina dilectione procedit.*

XV. Tertiò objiciunt illud 1. Petri 4. v. 8. *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Et illud Pſalm. 84. v. 3. *Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, & operuiſti omnia peccata eorum.*

XVI. Reſpondeo ad Textum Petri, genuinum ſenſum eſſe, non quòd caritas operiat multitudinem peccatorem ejus, in quo eſt caritas; ſed quòd operiat peccata proximi. Qui enim ex caritate proximum diligit, peccatis ejus non inſultat; ſed ea, quantùm poteſt, tegit, ac patienter portat. Ibi enim caritatem erga proximum commendat Petrus. — Ad locum verò ex Pſalmis dico, quòd peccata operiri, eſt metaphora ſumta ab eo, quod terrâ obruitur, vel in aqua mergitur, ut intereat. Sic de Ægyptiis, *Exod.* 15. *v.* 10. dicitur: *Operuit eos mare, ſubmerſi ſunt &c.* Unde Micheæ 7. v. 19. *Et projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra:* ut nempe deleantur, & pereant.

XVII. Quartò objiciunt. Nemo quantumvis juſtus eximitur à peccato, niſi perfectè impleat præceptum caritatis; etenim: *Qui non diligit, manet in morte* (1. Joan. 3. v. 14.) ſed nemo in hâc vita poteſt perfectè implere præceptum caritatis, ut docet S. Auguſt. *l. de Perfect. juſtit. c.* 8. ergo eſtò homo juſtificetur, manet tamen in peccato.

XVIII. Reſpondeo, diſt. maj. Impleat quoad ſubſtantiam præcepti, con. maj. Quoad omnem modum, & intenſionem, nego maj. & ſimiliter ad min. Præceptum ergo caritatis eâ intenſionis perfectione, quâ implebitur in Patria, ut ſcilicet toto conatu, nullo carnis motu animam retrahente, nullâ corporis ſarcinâ eam ad ſenſibilia deprimente, nullo adhuc veniali peccato caritatis ardorem minuente, in Deum feratur (quod unicè intendit Auguſtinus) impleri certè in hac vita non poteſt. Impleri tamen poteſt quoad ſubſtantiam, appretiativè Deum ſuper omnia diligendo: & hoc modo à viris juſtis impletur. Nec obeſt, quòd in viro juſto poſſit eſſe peccatum veniale: nam hoc minuit quidem fervorem caritatis, ſed caritatem, & gratiam non tollit.

DU-

DUBIUM III.

An Juſtificatio fiat per ſolam Juſtitiam Chriſti nobis Imputatam, an per Juſtitiam intrinſecam?

§. I.

Sectariorum Error.

I. LUtherus, Calvinus, aliique ex eorum grege, ut explicent modum, quo in juſtificatione peccata ſolum teguntur, ſed reverâ non delentur, dicunt: peccatorem, ut juſtificetur, debere certa fide ſibi indubiè perſuadere, juſtitiam Chriſti ad ſe pertinere, & propter ipſum peccata ſibi non imputari. Et hunc fide, quaſi manu, apprehensâ juſtitiâ Chriſti, eâque veluti indutum, coram Deo juſtificatum apparere. Ita præ cæteris docet Calvinus *l. 3. Inſtit. c. 11. §. 2.* dicens: *Juſtificabitur ille fide, quia operum juſtitiâ exutus, Chriſti juſtitiam per fidem apprehendit; quâ veſtitus in conſpectu Dei, non ut peccator, ſed tanquam juſtus apparet.* Quam doctrinam adoptarunt Calviniſtæ Galliæ *a. 20.* ſuæ Confeſſionis fidei, ſicut & Germaniæ, ut conſtat ex Cathechiſmo Palatinitus approbato in Pſeudoſynodo Dordrechtana: eamque ſic explicare ſolent. Quemadmodum enim Jacob apprehensâ veſte Eſau, eâque indutus, ſeſe parenti Iſaac præſentavit; ut ab eo benedictionem reportaret, ſicut de facto obtinuit: ita peccator apprehensâ juſtitiâ Chriſti, eâque velut veſte indutus ſeſe Deo præſentat, ab eoque obtinet benedictionem, non quia verè juſtus ſit, ſicut nec Jacob verè erat Eſau primogenitus: ſed quia Chriſti juſtitiâ indutus, Juſtus à Deo reputatur, quamvis in ſe ſit, & maneat peccator. Hinc in juſtificatione nullam formam intrinſecè juſtificantem admittunt. Quare Calvinus in Antidoto Conc. Trident. *ad Seſſionis 6. caput 8.* audacter ait: *Falſum eſſe contendo, ullam juſtitiæ partem in qualitate ſitam eſſe, vel habitu, qui in nobis reſidet.*

II. Catholici verò omnes hunc modum ſtatuendi juſtificationem deteſtantur, volentes hominem juſtificari, non juſtitiâ Chriſti extrinſecè ipſi imputatâ; ſed juſtitiâ à Deo per Chriſtum in ipſum derivatâ, quâ non ſolùm appareat, ſed verè, ac intrinſecè juſtus ſit: nec ſolâ fide juſtificari, de quo agemus infra. Pro veritate igitur

§. II.

Aſſertio Catholica.

III. DIco. Homo non juſtificatur formaliter per juſtitiam Chriſti fide apprehenſam, ac ſibi imputatam; ſed per juſtitiam ex juſtitia, & meritis Chriſti in ſe derivatam, ac ſibi intrinſecè inhærentem. Hæc aſſertio conſtat ex *Tract. præced. Q. 3. de Gratia habituali. Dub. 1.* ubi oſtendimus, gratiam habitualem, quâ juſtificamur, non eſſe purum favorem Dei extrinſecum, ſed donum intrinſecum à Dei dilectione per merita Chriſti nobis collatum: quam veritatem Scripturâ, Patribus, Conciliis, & ratione firmavimus. Unde ibi dicta huc revocanda ſunt, non inutiliter repetenda. Ut tamen ea omnia velut compendio mei Candidati oculis iterum ſubjiciam —

IV. Ita diſcurro. Ideo juſtificatio formaliter eſſet juſtitia Chriſti nobis extrinſecè imputata, quia Scriptura juſtitiam Chriſti comparat veſti, quâ induimur, & quâ induti coram Deo tanquam juſti apparemus; eſtò in nobis nullam juſtitiam intrinſecè habeamus, ſed potiùs peccata, & injuſtitias: ſed hæc ſimilitudo non evincit intentum; ergo &c. Min. prob. primò. Calvinus *l. 2. Inſt. c. 5. §. 19.* dicit, ſimilitudines, & allegorias ultra procedere non debere, *quàm præeuntem habent ſcripturæ regulam, tantum abeſt, ut fundandis certis dogmatibus per ſe ſufficiant;*

ſciant; ergo dato, quòd juſtificatio exprimatur ſub ſimilitudine veſtis, nempe, juſtitiæ Chriſti, quâ indutus homo, Juſtus appareat coram Deo, eo modo quo Jacob indutus veſtibus Eſau apparuit coram Iſaac primogenitus, & benedictionem reportavit; hoc tamen non debet extendi ultra fidei regulam, & multò minus ſufficere ad firmandum certum dogma. Sed Scriptura, quæ eſt fidei regula, docet nos, hominem juſtificari, non eſſe extrinſecùs veſtiri juſtitiâ Chriſti, ſed potiùs renovari, regenerari, transferri de morte ad vitam, caritatem in corde ejus diffundi, & alia, quæ loco citato oſtendimus; ergo ex hoc, quòd alicubi dicatur juſtitiâ Chriſti veſtiri, eamque illi imputari, hoc non ſufficiet ad fundandum certum dogma.

V. Secundò probat. min. Quamvis Paulus ad *Philipp.* 2. *v.* 7. dicat, quòd Chriſtus fuit *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo:* nemo tamen, niſi ſit Manichæus, dicit, Chriſtum factum fuiſſe hominem ſecundùm apparentiam; & niſi ſit Neſtorianus, aſſumpſiſſe humanitatem, ſicut homo aſſumit veſtem; ergo ſimiliter &c.

VI. Tertiò prob eadem min. Dicit etiam Paulus 1. Cor. 15. v. 53. *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem;* ergone corpus hoc poſt reſurrectionem habebit incorruptionem, & immortalitatem ſolùm extrinſecùs adjacentem, ſicut indumentum, nec evadet reverâ incorruptibile in ſe, & immortale?

Rurſus: idem Paulus 1. *ad Theſſal.* 5. *v* 8. hortatur nos, ut ſimus *induti loricam fidei, & caritatis, & galeam ſpem ſalutis.* Ergone caritas, fides, & ſpes nobis extrinſecus adjacent, ſicut indumentum, & ſicut galea? Præterea Chriſtus ſuâ morte nobis reſtituit ſtolam juſtitiæ, quam Adam inobedientiâ ſuâ perdiderat: fecitque, ut ubi abundavit delictum, ſuperabundaret gratia. Quemadmodum ergo Adam reverâ ſtolam innocentiæ perdidit, ita Chriſtus eam nobis reverâ reſtituit. Et quemadmodum Adam non imputatione, ſed reipsâ conſtituit nos peccatores; ut non Adæ delicto nobis imputato, ſimus peccatores, ſed ex eo contrahat unuſquiſque proprium peccatum: ita Chriſtus reverâ nos juſtos facit juſtitiâ ex ipſo derivatâ, & non tantùm juſtitiâ ſuâ nobis extrinſecùs imputatâ.

Demum: à Chriſto habemus non ſolùm juſtitiam, ſed & caritatem; quemadmodum ergo non amamus caritate Chriſti nobis imputatâ, dicente Joanne Epiſt. 1. c. 3. v. 1. *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus:* ita juſti, & filii Dei ſumus, non juſtitiâ, & filiatione Chriſti nobis imputatâ. Cætera videnda relinquo ſuperiùs citato *Dubio* 1. ubi, maximè *num.* 7. auctoritate S. Auguſtini hucuſque dicta firmavimus.

VII. Probari etiam poteſt hæc veritas. Nam juſtitia, quâ formaliter dicimur, & ſumus juſti, capax eſt intenſionis, & remiſſionis. Unde Apoc. 22 v. 11. *Qui juſtus, eſt juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Et 2. Petri 3. v. 18 *Creſcite in gratia, & in cognitione Domini noſtri. & Salvatoris Jeſu Chriſti:* ſed neque juſtitia Dei, ſeu juſtitia Chriſti creſcere, & augeri poſſunt; ergo creſcere, & augeri poſſe dicendum eſt in juſtitia, quæ in nobis ſit. Et quidem ſi, ut ait S. Petrus, creſcere debemus in gratia, & in cognitione Chriſti; quemadmodum ex hoc arguitur, cognitionem Chriſti eſſe in nobis per fidem ab ipſo derivatam: eâdem ratione argui debet, gratiam, in qua creſcere debemus, eſſe in nobis ex plenitudine ejus acceptam.

* * * * * * * * *

§. III.

Sectariorum Fundamenta.

VIII. PRimò Objiciunt. Impium juſtificari, nihil aliud eſt, quàm ei peccata remitti, & condonari: ſed hoc haberi poteſt per imputationem juſtitiæ Chriſti, & per apprehenſionem meritorum ejus, qui pro omnibus Deo ſatisfecit; ergo &c.

IX. Reſpondeo, neg. maj. Iſte enim eſt alter Sectariorum error proſcriptus à Tridentino *Seſs. 6. Can. 11.* his verbis: *Si quis dixerit, homines juſtificari, vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ, & caritate &c. anathema ſit.* Docuerat enim eàdem *Seſs. cap. 7.* quòd iuſtificatio *non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum; unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Juſtificatio enim dicit tranſitum animæ de morte ad vitam per caritatem 1. Joan. 3. v. 14. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus, fratres: qui non diligit, manet in morte.* Qui autem transfertur de morte ad vitam, non ſolùm dicit receſſum à morte, ſed vitæ acquiſitionem. Quapropter Paulus, *Rom. 6. v. 9.* &c. reſurrectionem noſtram à morte peccati ad vitam gratiæ aſſimilat reſurrectioni Chriſti à morte ad vitam corporis tanquam exemplari. Quemadmodum ergo reſurrectio Chriſti non fuit ſola liberatio à morte, ſed vitæ reſumtio: ita reſurrectio noſtra ſpiritualis non eſt ſola liberatio à peccato, ſed novæ vitæ acquiſitio, interior renovatio, regeneratio.

X. Dices. Hoc verum eſſe de ſanctificatione, non de juſtificatione. Diſtinguunt enim Calviniſtæ ſanctificationem à juſtificatione: dicuntque, illam fieri per ſanctitatem intrinſecam, iſtam verò per juſtitiam extrinſecè imputatam, quâ remittuntur nobis peccata.

XI. Sed hæc diſtinctio ex eorum cerebro nata eſt: nullum enim fundamentum habet in Scriptura, Conciliis, Patribus, imò & in ratione. Cur enim hominem juſtificari volunt juſtitiâ Chriſti ei imputatâ, non autem ſanctitate Chriſti ei imputatâ ſanctificari? Cur volunt juſtificari nil aliud eſſe, quàm pronunciari juſtum: & ſanctificari volunt eſſe quid aliud, quàm pronunciari Sanctum? Si homo ſanctitate ſibi intrinſecâ ſubſiſtere poteſt coram Deo, cur non etiam coram ipſo ſubſiſtere poterit propriâ juſtitiâ acceptâ à Deo per Chriſtum, ſicut per ipſum accipit ſanctitatem? Cur demum juſtitia Chriſti eſt noſtra juſtitia, ſanctitas verò Chriſti non eſt noſtra ſanctitas? Si juſtitia noſtra coram Deo (ut ajunt ipſi) eſt ſicut pannus menſtruatæ, cur non erit talis noſtra ſanctitas? Sed hæc dimittamus. Plura enim diximus in *Vera Eccleſia. Tom. 2. p. 1. a. 8.* per totum, quæ totam juſtificationis materiam continent, & ad quæ Lectorem remitto.

XII. Secundò objiciunt Paulum *Rom 4. v. 5.* dicentem: *Credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei*, id eſt, acceptatur fides ejus, quâ credit, juſtitiam Chriſti ad ſe pertinere; & hac viâ juſtitiâ Chriſti gratis ſibi imputatâ juſtificatur. Quæ interpretatio mentem Apoſtoli aſſequi videtur, qui in hoc capite juſtitiam undecies nuncupat imputationem.

XIII. Reſpondeo, negando, præfatam interpretationem eſſe conformem menti Pauli. Non enim dicit, quòd credenti in eum, qui juſtificat impium, imputatur juſtitia, ſed quòd fides reputatur ad juſtitiam: non quòd fide quaſi manu apprehendat juſtitiam Chriſti, ut volunt Sectarii, ſed quòd fides ſit diſpoſitio, & medium ad acquirendam juſtitiam. Quod explicat exemplo Abrahæ, qui fide, quâ *con-*

tra ſpem in ſpem credidit, ſeipſum ad juſtificationem præparavit: fides autem credenti extrinſeca non eſt. Sed de hoc infra

XIV. Tertiò objiciunt illud Rom. 5. v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi*; ergo juſti conſtituentur per juſtitiam Chriſti ſibi imputatam.

XV. Reſpondeo, neg. conſ. Sequitur enim potiùs oppoſitum. Nam ſicut peccatores conſtituuntur originaliter, non per inobedientiam Adæ ipſis extrinſecè imputatam, ſed per intrinſecam injuſtitiam cuique propriam: ita juſti conſtituentur, non per obedientiam Chriſti ipſis extrinſecè imputatam, ſed per juſtitiam intrinſecam ex obedientia Chriſti in eos derivatam. Videantur dicta ſuperiori Tract. *Dub.* 1. §. 2. *num.* 6.

XVI. Quartò objiciunt illud 1. *Cor.* 1. *v.* 30. Chriſtus *factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio*; ergo alia non eſt nobis juſtificatio, quàm Chriſti juſtitia.

XVII. Retorqueo argumentum. Chriſtus factus eſt nobis juſtitia, ſicut & ſapientia, & ſanctificatio: ſed non ſumus formaliter ſapientes ſapientiâ Chriſti, nec formaliter ſanctificati ſanctitate Chriſti, ut Calviniſtæ concedunt, ſed ſapientiâ, & ſanctitate in nos à Chriſto intrinſecè derivatâ; ergo nec ſumus formaliter juſti juſtitiâ Chriſti, ſed juſtitiâ à Chriſto in nos participatâ. Dico ergo, Scripturam ſolere, nomine effectus appellare cauſam, ut Pſalm. 26. v. 1. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea*, ideſt, cauſa illuminationis, & ſalutis meæ. Et eâdem ratione Chriſtus dicitur factus nobis ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemtio: quia eſt cauſa ſapientiæ, juſtitiæ, ſanctificationis, & redemtionis in nobis.

XVIII. Sed dices. 1. *Cor.* 5. *v.* 21. Chriſtus dicitur pro nobis fuiſſe factum peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo: ſed Chriſtus factus fuit peccatum per imputationem peccati noſtri; ergo nos efficimur juſtitia Dei per imputationem tantùm juſtitiæ Chriſti.

XIX. Reſpondeo, neg. conſ. & diſparitatem exhibet textus ipſe. Nam Chriſtus factus fuiſſe peccatum, nempe, hoſtiam pro peccato, non verò tanquam habens in ſe peccatum, dicitur ibi his verbis: *Qui non noverat peccatum*. Et ex alia parte hoſtiam pro peccato conſueviſſe nominari *peccatum*, indicat illud *Oſea* 4. *v.* 8. ubi de Sacerdotibus legitur: *Peccata populi mei comedent*, ideſt, oblata pro peccatis. At, nos juſtos fieri unicè juſtitiâ Dei nobis imputatâ, nec Scriptura dicit, nec Patres conſentiunt, ut ſæpe citato *Dub.* 1. vidimus. Addo: quòd ſi nos efficimur juſtitia Dei, ſicut Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum; quemadmodum Chriſtus ex hoc nullam peccati malitiam in ſe contraxit: ita nec nos ullam intrinſecam, nedum juſtificationem, ſed ſanctificationem in nobis haberemus. Hoc autem ſecundum Adverſarii negant.

XX. Quintò objiciunt ea Scripturæ loca, quibus homines juſtificati, dicuntur induere Chriſtum, ut ad Epheſ. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.*

XXI. Sed ad hæc, & ſimilia §. præcedente jam reſpondi, non concludere pro Adverſariis. Quibus addo, quòd homo, dum induit novum hominem, creatur in juſtitia, & ſanctitate: at ſicut per Adverſarios creatur in ſanctitate, non imputatâ, ſed intrinſecâ, cur non eodem modo creabitur in juſtitia?

Scio, à Calvino afferri pro ſe Sanctum Ambroſium *l.* 2. *de Jacob, & vita beatâ* aſſimilantem peccatorem indutum juſtitiâ Chriſti, Jacob induto veſtibus Eſau. — Sed in primis, ut jam oſtendi ex ipſomet Calvino, allegoriæ, & ſimilitudines non valent ad

ad firmandum certum dogma, nec ultra Scripturæ regulam debent extendi. Deinde falſum aſſerit. Nec enim Ambroſius comparat Jacob indutum veſtibus Eſau peccatori: ſed in Eſau Sinagogam, in Jacob vero Eccleſiam, & populum Chriſtianum agnoſcit; qui ſciens benè uti ſtolâ veteris Teſtamenti, benedictionem reportavit.

Scio, pariter afferri Bernardum *Serm.* 61. *in Cantic.* dicentem: *Numquid juſtitias meas cantabo? Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius; ipſa enim eſt & mea; nempe, factus es tu mihi juſtitia à Deo. Numquid mihi verendum, ne non una ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breve, quod ſecundùm Prophetam non poſſit operire duos.*

Sed quid, ut dicebam, ex allegoria trahitur pro dogmate argumentum? Dicimus etiam Pſalm. 120. v. 5. *Dominus protectio tua.* Quemadmodum ergo Dominus eſt protectio noſtra, quia effectum ſuæ protectionis in nos effundit: ita S. Bernardus aſſerit, juſtitiam Chriſti eſſe ſuam; non quia ipſe formaliter ſit juſtitia Chriſti, ſed eſſe ſuam ratione effectus: quatenus juſtitia ſua à juſtitia Chriſti tanquam à fonte promanat, & juſtitia Chriſti merito ſuo in ipſum juſtitiam operata fuit.

DUBIUM IV.

An ſola Gratia Habitualis ſit Cauſa Formalis Juſtificans?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. Quæſtio præſens eſt: an ſola gratia habitualis ſit, quæ formaliter hominem juſtificat coram Deo: an verò id interdum etiam formaliter præſtent, vel præſtare poſſint actus, ſive contritionis, ſive caritatis. Et procedit de adulto, non de parvulo. Nam in parvulo, qui baptizatur ante uſum rationis, certum eſt, formam ipſam à peccato originali mundantem, & juſtificantem eſſe ſolam gratiam habitualem, non verò actum ullum, ſive contritionis, ſive caritatis: quia infans uſu rationis carens tales actus elicere capax non eſt.

Certum etiam eſt, quòd adultus, qui Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ ſuſcipit in re, cum ſola attritione ſupernaturali, de facto per ſolam gratiam habitualem juſtificatur. Nam in hujuſmodi adulto, cum ſola attritione accedente ad Sacramentum nihil eſt, quod ſit incompoſſibile cum peccato, illudque expellere poſſit, præter gratiam habitualem: nam actus meræ attritionis, etſi ſupernaturalis, ſeipſo non eſt incompoſſibilis cum peccato. Quæſtio igitur eſt de adulto, qui, vel extra Sacramentum, cum voto tamen Sacramenti, actum contritionis, vel caritatis elicit; vel cum contritione, & caritate accedit ad Sacramentum: an formaliter per iſtos actus juſtificetur, an verò ſolùm diſpoſitivè.

II. Vazquez affirmat, actum contritionis, & caritatis habere in ſeipſo vim juſtificandi formaliter, & licèt de facto nunc, quotquot juſtificantur, recipiant gratiam habitualem: tamen, quia ſolùm definitum eſt ab Eccleſia, juſtificationem fieri in nobis per juſtitiam inhærentem; & quæ dicuntur de gratia inhærente, poſſunt etiam intelligi de actu contritionis, & caritatis: ſatisfieri definitioni Eccleſiæ, ſi in his, qui ſunt capaces contritionis, ipſa contritio dicatur eſſe cauſa formalis juſtificationis. Imò 3. p. Tom. 1. *Diſp.* 2. *cap.* 6. *nu.* 66. hæc ſcribit: *Memini autem contritionis; quia in adulto, qui juſtificatur extra ſacramentum, magis certum eſt, eum juſtificari contritione, quàm gratiâ habituali, ut oſtendimus* 1. 2. *Diſp.* 203. *cap.* 3.

III. Communiter tamen hæc Vazquezii opinio diſplicet: adeo ut Suarez *Tom.* 1. *in* 3. *p. Diſp.* 4. *Sect.* 8. cenſeat,

cenſeat, illam eſſe temerariam, & doctrinæ Tridentini parum conſentaneam. Poteſt autem quæſtio hæc agitari, tùm ſecundùm legem ordinariam; tùm etiam ſecundùm legem extraordinariam, & potentiam Dei abſolutam.

§. II.

Ponitur Reſolutio.

IV. Dico. De facto ſola gratia habitualis eſt cauſa formalis juſtificans, etiam extra Sacramentum, non verò actus contritionis, vel caritatis. Probo primò ex Tridentino *Seſſ. 6. cap.* 7. ubi aſſignans omnes cauſas juſtificationis, deveniens ad formalem: *Demum* (inquit) *unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit... juſtitiam in nobis recipientes &c.*

V. Sed quia fortè dices pro Vazquez, Concilium ſolùm dicere unicam cauſam formalem juſtificationis eſſe juſtitiam inhærentem: nomine autem juſtitiæ venire poſſe actus contritionis, & caritatis — Contra inſtari poſſet; Nomine juſtitiæ inhærentis intelligit aliquid permanens in anima, faciens juſtum: actus autem contritionis, & caritatis ſunt tranſeuntes. Iis ergo tranſactis, per quid formaliter homo eſſet juſtus?

VI. Sed probandum eſt, præfatos actus, ſecundùm Concilii mentem, non eſſe formalem juſtitiam ſic. Actus, qui à Concilio ponuntur tanquam diſpoſitiones ad juſtitiam, non ſunt, ſecundùm ipſum, formalis juſtitia: ſed juxta Concilium ejuſmodi actus ponuntur tanquam diſpoſitiones ad juſtitiam; ergo non ſunt &c. Min. probatur ex *Seſſ.* 14. *cap.* 4. ubi docet, quòd contritionis motus *fuit quovis tempore ad impetrandam veniam neceſſarius: & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit.* Cùm ergo id, quod eſt neceſſarium ad impetrandam veniam, & remiſſionem peccatorum, non ſit cauſa formaliter juſtificans, ſed diſpoſitio ad juſtificationem; ideo actus contritionis non eſt &c.

VII. Dices pro Vazquez, Concilium ibi loqui de contritione imperfecta, quæ dicitur attritio. Nam inferiùs loquens de contritione perfecta, eam dicit juſtificare, ſi Sacramenti votum includat, his verbis: *Si contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſinè ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam;* ergo ſentit, contritionem caritate perfectam per ſe reconciliare, ſi votum Sacramenti includat; ergo dum ait, contritionem præparare ad veniam, loquitur de contritione imperfectâ.

VIII. Sed contra primò. De illa contritione docet Concilium, eſſe impetratoriam, & diſpoſitivam ad juſtificationem, quæ ſemper, & pro omni tempore neceſſaria fuit, & impetratoria veniæ: ſed contritio imperfecta non eſt ſemper neceſſaria, quia homo, præſertim timoratus, moveri poteſt ad juſtitiam contritione perfectâ, quin in eo præceſſerit contritio imperfecta: nec pro omni tempore fuit neceſſaria, & ſufficiens ad impetrandam per ſeipſam peccatorum veniam. Nam eſtò modò conjuncta cum Sacramento, vel Baptiſmi, vel Pœnitentiæ ſit impetratoria veniæ: pro tempore tamen præcedente adventum Chriſti, quo Sacramenta per ſe non cauſabant gratiam, homines non impetrabant gratiam contritione imperfectâ: & ſic ad eam impetrandam neceſſaria non erat contritio imperfecta, ſed perfecta.

IX. Contra ſecundò. Illam contritionem dicit Concilium, eſſe impetratoriam, quam paulo ante definierat, quòd ſit: *Animi dolor, & deteſtatio de peccato*

peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero; & quam poſtea dividit in perfectam, & imperfectam: ſed contritio ibi definita, & quam dividit, non eſt contritio imperfecta, ſed contritio ex genere ſuo: & contritio, quam dividit, eſt contritio abſtrahens à perfecta, & imperfectâ, ut patet; ergo dum dicit, eam fuiſſe quovis tempore neceſſariam ad impetrandam veniam, loquitur de contritione ex genere, & naturâ ſuâ, ut includit etiam contritionem perfectam. Eo vel maximè, quòd ponit exemplum in contritione Davidis: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*; quæ certè fuit contritio perfecta. Quapropter cùm dicit, contritionem caritate perfectam cum voto Sacramenti ſufficere ad reconciliationem; intendit ſolùm eſſe diſpoſitionem immediatam ad reconciliationem, hoc eſt, abſque medio Sacramento in re ſuſcepto; non verò quòd per ſeipſam ſit forma immediatè reconciliativa; hanc enim dicit unicam eſſe juſtitiam, ſeu gratiam, quâ Deus juſtos nos facit: ſicut illa eſt ſola, quâ regeneramur in filios Dei adoptivos, quâ participes ſumus, & conſortes divinæ naturæ, & hæredes in ſpe vitæ æternæ.

X. Addo: quòd, ut infra dicetur contra Scotum, & Vazquez conſentit, forma juſtificans ſe ipsâ, & ex natura ſuâ, non ex favore extrinſeco, aut promiſſione Dei excludit peccatum: porro actus contritionis, & caritatis, ut de facto excludant peccatum, & reconcilient, egent novo Dei favore; neque ex natura ſua, ſed ex promiſſione Dei id conſequuntur, juxta illud: *Convertimini ad me ... & convertar ad vos* (Zachariæ 1. v. 3.)

Tandem: effectus formalis ejuſdem rationis provenire nequit à formis diverſæ rationis: ſed eſſe juſtum eſt effectus formalis ejuſdem rationis in omnibus; ergo ab unica formâ præſtari debet, non à duabus ſpecie diverſis. Cùm ergo eſſe juſtum formaliter præſtetur à gratia habituali, ut patet in parvulis baptizatis; ab ipſa ſolâ hoc idem præſtari debet in omnibus: ſicut vita naturalis omnibus hominibus ab eadem ſpecie formâ præſtatur.

XI. Ut tamen omnis tollatur æquivocatio, moneo, me hactenus locutum fuiſſe de cauſa formali juſtificationis, quoad eſſentiam ſumtæ; prout nimirum eâ quis ſolùm conſtituitur formaliter juſtus, ſanctus, Deo gratus, Deique filius. Quòd ſi ſumatur juſtificatio, quoad omnia, quæ includit, & ex quibus veluti integratur, ſive eſſentialia ſint, ſive non; ſic concedo, non unicam eſſe cauſam formalem juſtificationis, ſed complexum ex pluribus. Ita enim dicit non ſolam hominis juſtificati eſſentiam, ſed ſtatum: & propterea non ſolam gratiam habitualem, quâ homo benè in ſe diſponitur, ſed etiam omnia dona, & virtutes, earumque actus, quibus rectè diſponitur ad juſtè operandum. Quemadmodum hominis, quoad eſſentiam, ſola anima rationalis eſt cauſa formalis: hominis autem in eſſe completo, tàm quoad eſſe, quàm quoad operari, cauſa formalis non eſt ſola anima, ſed complexum ex anima, potentiis, aliiſque ad ſtatum completum hominis requiſitis.

§. III.

Rationes Vazquez.

XII. Conatur Vazquez, opinionem ſuam cum Tridentino conciliare. Et quidem primò. Concilium *Seſſ.* 14. *c.* 4. citato dicit, contritioni caritate perfectæ reconciliationem ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam; ergo (infert) ipſi, ut Sacramenti votum includenti, reconciliatio eſt adſcribenda.

Secundo. Ibidem de contritione abſtrahente à perfecta, & imperfectâ duo dicit. Unum, eſſe neceſſariam ad juſtificationem: alterum, eſſe præparatio-

rationem ad illam: ſed primum non convenit omni contritioni, etiam perfectæ; quia in Sacramento, etiam ſinè contritione perfectâ, cum ſola attritione homo juſtificatur; ergo, etſi de illa dicatur, quòd ſit diſpoſitio, non debet hoc verificari de contritione perfectâ.

XIII. Reſpondeo tamen ad primum, diſt. conſ. Tanquam diſpoſitioni, & impetrationi inferenti gratiam, quâ homo juſtificetur, co. conſ. Tanquam formæ ſe ipsâ, & immediatè juſtificanti, nego conſ. Alias Concilium ſibi ipſi contradiceret.

Ad ſecundum, nego conſ. Quando enim Concilium dicit, contritionem abſtrahentem à perfecta, & imperfectâ eſſe neceſſariam &c. facit ſenſum, quòd aliqua contritio vagè, vel perfecta, vel imperfecta ſit neceſſaria. Ita ut, ſi juſtificatio fiet intra Sacramentum, ſit neceſſaria contritio imperfecta, ſeu attritio: ſi verò fiat extra Sacramentum, ſit neceſſaria contritio perfecta. Sicque ſemper contritio, ut abſtrahens eſt, eſt neceſſaria, ut diſponat ad juſtificationem: intra Sacramentum quidem, contritio imperfecta: ut verò diſponat extra illud, neceſſaria eſt contritio perfecta. Sicut cum dicitur, eſſe neceſſarium oculum ad videndum; non dicitur eſſe determinatè dextrum, vel ſiniſtrum, oculum hominis, vel equi, ſed vagè: ita ut quoties datur viſio, detur aliquis oculus, vel aliquod animal videns; & non poſſit dari viſio, quin detur aliquis oculus, vel aliquod animal videns.

XIV. Objicit ſecundò varios Scripturæ textus, quibus remiſſionem peccatorum, & renaſci ex Deo, tribuere videtur dilectioni, & caritati — Sed omnes exponi debent, concludere ſolùm, caritati, & dilectioni tribui juſtificationem, tanquam diſpoſitioni ultimæ, ex qua infallibiliter ſequitur juſtificatio: non verò tanquam cauſæ formali immediatè, & per ſe ipſam juſtificanti.

Quòd ſi S. Auguſt. *l. de Nat. & Grat. c.* 42. ait, caritatem eſſe noſtram juſtitiam: & c. 69. *Caritas inchoata, inchoata juſtitia eſt, caritas provecta, provecta juſtitia eſt, caritas magna, magna juſtitia eſt* — Dicendum, actum caritatis vocari perfectam juſtitiam, non quia ſit formalis juſtitia; ſed quia cùm ſit actus perfectiſſimus, qui à gratia, ſeu juſtitia prodire poteſt: quæ formaliter conveniunt gratiæ, de caritate dicuntur, ac ſi nomen cauſæ effectui principaliori tribuatur.

XV. Objicit tertiò. Amor Patriæ idem ſpecie eſt cum amore viæ: ſed amor Patriæ abſque alio habitu poteſt hominem juſtificare. Si enim aliquis in peccato mortali exiſtens raperetur ad viſionem beatam; ille abſque infuſione gratiæ ſtatim amaret Deum, eſſet beatus, & conſequenter juſtus: tunc autem non haberet, niſi actualem amorem Dei; ergo &c.

XVI. Confirmat primò. In opinione aſſerente, gratiam, & caritatem eſſe realiter idem, certum eſt, nos juſtificari per habitum caritatis; ergo multò magis per actum caritatis, cùm actus ſit perfectior habitu.

XVII. Confirmat ſecundò. Actus caritatis formaliter excludit peccatum; ergo formaliter juſtificat. Ant. prob. Si aliquis actu diligens Deum adhuc maneret in peccato, eſſet ſimul ad Deum converſus, & à Deo averſus: converſus per actum caritatis, averſus verò per peccatum, quæ repugnant.

XVIII. Reſpondeo, neg. min. Ad prob. ibi adjunctam, nego ant. Quia cùm amor beatificus radicetur in gratia conſummatâ, impoſſibile judico, dari amorem beatificum in eo, in quo non eſſet gratia. Si ergo Deus aliquem in peccato mortali exiſtentem raperet ad gloriam; ex tali ſuppoſitione deberet ei dare gratiam, quâ formaliter juſtus fieret, & ab eo tolleretur peccatum.

XIX. Ad primam Confirmat. nego ant.

ant. Sententia enim tenens, habitum caritatis eſſe idem cum gratia, diſtinguit in habitu caritatis duas formalitates, ſeu duo munera. Unum, principii elicitivi actus caritatis; alterum, doni gratuiti ſeipſo reddentis nos Deo gratos: & in hoc ſecundo ſenſu dicunt, habitum caritatis eſſe formam juſtificantem. Ex quo non licet inferre; ergo actus caritatis eſt forma juſtificans: quia non procedit ab habitu caritatis, quatenus juſtificante, ſed quatenus principio eliciendi actum amoris Dei.

XX. Ad ſecundam Confir. neg. ant. Ad prob. omiſſis variis reſponſ. diſt. ant. Converſus ad Deum inchoatè, & affectivè, con. ant. Perfectè, & effectivè, nego ant. Qui ergo diligit Deum, per hoc præcisè eſt unitus, & converſus ad Deum, ſolùm inchoatè, & affectivè; nondum tamen eſt formaliter juſtus. Ut enim quis formaliter fiat juſtus, non ſufficit, ut convertatur ad Deum: ſed requiritur, ut Deus convertatur ad peccatorem, diligendo ipſum dilectione ipſi largiente gratiam ſuam, juxta illud Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos.* In caſu autem, quo homo diligeret Deum ſuper omnia; ſi tamen Deus non converteretur ad hominem, dando illi gratiam, non daretur juſtificatio, & remiſſio peccatorum, niſi inchoata.

XXI. Dices. Actus, qui purè affectivè nos avertit à Deo, eſt formalis injuſtitia, & peccatum; ergo actus, qui purè affectivè nos convertit ad Deum, erit noſtra formalis juſtitia. Ant. pat. Nam peccator peccando non aufert à Deo rationem ultimi finis effectivè, ſed ſolum affectivè.

XXII. Reſpondeo, negand. abſolutè ant. Ad prob. conc. ant. neg. conſeq. Eſtò enim peccatum mortale nihil effectivè à Deo auferat, ſed ſolùm affectivè; effectivè tamen privat hominem Deo, cum de facto deſtruat gratiam, per quam Deus erat in illo: unde patet diſcrimen. Nam actus caritatis nihil producit in nobis, ratione cujus Deus formaliter animam noſtram inhabitet; & ſic ſolùm affectivè unit nos Deo. At peccatum, cùm quaſi effectivè gratiam Dei à nobis tollat, ponit privationem Dei non ſolum affectivè, ſed effectivè: & ideo iſtud nos verè maculat, & injuſtos facit: ille verò nos formaliter non juſtificat, ſed ſolùm ad juſtitiam recipiendam diſponit.

XXIII Replicabis. Sicut actus caritatis effectivè non producit gratiam, ſed ſolus Deus: ita peccatum actuale non cauſat effectivè privationem gratiæ, ſed ſolus Deus, ſuſpendendo concurſum, quo illam conſervabat; ergo ſicut actus dilectionis nos purè affectivè conjungit Deo, ita peccatum purè affectivè nos avertit à Deo; ergo ſi actus peccati adhuc eſt formalis injuſtitia, actus caritatis erit formalis juſtitia.

XXIV. Reſpondeo, diſt. ant. Pro ſecunda parte. Privationem gratiæ ſub ratione pœnæ, conc. ant. Sub ratione culpæ, nego ant. Privatio enim gratiæ in peccatore duas rationes induit. Unam pœnæ; nam Deus privatione gratiæ ſuæ punit peccatorem: alteram culpæ. Primam efficit Deus per ſuſpenſionem concurſus, & peccator per ſuum peccatum, ſolùm moraliter, & demeritoriè: ſecundam efficit ſolus peccator, dùm voluntariè à ſe removet gratiam. At caritatis actus nullâ ratione cauſat efficienter gratiam habitualem in anima diligentis, ſed ſolùm diſpoſitivè. Et licèt Tridentinum dicat, nos juſtificari per voluntariam ſuſceptionem gratiæ; non tamen intendit, gratiam eſſe nobis voluntariam effectivè, ſed ſolùm moraliter, & diſpoſitivè.

XXV. Obiicit quartò. In illo formaliter conſiſtit juſtificatio, cui peccatum, quod eſt formalis injuſtitia, magis directè opponitur, & quod ab eo directiùs excluditur: ſed peccatum eſſentialiter magis directè opponitur amori Dei ſuper omnia, eum-

que excludit, quàm opponatur, & excludat gratiam. Quia ſi homo in pura naturâ peccaret, peccatum illud excluderet quidem amorem Dei, non tamen gratiam. nec ejus privationem inferret; ergo &c.

XXVI. Reſpondeo, diſt. min. Quàm opponatur, & excludat gratiam in homine elevato ad finem ſupernaturalem, nego min. In homine non elevato, conc. min. & nego conſ. Nam quæſtio præſens debet ſupponere, quòd homo ſit elevatus ad finem ſupernaturalem. Quo ſuppoſito, quærit, cui peccatum magis opponatur: an amori Dei, an gratiæ Dei. Et dicimus, directè opponi gratiæ, non amori. Quia in hoc ſtatu peccatum conſiſtit in privatione gratiæ, non amoris: quia privatio amoris non eſt privatio vitæ ſpiritualis, ſaltem directè. Si autem homo eſſet conditus in pura naturâ; tunc non mirum, ſi peccatum ab illo commiſſum non opponeretur gratiæ, quia in illo ſtatu non eſſet: non tamen opponeretur directè amori naturali Dei; ſed peccatum, ſi tunc contingeret, directè opponeretur, & conſiſteret in privatione vitæ ſpiritualis, qualiſcumque ea eſſet in illo ſtatu.

XXVII. Ex his omnibus infero, actum caritatis non eſſe adhuc partialem formam noſtræ juſtificationis. Cùm enim Concilium *Seſſ. 6. c. 7.* dicat, unicam cauſam formalem noſtræ juſtificationis eſſe juſtitiam Dei, quâ nos juſtos facit, & ad quam per actus caritatis diſponimur: ſequitur, quòd caritas nec inadæquatè nos juſtificet. Rurſus: Concilium ibidem dicit, cauſam adæquatam efficientem noſtræ juſtificationis eſſe Deum: at ſi actus caritatis eſſet cauſa inadæquata juſtificationis, non eſſet Deus cauſa adæquatè nos juſtificans; ſed nos, producendo actus caritatis, inadæquatè juſtificaremus nos ipſos: maximè in ſententia Vazquez volentis, actum caritatis partialiter eſſe à nobis, & à Deo; ergo &c.

§. IV.

Quid dicendum ſit de Potentia Dei Abſolutâ?

XXVIII. Licèt aliqui in præſenti enodando quæſito multas paginas impleant; quia tamen quæſtiones de poſſibili in hac materiâ parum utiles videntur: ideo compendio illud abſolvens

Dico. Probabilius videtur, nec de potentia Dei abſolutâ fieri poſſe, ut actus contritionis, & caritatis hominem formaliter juſtificent. Prob. hoc diſcurſu. Actus contritionis, & caritatis ex natura ſuâ ſunt impotentes juſtificare per modum cauſæ formalis, ut oſtenſum eſt, aliàs de facto juſtificarent; ergo nec de potentia Dei abſolutâ poſſunt hominem formaliter juſtificare. Conſ. probatur. Quoties aliqua forma ex natura ſuâ impotens eſt, præbere aliquem effectum formalem; Neque per miraculum poteſt illum præbere: ſicut, quia forma embrionis eſt quidem diſpoſitio ad vitam bruti, vel hominis ex natura ſuâ, non verò forma conſtituens vivum brutum, vel hominem; hoc neque de potentia Dei abſolutâ præſtare poteſt. Et ratio à priori eſt: quia cauſa formalis cauſat non aliter, quàm per ſuæ entitatis, ac ſui ipſius exhibitionem.

XXIX. Explico magis hoc. Cùm actus contritionis, & caritatis ex natura ſuâ non poſſint eſſe forma juſtificans, deberet eis aliquid à Deo ſuperaddi, quo poſſent: id autem, quod eis adderetur, vel eſſet ejuſdem lineæ cum illis, vel diverſæ. Si primum; ergo cùm illi actus ſint tantùm ex ſua lineâ diſpoſitiones ad juſtitiam, & non formæ juſtificantes, illud ſuperadditum faceret quidem, ut perfectiùs diſponerent ad juſtitiam, non verò ut eſſent forma juſtificans. Sicut quantacumque perfectio de linea caloris ſuperadderetur calori, faceret quidem, ut calor perfectiùs diſponeret

lignum

Digitized by Google

lignum ad formam ignis: non tamen ut calor eſſet forma ſubſtantialiter ignem conſtituens. Si autem ſecundum; ergo contritio, & caritas ſolùm per accidens juſtificarent: ſicut, ſi albedini ſuperaddatur aliquid diverſæ lineę, puta calor, albedo calefaciet quidem, ſed per accidens, nempe, ratione caloris.

XXX. At dices. Eſtò Perſonalitas divini Verbi ex natura ſuâ non ſit formalis ſanctitas: attamen ratione ſui poteſt humanitatem Chriſti formaliter ſanctificare; ergo, licèt actus contritionis, & caritatis ex natura ſuâ non ſint forma juſtificans, poterunt ratione ſui hominem formaliter juſtificare.

XXXI. Reſpondeo diſparitatem eſſe. Quòd enim Perſonalitas Verbi ad intra formaliter non ſanctificet, non eſt, quia in ſe non ſit formalis ſanctitas; ſed quia non eſt id, quo mediante, tanquam primâ radice, conveniunt Deo perfectiones ſupernaturales, ſed hoc eſt divina natura: cùm autem ad extra ſit prima perfectio, ratione cujus humanitati conveniunt dona ſupernaturalia: ideo ad extra formaliter eam ſanctificare poteſt. At actus contritionis, & caritatis nullo modo eſſe poſſunt id, ratione cujus homini primò conveniunt dona ſupernaturalia; hoc enim ſolùm eſſe poteſt formalis participatio naturæ divinæ: ideoque nunquam poſſunt eſſe forma juſtificans. Hoc dixi juxta opinionem, quòd Perſonalitas Verbi formaliter ſanctificet humanitatem Chriſti. Quòd ſi loquamur in opinione non minùs probabili in noſtra Scholâ id negante, exemplum hoc noſtram Aſſertionem potiùs confirmabit.

DUBIUM V.

An poſſit Homo à Peccato mundari ſolâ Extrinſecâ Dei Condonatione, abſque ulla ſui Intrinſecâ Mutatione?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Hominem de facto non juſtificari, ſeu non mundari à peccato ſolâ extrinſecâ Dei condonatione, ſeu non imputatione, contra Sectarios oſtenſum eſt. Nunc inter Scholaſticos controvertitur: an ſaltem in alia providentia hoc poſſet contingere. Scotus affirmat. Alii, inter quos Noſtrates, communiùs negant. Nos, qui in quæſtionibus de poſſibili pluſquam par eſt immorari, temporis jacturam judicamus, communiorem Noſtratum ſententiam exponemus; ne Candidatum noſtrum hac in re prorſus jejunum dimittamus.

II. Dico. Probabilius eſt, homini ad finem ſupernaturalem elevato non poſſe remitti peccatum mortale per ſolam extrinſecam condonationem, abſque dono aliquo intrinſeco. Probo primò ſic. Deum homini exiſtenti in peccato mortali peccatum remittere, eſt, Deum diligere hominem, quem priùs non diligebat, ſed oderat: ſed Deus non poteſt de novo diligere, quem priùs non diligebat, ſed oderat, abſque mutatione, vel ipſius Dei, vel ipſius hominis: cumque mutatio ex parte Dei contingere nequeat, neceſſe eſt, ut mutatio contingat ex parte hominis. Sicut, quòd mihi incipiat placere cibus, qui antea diſplicebat; non aliunde contingere poteſt, niſi vel quia cibus ille in ſe mutatus eſt: vel quia meus guſtus, vel mea cognitio mutata eſt, quâ incipio cognoſcere, ut mihi bonum cibum, quem priùs bonum non cognoſcebam. Vide S. Thom. 1. p. q. 19. a. 7.

III. Probo ſecundò. Tranſacto actu peccati, remanet in homine macula, quæ ex privatione nitoris gratiæ conſurgit, & averſio habitualis, & non ſolùm obligatio, ſeu reatus ad pœnam æternam; ut ſtatuit S. Pius V. contra Bajum, cujus hanc num 56. propoſitionem damnavit: *In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu, nihil remanet, niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam.* Sed licèt obligatio ad pœnam, utpote orta à Deo, poſſit per ejus ſolam condonationem tolli, quia hæc peccatori extrinſeca eſt: intrinſeca tamen deordinatio, & averſio tolli non poteſt, ſinè intrinſecâ ipſius peccatoris mutatione; ergo &c. Quare ſi Deus, nullâ factâ mutatione ex parte peccatoris, illi condonaret pœnam, ſeu ipſum abſolveret ab obligatione luendi pœnam; dici poſſet, Deum non imputare illi peccatum ad pœnam: non tamen Deum illi peccatum verè tollere, ac delere, in quo ſenſu procedimus.

IV. Ex his falſum eſſe conjicitur, quod aliqui dicunt: nimirum, peccatum habituale nil aliud eſſe, quàm actum peccati præteritum, & carentiam condonationis divinæ; & hominem nullo alio dici peccatorem, niſi quia peccavit, & Deus illi non condonavit peccatum. Unde inferunt, quòd poſitâ extrinſecâ condonatione Dei, ſtatim deſinit denominatio peccatoris, averſi à Deo &c.

V. Falſum inquam eſſe, ſic oſtendo primò. Nam ſi peccatum nil aliud eſt, quàm actus præteritus peccati extrinſecè à Deo non condonatus; gratia habitualis intrinſeca, nec de facto, aut de lege ordinariâ neceſſaria erit ad juſtificandum hominem à peccato, contra doctrinam Tridentini. Etenim Gratia habitualis ad quid dabitur? Ad hoc, ut actus præteritus non ſit præteritus? At hoc nec à Deo fieri poteſt. Ad hoc, ut de non condonato tranſeat in condonatum? At hoc per gratiam non fit, ſed per extrinſecam Dei condonationem fieri debet. Unaquæque enim carentia non eſt auferibilis, niſi per formam, cujus eſt eſſentialis carentia: ſed carentia condonationis eſt carentia, non gratiæ, ſed condonationis; ergo quòd peccatum de non condonato fiat condonatum, per condonationem formaliter fieri debet, non per gratiam; ergo gratia de facto ad ablationem peccati neceſſaria non eſt.

VI. Secundò ſic oſtendo. Quæro ab Adverſariis: quid ſit objectum hujus condonationis, quâ Deus vult, non amplius fore peccatum habituale? Vel enim vult, peccatum actuale, quod peccatum habituale induxit, non amplius eſſe: & hoc non; quia peccatum actuale jam tranſivit, & amplius non erat. Vel vult, illud non fuiſſe: & nec hoc dici poteſt; quia ex ſuppoſitione, quòd fuerit, impoſſibile eſt, peccatum actuale non fuiſſe. Aut denique vult ponere condonationem, ſeu tollere carentiam condonationis: & hoc non; hoc enim eſt ipſa condonatio, de qua quærimus, quid habeat pro objecto; ergo niſi dicatur, peccatum habituale aliquid aliud dicere in peccatore, quod deſtruatur, dum condonatur, & hoc ſit aliquid malum, & macula culpæ præter malum pœnæ, non habebimus objectum condonationis: quæ macula, ut à peccatore tollatur, & deſinat eſſe peccator, non ſufficit extrinſeca condonatio, ſeu non imputatio; ſed eſſentialiter requiritur interna animæ ablutio, & mundatio, alioquin peccatum erit, & non erit: Non erit; quia ſupponetur condonatum: erit autem; quia adhuc manebit macula culpæ, in qua eſſentia peccati conſiſtit. Sed hoc ex ſolutione objectionum clarius fiet.

§. I I.

Argumenta contraria.

VII. Objicitur primò. Homo poteſt eſſe alteri pacatus, eique offenſam remittere, per ſolam extrinſecam

ſecam condonationem, quin in illo aliquid producat; ergo etiam Deus: nam quidquid homo poteſt rectè velle, poteſt & Deus.

VIII. Reſpondeo. neg. conſ. Si enim aliquid valeret, ſequeretur etiam, poſſe Deum remittere offenſam homini actualiter ipſum offendenti, & perſeveranti in odio contra ipſum, cùm id poſſit homo rectè. Ex quo ſumo evidens argumentum contra Adverſarios. Stat benè, quòd homo offenſus remittat offenſam offendenti ſe: quin offendens deſinat, odio habere offenſum, adhuc dum remittit illi offenſam: non autem ſtare poſſunt hæc duo, nempe, quòd Deus remittat offenſam; & quòd in ſenſu compoſito homo odio habeat Deum ſibi remittentem offenſam; ergo dum Deus remittit offenſam, aliquid debet ponere in offendente, ratione cujus impediatur, ne offendens perſeveret in odio Dei: Si enim Deus eam remittens nil ponit in offendente, hæc duo poterunt cohærere; videlicet, quòd Deus ſimul remittat offenſam homini, & quòd homo perſeveret in offenſa, & odio Dei: ſicut cohærent, quòd homo offenſus parcat offendenti; & quòd homo offendens actualiter odio habeat offenſum ſibi actu remittentem offenſam.

IX. Diſparitas ergo duplex eſt: Una ſumitur ex qualitate dilectionis, quâ unus homo pacatur alteri, & quâ Deus pacatur homini. Nam, ut docuimus ſupra ex D. Thom. *1. 2. q. 110. a. 1. & 1. p. q. 20. a. 2.* amor noſter non eſt cauſa bonitatis in rebus; unde amor offenſi non oportet, ut cauſet amorem ſui in offendente, ſed poteſt amare offendentem, etiam dum ipſum offendit, & odio habet. Sed amor Dei non amat, niſi infundendo, & creando amorem, & bonitatem in eo, quem efficaciter amat.

Altera ſumitur ex qualitate offenſæ. Nam offenſa hominis contra hominem nihil aufert ab offendente, cujus privatione manente, offenſa remitti non poſſit: adeòque, ut remittatur, non eſt neceſſe, aliquid in offendente ponere: ſed ſat eſt, eam extrinſecùs condonare. At offenſa contra Deum aufert ab offendente gratiam, converſionem ad Deum, & conformitatem ad rationem, & legem; quarum privatio, dum manet, reddit hominem incapacem, ut ſibi remittatur offenſa: ſicque aliquid intrinſecum in eo poni debet, quo talis auferatur privatio.

X. Objicitur ſecundò. Peccatum actuale nil aliud relinquit in peccatore, niſi reatum, & obligationem ad pœnam æternam: ſed hæc, ſicut eſt liberè à Deo taxata, ita poteſt ab ipſo liberè condonari; ergo &c.

XI. Reſpondeo, neg. maj. Ut enim ſuperiùs diximus, contra Bajum, peccatum actuale, præter reatum, & obligationem ad pœnam, relinquit in peccatore maculam conſiſtentem in voluntaria privatione gratiæ, & connotantem actum peccati præteritum; quæ non poteſt tolli, niſi per formam ei oppoſitam, nempe, gratiam: ſicut cæcitas non poteſt tolli, niſi per viſum, & tenebræ, niſi per lucem.

XII. Objicitur tertiò. Peccatum, & gratia non opponuntur immediatè: cùm ſit ſtatus medius inter ſtatum peccati, & ſtatum gratiæ, nempe, ſtatus naturæ puræ; ergo poteſt auferri peccatum, quin ponatur gratia. Quâ ratione, ut ſubjectum deſinat eſſe album, non requiritur, ut fiat nigrum, ſed ſufficit, ut fiat non album.

XIII. Urgetur magis. Ut deleatur peccatum, ſufficit, ut homo tranſeat de peccatore in non peccatorem: ſed hoc poteſt fieri ſinè infuſione gratiæ; ergo &c. Min. prob. Poteſt aliquis de frigido tranſire in non frigidum, abſque infuſione caloris, per ſolam deſtructionem frigiditatis. Rurſus: poteſt homo de Sancto tranſire in non Sanctum, ſinè peccato; ut ſi Deus ſuâ abſolutâ potentiâ homini dormienti auferret gratiam; ergo & à pari &c.

XIV. Reſpondeo, diſt. ant. Non opponuntur immediatè, reſpectu hominis ſecundùm ſe ſumti, tranſeat ant.

Reſpe-

Reſpectu hominis ad finem ſupernaturalem elevati, nego antec. & eodem modo diſt. conſ. Ut enim docet S. Th. Qu 28. de Verit. art. 2. ad 4. *Nihil prohibet, aliqua contraria eſſe mediata reſpectu alicujus ſubjecti ſimpliciter accepti, quæ ſunt immediata, quantùm ad tempus determinatum: ſicut cæcus, & videns ſunt mediata in cane, non tamen poſt nonum diem. Similiter* (admiſſa opinione, quòd Adam aliquo tempore neque gratiam, neque culpam habuerit) *& homini reſpectu ſtatus naturæ condita gratia, & culpa comparantur, ut contraria mediata: ſed poſt illud tempus, quo Adam gratiam accepit, vel accipere potuit, ita quòd in omnes ejus poſteros tranſiret; nullus caret gratiâ, niſi per culpam actualem, vel originalem*. Aliam doctrinam dat S. Thomas 1. 2. *qu.* 113. *a.* 2. *ad* 1. dicens: *Plus requiritur ad hoc, ut offendenti remittatur offenſa, quàm ad hoc, quòd ſimpliciter aliquis non offendens non habeatur odio. Poteſt enim apud homines contingere, quòd unus homo aliquem alium nec diligat, nec odiat. Sed ſi eum offendat, quòd ei dimittat offenſam, hoc non poteſt contingere abſque ſpeciali benevolentiâ. Benevolentia autem Dei ad hominem reparari dicitur per donum gratiæ. Et ideo licèt homo, antequam peccet, potuerit eſſe ſinè gratiâ, & ſinè culpâ; tamen poſt peccatum non poteſt eſſe ſinè culpâ, niſi gratiam habeat*. Hæc S. Tho. quæ clara ſunt.

XV. Ad id, quod urgetur, nego min. Ad prob. conc. antec. nego conſ. & diſparitas eſt. Quia cùm frigiditas ſit à Deo dependens in conſervari, poteſt deficere, non ſolùm per introductionem formæ contrariæ, ſed per ſuſpenſionem concurſus divini: & idem dico de gratia ſanctificante, quæ eâdem ratione auferri poteſt à Deo, abſque peccato. At peccatum, cùm à Deo non conſervetur, ſed unicè à peccatoris prava voluntate; non poteſt deficere, niſi per introductionem formæ incompoſſibilis: eo modo, quo tenebræ non poſſunt deficere, niſi per introductionem lucis.

XVI. Objiciunt aliqui quartò. Poteſt Deus peccatorem annihilare; & ipſum, abſque ullà retractatione peccati præteriti, & conſequenter ſinè gratiâ, reproducere: ſed homo reproduceretur ſinè peccato. Tùm quia: deſtructo ſubiecto, deſtruitur quidquid in eo eſt. Tùm quia: cum homo ille reproduceretur à ſolo Deo, repugnaret, quod reproduceretur cum peccato.

XVII. Reſpondent PP. Salmanticenſes, hominem peccatorem annihilatum, & reproductum à Deo, adhuc ſub peccato fore. Quia eſtò deſtructo ſubjecto, cenſeatur ejus peccatum deſtructum, quaſi phyſicè; quia tamen non retractatum, moraliter perſeverat: ita ut ſi ſubjectum reproducatur, cum eo redeat, & faciat ſubjectum reproductum Deo abominabile, ut priùs

XVIII. Attamen faciliori viâ nos extricari cenſeo, ſi dicamus, quòd annihilato peccatore, ejus peccatum tàm phyſicè, quàm moraliter deſtrueretur. Sicut enim ſi peccator annihilatus non reproduceretur amplius, peccatum ejus nec phyſicè maneret, nec moraliter: ita quamvis reproduceretur homo ille, ſinè peccato produceretur. Et ſic ſi reproduceretur ſinè gratiâ; carentia gratiæ in illo non eſſet privatio, ſed pura negatio. Quando autem dicimus, non poſſe peccatum deſtrui ſinè retractatione illius, loquimur manente ſubjecto peccati: hoc enim ſublato tollitur ſtatus quæſtionis.

Addo: quòd quemadmodum horrendum eſſet dicere, quòd ſi offendens hominem à Deo annihilaretur, homo offenſus contra eum non deponeret odium: ſic cum Deus propter peccatum, & in pœnam, ac ſatisfactionem peccati (includentem omnem pœnam poſſibilem, imò & imaginariam) peccatorem annihilaſſet; indignum videtur, Deum adhuc contra illum eſſe offenſum, & peccatum illius adhuc moraliter non cenſeri retractatum, ſed in abominatione divina manere.

Quia

Quia poſitâ ſatisfactione pro culpa, ceſſat culpa: & ira Dei tantùm durare poteſt, quantùm, & quouſque durat ſubjectum punibile.

§. III.

Quomodo remittatur Peccatum Veniale.

XIX. Objiciunt quintò. Deus abſque aliquâ formâ incompoſſibili cum peccato veniali, illud de facto remittit per ſolam extrinſecam condonationem; ergo etiam mortale ſaltem poteſt hoc modo remittere. Conſ. prob. Quia peccatum veniale eſt offenſa Dei, quamvis levis; eſt quid intrinſecum in peccatore, non dependens ab influxu Dei; & macula, eſtò non auferens, gratiam, illius tamen nitorem minuens. Antec. quoque prob. Dum enim in Sacramento Baptiſmi omnia, vel pœnitentiæ aliqua venialia remittuntur, nulla infunditur forma intrinſeca incompoſſibilis cum peccato veniali: gratia enim ſanctificans cum eo componitur.

XX. Reſpondeo, neg. ant. Ad prob. nego iterum ant. Quando enim alicui intra, vel extra Sacramentum venialia remittuntur; aſſignari debet aliqua forma intrinſeca deletiva peccati venialis, & cum eo incompoſſibilis. In hac autem aſſignanda duplici via incedunt Theologi. Aliqui enim volunt, hanc eſſe gratiam habitualem, non quidem ſecundum ſuam ſubſtantiam; ſed ratione alicujus modi, & perfectionis ſibi ſuperadditæ, quâ expellit, non ſolùm mortalia, ſed & venialia. Nec novum eſt, formam, quæ ſecundùm ſubſtantiam eſt compoſſibilis cum alia, fieri cum illa incompoſſibilem, ſi ulteriori modo perficiatur. Sic calor ſecundùm ſubſtantiam compoſſibilis eſt cum frigore: ſi tamen ulteriùs intenſiori modo perficiatur, frigiditatem prorſus excludit. Sic habitus ſcientię, genitus per primam demonſtrationem, componitur cum habitu erroneo circa decimam; quem tamen errorem idem habitus excludet, ſi ad decimam extendatur: quæ extenſio fit per modum aliquem dicto habitui accreſcentem. Sic gratia habitualis viæ compatitur cum fide; quam tamen eadem, cum fuerit conſummata, excludit. Sic gratia, quæ modò componitur cum fomite, illum in ſtatu innocentiæ excludebat, ratione cujuſdam perfectionis, & modi, quo tunc pollebat, & modò caret.

Ratio autem hujus eſt. Quia ſicut dilectio Dei ſuper omnia tantum poteſt creſcere, ut diligatur Deus ſuper omnia non ſolum graviter eum offendentia, ſed etiam ſuper omnia eum vel leviter offendentia: ſic gratia, cujus dilectio Dei ſuper omnia eſt ultima diſpoſitio, & quæ eſt animæ mundities, tantum poteſt intra propriam ſpeciem perfici; ut excludat immunditiem non ſolùm mortalem, & gravem, ſed etiam venialem, & levem.

Alii volunt, formam deletivam peccati venialis non eſſe gratiam ſanctificantem, ſed aliquem actum ſupernaturalem: ſive ſit dilectionis Dei, ſive contritionis, ſive etiam attritionis. Quod deducunt ex D. Tho. 3. *p.* *q.* 87. *a.* 2. *ad* 1. ubi ait: *Quòd etiam remiſſio venialium eſt effectus gratiæ, per actum ſcilicet, quem de novo elicit, non autem per aliquod habituale de novo animæ infuſum*. Et *art.* 4. *ad* 2. his verbis: *Licèt ad remiſſionem peccati venialis non requiratur nova infuſio habitualis gratiæ; requiritur tamen aliquis gratiæ actus, qui non poteſt eſſe in eo, qui ſubjacet peccato mortali*. An verò prædictus actus ſit diſpoſitio ad remiſſionem venialium, an verò forma remiſſiva illorum; hîc examinare non vacat: Cohærenter tamen ad dicta crederem, formam remiſſivam venialium eſſe gratiam juſtificantem, mediante tamen tali actu, non ſecundùm ſe ſumtam.

DU-

DUBIUM VI.

An poſſit Remitti unum Peccatum Mortale, non remiſſis omnibus?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. IN opinione eorum, qui tenent, peccata mortalia per extrinſecam condonationem remitti poſſe, reſponderi poſſet affirmativè. Quia cùm in hac ſententiâ ſola voluntas Dei ſit forma extrinſecè condonans peccatum; poſſet Deus velle, hoc peccatum in particulari non exiſtere, nihil volendo de aliis, ſed merè negativè ſe habendo: ſicque remitti illud, & non cætera. Idem dicendum videretur in ſententia, quâ dicitur, gratiam non expellere peccatum ex natura rei, ſeu ex incompoſſibilitate cum illo; ſed tantùm ex lege, & pacto Dei: poſſet enim Deus talem legem ferre pro uno, & non pro aliis peccatis. Quare quæſtio procedit in ſententia, quam inferiùs ſtatuemus, volente, Deum remittere peccatum per formam intrinſecè, & ex natura rei incompoſſibilem cum peccato. Et quæſtio procedit, non de facto; quia ſic certum eſt, non remitti unum mortale, quin cætera, ſaltem indirectè, remittantur, ut dicemus: ſed de poſſibili, attentâ abſolutâ potentiâ Dei.

II. Dico. Neque attentâ abſolutâ potentiâ Dei poteſt unum peccatum mortale remitti, non remiſſis omnibus, quæ in ſubjecto ſunt. Aſſertio hæc primò deducitur ex D. Thoma 3. *p. q.* 68. *a.* 4. ubi hæc habet: *Nullus autem habens voluntatem peccandi ſimul poteſt à peccato mundari .... quia hoc eſſet ponere, contradictoria eſſe ſimul:* ſed ille, cui Deus remitteret unum peccatum mortale, non remiſſis cæteris, adhuc retineret voluntatem peccandi; ergo poneret contradictoria ſimul.

Secundò. Idem expreſsè reſolvit eâdem 3. *p. q.* 86. *a.* 3. cujus rationes ſunt. Prima. Remiſſio peccati intelligi nequit ſinè infuſione gratiæ habitualis, ut vidimus: ſed, ut videbimus, gratia eſt incompoſſibilis cum omni peccato mortali, adhuc divinitus; ergo uno peccato per gratiam remiſſo debent remitti cætera: aliàs gratia eſſet compoſſibilis cum peccatis non remiſſis. Verba S. Tho. ſunt: *Peccatum remittitur, inquantùm tollitur Dei offenſa per gratiam: unde ... nullum peccatum poteſt remitti ſinè gratiâ. Omne autem peccatum mortale contrariatur gratia, & excludit eam: unde impoſſibile eſt, quòd unum peccatum ſinè alio remittatur.*

Altera ratio eſt: *Peccatum mortale non poteſt ſinè verâ pœnitentiâ remitti, ad quam pertinet deſerere peccatum, inquantùm eſt contra Deum; quod quidem eſt commune omnibus peccatis. Ubi autem eſt eadem ratio, & idem effectus: unde non poteſt eſſe verè pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim diſpliceret ei illud peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentia) ſequeretur, quòd de omnibus peccatis pœniteret.* Ergo ſequitur, *quòd impoſſibile ſit, unum peccatum per pœnitentiam remitti ſinè alio.*

III. Probatur ulteriùs hoc diſcurſu. Dicere, quòd unum peccatum mortale poſſit remitti, aliis manentibus, eſt dicere contradictoria; nimirùm, quòd eadem anima ſit viva, & mortua: viva per gratiam remiſſivam unius peccati; & mortua per cætera peccata manentia, quæ ſunt mors animæ, eamque privant vitâ ſpirituali: ſicut ergo idem non poteſt eſſe vivum, & mortuum vitâ naturali: ita neque poteſt eadem anima eſſe grata, per peccatum remiſſum, & eſſe ſimul in peccato. Unde quemadmodum unio hypoſtatica, quia ex eſſentia ſuâ habet incompoſſibilitatem cum omnibus peccatis, nequit unum expellere, quin expellat alia: & quemadmo-

madmo-

madmodum lumen gloriæ, ſi facit videre unum prædicatum divinum, facit videre omnia, quia eadem ratio viſibilis eſt in omnibus. Ita gratia ſemel expellens unum peccatum, debet omnia expellere, quia eadem eſt ratio de omnibus, aliàs expelleret, & non expelleret.

§. II.

Rationes Contrariæ.

IV. Argues primò. Eorum, quæ invicem connexa non ſunt, unum poteſt auferri ſinè alio: ſed peccata invicem non ſunt connexa, unde unum poteſt eſſe ſinè alio; ergo unum eorum poteſt auferri ſinè alio. Quâ ratione poteſt, unum peccatum veniale remitti, ſinè alio.

V. Reſpondeo cum D. Tho. citatâ 3. *p. qu.* 86. *a.* 3. *ad* 3. diſt. min. Non ſunt connexa ex parte converſionis ad bonum commutabile, co. min. Ex parte averſionis à Deo, nego min. *Peccata* (inquit S. D.) *quamvis non ſint connexa, quantùm ad converſionem ad bonum commutabile; ſunt tamen connexa, quantùm ad averſionem à bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia:* & hac ratione non poteſt unum remitti alio non remiſſo; quia quocumque remanente, ſemper remaneret averſio.

Poteſt quidem unum peccatum veniale remitti, alio non remiſſo: quia eſtò aliquem defectum dicant in converſione ad ea, quæ ſunt ad finem, nullam tamen averſionem dicunt à fine. Unde D. Tho. *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 2. *a.* 1. *queſt.* 2. ait: *Peccata autem mortalia, quamvis non habeant connexionem ex parte converſionis, habent tamen connexionem ex parte averſionis; quia ab uno incommutabili bono avertunt: & ideo unum ſinè alio remitti non poteſt, cùm remiſſio culpæ magis reſpiciat per oppoſitum averſionem, quàm converſionem: quia culpa remittitur per reſtitutionem ad illud, à quo culpa ſeparavit. Venialia autem non habent connexionem, neque quantùm ad converſionem, neque quantùm ad averſionem; quia in eis nulla eſt averſio à fine, etſi ſit aliquis defectus in actu eorum, quæ expediunt ad finem: & ideo poteſt, unum veniale ſinè alio dimitti.*

VI. Sed dices. Ei, qui diſplicet Deo, peccatum non remittitur: ſed tàm diſplicet Deo venialiter peccans, quàm peccans mortaliter; ergo ſicut, quamdiu manet unum mortale, aliud non remittitur; ita nec, quandiu manet unum veniale, aliud remitti poterit. Vel ſi remitti poteſt veniale, alio manente, cur non etiam mortale?

VII. Reſpondet D. Thom. in *quarto* loco mox citato *ad* 3. diſcrimen eſſe: quòd *peccatum mortale ita Deo diſplicet; quòd etiam faciat ipſum peccantem Deo diſplicentem; inquantùm pulchritudinem gratiæ, quam Deus in ipſo amat, aufert. Sed peccatum veniale, quamvis Deo diſpliceat, quia inordinatum eſt; non tamen facit peccantem Deò diſplicentem, quia non aufertur claritas gratiæ, ſed quodammodo obnubilatur, inquantùm ejus proceſſus ad exteriora impeditur. Et ideo Gregorius dicit, quòd peccatum veniale obſcurat, ſed mortale obtenebrat: & propter hoc unum peccatum veniale non impedit, quin aliud remittatur, quamvis mortale unum impediat remiſſionem alterius.*

VIII. Argues ſecundò. Peccata ſunt ad modum debiti, unde Deo dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra:* ſed homo quandoque dimittit unum debitum ſinè alio; ergo & Deus poteſt dimittere unum peccatum ſinè alio.

IX. Reſpondeo ex D. Tho. 3. p. q. 86. a. 3. ad 4. *Quod debitum exterioris rei, puta pecuniæ, non contrariatur amicitiæ, ex qua debitum remittitur: & ideo poteſt unum dimitti ſinè alio. Sed debitum culpæ contrariatur amicitiæ: & ideo una culpa, vel offenſa nòn remittitur ſinè alterâ: ridiculum enim videtur, quòd etiam ab homine aliquis veniam peteret de una offenſâ, & non de alia.*

X. Argues tertiò, & replicabis. Nihil prohibet, quòd Deus diligat hominem, quantùm ad unum, & ſit ei offenſus, quantùm ad aliud: diligit enim peccatorem, quantùm ad naturam, odit autem eum, quantùm ad culpam; ergo poteſt eum diligere, dimittendo illi unum peccatum, & non aliud.

XI. Reſpondeo cum D. Tho. loco mox citato *ad* 5. conc. antec. negan. conſeq. & diſparitas eſt. Quia *dilectio, quâ Deus diligit hominis naturam, non ordinatur ad bonum gloriæ, à quo impeditur homo per quodlibet peccatum mortale;* ſed purè ſiſtit in voluntate, quâ vult homini bona naturalia: quæ benè componitur cum voluntate excludendi illum, propter peccatum, à Regno gloriæ: & ſic benè ſtat, Deum amare naturam, & odio habere peccatum. At dilectio, quâ remitteret unum peccatum, ordinaret hominem illum ad bonum gloriæ: quia *dilectio gratiæ, per quam ſit remiſſio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam æternam, ſecundùm illud Rom. 6. Gratia Dei vita æterna.* Odium autem, quo illum proſequeretur propter alia peccata, excluderet illum à bono gloriæ. Cùmque non poſſit componi, quòd unus homo ſimul ſit ordinatus ad gloriam per remiſſionem unius mortalis, & ſimul excluſus ab illa propter alia mortalia non remiſſa: repugnat, quòd Deus remittat ei unum peccatum, & ſic diligat illum, & ſit ei offenſus, & non diligat quantùm ad aliud.

XII. Neque eſt ſimilis ratio de homine prædeſtinato exiſtente in mortali; qui ratione prædeſtinationis efficaciter ordinatur ad gloriam, & per peccatum, in quo eſt, excluditur à gloria — Nam prædeſtinatio æterna, cùm nihil ponat in Prædeſtinato, ante tempus præfixum executioni ejus; relinquit pro omni tempore antecedente ſubjectum indifferens ad gratiam, quâ intrinſecè ordinetur ad gloriam; & ad peccatum, quo intrinſecè ordinetur ad gehennam. Et ideo pro diverſo tempore, & diverſo modo Prædeſtinatus ordinatur ad gloriam, nempe, extrinſecè, & pro tempore futuro; & ordinatur ad gehennam ratione peccati intrinſecè, & pro tempore præſenti: quæ non repugnant, cùm executivè non ſint ſimul. At gratia, quâ removetur peccatum, ſi non omnia remitteret, pro eodem tempore ordinaret intrinſecè hominem ad gloriam; & ſimul, per alia non remiſſa, intrinſecè ordinaretur ad gehennam: quæ duo, cùm ſint ejuſdem de eodem, repugnant.

XIII. Quæres: An ex pluribus peccatis mortalibus aliqua remitti poſſint directè, aliis ſolùm indirectè remiſſis?

Reſpondeo affirmativè cum omnibus Theologis moralibus. Si enim quis ex pluribus peccatis, quæ habet, confiteatur omnia, quæ, factâ debitâ diligentiâ ſibi memoriæ occurrunt, & reticeat unum, aut plura: tunc ex vi Sacramenti omnia remittuntur, cum hoc diſcrimine, quòd peccata confeſſa remittuntur directè, oblita autem naturali oblivione ſolùm indirectè. Et ratio eſt: quia gratia collata per Sacramentum eſt incompoſſibilis non ſolùm cum directè confeſſis; ſed etiam cum omnibus aliis peccatis, quæ ſunt in ſubjecto, ſive confeſſis, ſive non. Quæ tamen peccata dicuntur indirectè ſolum remitti; non quia immediatè non remittantur per gratiam, ſicut confeſſa: ſed quia, cum pænitens eſtò doleat, & intendat, omnia peccata ſua exponere; quia tamen ſolùm intendit abſolvi à confeſſis, quæ ponit tanquam materiam Sacramenti, non autem ab aliis, quæ ignorans de facto non expoſuit, nec per ſe materiam Sacramenti fecit: ideo ex una parte remiſſionem obtinet etiam ab omiſſis, ſed ſolùm indirectè.

Eâdem quoque ratione, ſi quis habens peccata reſervata, & non reſervata, & non habens copiam alterius Sacerdotis, confiteatur omnia Sacerdoti non habenti poteſtatem abſolvendi à reſervatis; abſolvetur indirectè etiam

à re-

Digitized by Google

à reſervatis, cum obligatione tamen confitendi eoram Sacerdote, legitimam poteſtatem habenti, cum à præfatis abſolvendi. Sed hæc præſentis Tractatus materia non ſunt.

DUBIUM VII.

An Gratia ex Natura rei opponatur cum Peccato Mortali.

§. I.

Reſolvitur Dubium.

I. SCotus cum ſuis putat, gratiam non expellere peccatum ex natura ſua, ſed ex lege, & inſtitutione, quâ decrevit Deus ad præſentiam gratiæ condonare peccatum: ita ut nulla vis fieret gratiæ, ſi Deus, illâ poſitâ, peccatum non condonaret. Scoto accedunt aliqui Recentiores, volentes, gratiam, & peccatum non opponi quidem tanquam duas formas contrarias, & neque ſolùm ex lege Dei; ſed ex morali quadam repugnantiâ, quâ dedecet, gratiam ob ſui excellentiam habitare in eodem ſubjecto ſimul cum peccato; eâ ratione, quâ dedecet, collocare dignitatem Regiam in ſubjecto plebejo.

II. Communiùs tamen cenſent Theologi, ex natura rei gratiam opponi cum peccato; ſed diſconveniunt: aliqui enim volunt, opponi ſolùm moraliter, quia peccatum quiddam morale eſt: alii verò etiam phyſicè: Quidam demum volunt. opponi ſic, ut licèt conjungi non poſſint peccatum, & gratia de potentia ordinariâ; conjungi tamen poſſint de potentia abſolutâ: alii verò negant, de potentia abſolutâ Dei conjungi poſſe. Rem hanc nos præſenti, & ſequenti dubio reſolvemus.

III. Dico. Gratia habitualis ex natura rei phyſicè opponitur cum peccato. Probo primò. Nam, ut ſupra vidimus ex Tridentino *Seſſ. 6. c. 7.* Gratia eſt unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis, quâ remittuntur nobis peccata, renovamur, & ſanctificamur: ſed quod per modum cauſæ formalis expellit peccatum, renovat, & ſanctificat, opponitur ex natura rei cum peccato, quod eſt, vel involvit privationem renovationis, & ſanctitatis: quemadmodum lux ex natura rei opponitur tenebris, & una forma alteri ſibi contrariæ; ergo &c.

IV. Confirm. primò. Ex eodem Conc. *Seſſ. 5. de Pecc. origin. Can. 5.* damnatur, qui non aſſerit, per gratiam tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet: at ſi gratia vi ſuâ non tollit peccatum, ſed potiùs Deus ad præſentiam gratiæ, jam gratia non eſt, quæ peccatum tollit, ſed Deus; ergo &c. — Si dicas, Deum tollere per modum cauſæ efficientis; non formalis — Contra Ergo eò m ad tollendum peccatum, ſolùm concurrant Deus, & gratia; Deus efficienter, & gratia per modum cauſæ formalis: jam gratia erit unica cauſa formalis ex natura ſua peccatum expellens.

V. Confirm. ſecundò. Ut conſtat ex locis ex Trident. prolatis, gratia nobis intrinſecè inhærens eſt vera juſtitia, quâ juſti ſumus, atque de injuſtis conſtituimur juſti; eſt inſuper vera, & intrinſeca ſanctitas, quâ ſancti ſumus: ſed vera juſtitia, & vera ſanctitas dicere debet ex natura rei oppoſitionem cum peccato mortali, quod eſt formalis injuſtitia, & malitia; ergo &c.

VI. Prob. ſecundò Aſſertio. Moralis illa indecentia, qua dicunt quidam, gratiam expellere peccatum, non ſufficit, ut verificetur, gratiam eſſe unicam cauſam formalem noſtræ juſtificationis, ut docet Tridentinum. Licèt enim ſufficiat, ut Deus poſſit ex illa indecentiâ moveri ad delendum peccatum; deletio tamen illius eſt novus favor, qui abſque aliquâ violentiâ factâ gratiæ poſſet à Deo, etiam de lege ordinaria, denegari, & peccatum nolle delere; ergo gratia non erit cauſa formaliter juſtificans, ſed

potiùs novus ille favor; non autem pura conditio, ut Adverſarii dicunt. Nam ab eo eſſet vis expulſiva peccati, non à gratia, quæ potiùs eſſet conditio: & ſic ſequeretur, de facto per ſolum favorem Dei extrinſecum formaliter peccata remitti, quod adversùs hæreticos ſupra negavimus.

VII. Urgeo hoc magis. Forma adæquata communicata ſubjecto capaci communicat ei, de lege ordinariâ, effectum ſuum tàm primarium, quàm ſecundarium; ergo vel gratia non eſt cauſa adæquata, & unica juſtificationis, quod eſt contra Concilium; vel ſemel ſubjecto communicata illud adæquatè juſtificat, ab eo removendo peccatum. Quis enim diceret, quòd anima eſt unica, & adæquata cauſa formalis dans vitam corpori; ſi eâ corpori communicatâ, aliquid aliud expectandum eſſet, ut daret vitam, & formam contrariam expelleret?

VIII. Præterea: cùm ad favorem extrinſecum dimittendi peccatum moveatur Deus immediatè à ſatisfactione, & meritis Chriſti, magis quàm ab excellentia gratiæ: cur ſi gratia, quia movet Deum, juxta Adverſarios dicitur cauſa formalis, hoc itidem non erunt merita Chriſti, quæ fortiùs movent Deum ad dimittenda peccata? Imò cum etiam excellentia fidei poſſit movere Deum ad remittendum peccatum; ne cum fœditate peccati habitet donum illud ſupernaturale: cur non poterit etiam dici, fidem excellentem eſſe cauſam formalem juſtificationis?

§. II.

Contraria Fundamenta.

IX. Primò conantur Scotiſtæ adducere pro ſe Tridentinum, *Seſſ. 6. c. 7.* dicens, juſtificationem non eſſe ſolam remiſſionem peccatorum, ſed ſanctificationem, & renovationem interioris hominis; ergo, inquiunt, remiſſio peccatorum eſt diſtinctus favor à renovatione interiori per gratiam. Rurſus: idem Concilium dicit, gratiam non eſſe ſolùm favorem extrinſecum ibi *Can.* 11. ergo favorem Dei non excludit, ſed requirit, licèt non ſolum.

X. Reſpondeo, hæc leviſſima eſſe. Nam *ad* 1. dico, Tridentinum docere, juſtificationem non eſſe ſolam remiſſionem peccatorum, ſed interiorem renovationem, intendens, ad juſtificationem utrumque requiri contra hæreticos: quorum quidam negabant, peccata per eam dimitti: alii, hominem interiùs per eam renovari: non verò quòd unum ſit favor diſtinctus ab altero. Imò utrumque per gratiam præſtari, ſubjungit, dum ait: *Per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.* Quaſi diceret, voluntariâ ſuſceptione gratiæ, & donorum homo à peccato ſolvitur, & interiùs renovatur.

Ad ſecundum dico, favorem Dei ad juſtificationem requiſitum, eſſe indiſtinctum à voluntate Dei infundendi gratiam.

XI. Secundò objiciunt. Peccatum habituale eſt aliquid morale: quia ex peccato actuali nil phyſicum relinquitur in anima, niſi habitus vitioſus; qui tamen peccatum habituale non eſt, vel privatio gratiæ, quæ abſque peccato dari poteſt; ergo gratia ei phyſicè non opponitur: quia enti morali non poteſt opponi ens phyſicum, cum ſint diverſi ordinis. Tùm quia: oppoſitio eſt juxta naturam oppoſitorum.

XII. Confirmatur. Peccatum actuale ſolùm moraliter, ideſt, demeritoriè expellit gratiam; ergo & habituale ex ipſo relictum; ergo quòd expellat gratiam, eſt ex voluntate Dei punientis: quòd enim demerito de facto pœna reſpondeat, ſicut merito præmium, ex voluntate punientis, vel præmiantis eſt.

XIII. Reſpondeo primò, neg. ant. ad prob. dico, quòd etſi privatio, ſeu carentia gratiæ ſinè peccato eſſe poſſit; voluntaria tamen privatio gratiæ, ex

Digitized by Google

ex peccato actuali relicta peccatum habituale eſt. — Deinde dato ant. nego conſ. Nam formæ, etſi diverſi ordinis, ſi præſtent effectus incompoſſibiles, ex natura rei opponuntur. Oppoſitio autem eſt juxta naturam oppoſitorum, non abſolutè ſumtam; ſed ut una repugnat alteri: cumque natura gratiæ ex natura ſuâ naturæ peccati repugnet; ideo dici poſſunt opponi phyſicè, ſi non philoſophicè, ſaltem theologicè, ut oppoſitio phyſica condiſtinguitur à pure morali.

XIV. Ad Confirm. reſpondeo primò, peccatum actuale mortale expellere demeritoriè gratiam, quantùm ad ſufficientiam; quia habet condignitatem ſufficientem, ut Deus in pœnam illius auferat gratiam; ſi aliunde connexio eſſentialis peccati cum carentia gratiæ non obſtaret: quia tamen hæc obſtat, ideo quoad efficaciam demeritoriè non expellit, ſed ex natura ſua.

Secundò, omiſſo antec. nego conſ. Ad probationem, diſt. antec. Pœna, quæ eſt purè pœna, conc. antec. Pœna, quæ ſimul eſt effectus, nego ant. Admiſſo ergo, quòd peccatum actuale demereatur gratiæ conſervationem; adhuc tamen ablatio gratiæ eſt inſeparabilis à peccato actuali: quia talis ablatio, licèt, pro ut eſt à Deo, habeat rationem pœnæ; ut tamen inducitur à peccatore, per appoſitionem formæ oppoſitæ, eſt effectus peccati: & ſic cùm non ſit tantùm pœna, ſed etiam effectus, eſt ex natura rei inſeparabilis. Sicut quia in eo, qui voluntariè ſibi eruit oculos, cæcum manere, & eſt pœna, & ſimul effectus eruitionis oculorum; non videre, eſt pœna inſeparabilis ab illa. Cùm ergo peccator peccando ponat obſtaculum conſervationi gratiæ per aliquid non purè moraliter, ſed ex natura rei illam impediens; ex tali poſitione neceſſitatur Deus ad ſuſpendendum concurſum ad gratiam: ſicut per interpoſitionem corporis opaci, neceſſitatur Sol ad ceſſandum ab illuminatione.

XV. Tertiò objiciunt. Gratiæ habituali non poteſt eſſe debita ex natura rei remiſſio peccati. Quod probo. Nam gratiæ habituali non poteſt eſſe ex natura rei debitus effectus, ſuperans in æſtimatione morali præſtantiam illius; aliàs effectus ille in ea non contineretur: cùm effectus nobilior non poſſit contineri in cauſa minus nobili. Unde quia unio hypoſtatica eſt donum ſuperans in excellentia morali omnem qualitatem creatam ſupernaturalem, non eſt poſſibilis qualitas creata, cui talis unio ex natura rei debeatur: ſed remiſſio peccati ſuperat in æſtimatione morali præſtantiam gratiæ; ergo nequit remiſſio peccati ex natura rei &c.

XVI. Reſpondeo, diſt. min. Remiſſio peccati, ut eſt facienda ratione puræ oppoſitionis, & incompoſſibilitatis cum illo, ſuperat &c. nego min. Ut facienda per exhibitionem obſequii adæquantis ejus gravitatem, conc. min. & diſt. conſ. eodem modo. Itaque de remiſſione peccati poſſumus dupliciter loqui. Primò de illa, ut facienda de rigore juſtitiæ, intuitu ſatiſfactionis adæquantis gravitatem peccati: & hoc modo fatemur, quòd ſuperat vires gratiæ, & cujuſcumque puræ creaturæ, quamvis Scotus id neget. Alio modo de remiſſione facienda per puram poſitionem formæ cum illo incompoſſibilis; formæ inquam poſitæ, non à creatura, ſed à Deo: & hoc modo dicimus, remiſſionem peccati ſequi ex natura rei ex poſitione gratiæ, tanquam effectum ejus, ſaltem ſecundarium. Et inſto in exemplo adducto. Nam unio hypoſtatica certè eſt majoris dignitatis quàm ſit gravitatis peccatum: & tamen per unum peccatum etiam veniale deſtrueretur.

DU-

DUBIUM VIII.

An de Potentia Dei Abſolutâ fieri poſſit, ut ſibi coexiſtant in eodem Subjecto Peccatum, & Gratia?

§. I.

Reſolutio Dubii.

UT magis explicetur oppoſitio gratiæ cum peccato, ponimus hoc dubium: eò vel magis, quia aliqui etſi nobiſcum ſentiant, peccatum, & gratiam ex natura rei opponi; tenent tamen, de potentia abſolutâ poſſe ſimul coexiſtere.

I. Dico ergo. Nullâ Dei potentiâ fieri poteſt, ut gratia, & peccatum mortale ſimul coexiſtant. Hæc concluſio in ſententia conſtituente peccatum habituale in privatione gratiæ, negari non poteſt: gratia enim eſt eſſentialiter incompoſſibilis cum ſua privatione, ſicut lux cum tenebris. Idem dicendum eſt, licèt privatio gratiæ non ſit adæquatum conſtitutivum peccati: dummodo ſit, vel conſtitutivum inadæquatum, vel prædicatum eſſentialiter prærequiſitum ad exiſtentiam peccati. Et ratio eſt: nam peccatum nequit etiam de potentia Dei abſolutâ exiſtere ſinè prædicato illi eſſentiali, vel eſſentialiter prærequiſito ad exiſtentiam illius; ergo ſi privatio gratiæ eſt conſtitutivum, ſaltem inadæquatum, peccati habitualis. vel prærequiſitum eſſentiale ad exiſtentiam illius, ſinè tali privatione nequit peccatum exiſtere. Cæterùm quia de conſtitutivo peccati habitualis non una eſt omnium ſententia: ideo

II. Probatur primò ſic. Eſſe ſanctum, & ſimul eſſe peccatorem ſunt duo incompoſſibilia, etiam de potentia Dei abſolutâ: quia eſſe ſanctum, eſt eſſe objectum amoris; eſſe peccatorem, eſt eſſe objectum odii Dei; ergo gratia, quæ eſt perfecta ſanctitas, & peccatum, quod eſt ſumma malitia, nequeunt &c. Ex incompoſſibilitate enim effectuum deducitur incompoſſibilitas formarum: quia enim odio habere, & amare idem formale objectum, effectus incompoſſibiles ſunt; incompoſſibilia etiam ſunt in eodem ſubiecto amor, & odium ejuſdem formalis objecti.

III. Explicatur magis, & prævenitur reſponſio. Licèt forma poſſit communicari ſubjecto incapaci, & illi non communicare effectum ſuum, præſertim ſi non ſit primarius, & poſitivus: quâ ratione gratia habitualis communicata Chriſto, ipſum non facit filium adoptivum: & Perſona divina communicata naturæ irrationali, illam non ſanctificaret. Si tamen forma communicetur ſubjecto capaci, non poteſt ei non communicare effectum ſuum formalem, maximè ſi ſit primarius, & poſitivus: quia effectus formalis eſt ipſa forma ut communicata. Quare ſi naturæ rationali, quæ capax ſanctitatis eſt, uniretur Perſona divina ſubſtantialiter, non poſſet illam non ſanctificare, quamvis in illa præceſſiſſet peccatum. Et quia homo capax eſt amoris, & odii, etſi per impoſſibile Deus in eodem ſubjecto conſervaret amorem, & odium ejuſdem objecti, non poſſet impedire, ne utrumque ſuum effectum illi ſubjecto præſtaret: ſed homo eſt capax effectus poſitivi, tùm gratiæ, tùm peccati; ergo &c.

Unde ſic diſcurro. Amor, & odium ejuſdem formalis objecti incompoſſibilia ſunt de potentia abſolutâ Dei; quia eorum effectus formales incompoſſibiles ſunt, & ſubjectum utriuſque effectus capax eſt: ſed effectus poſitivi gratiæ, & peccati, de potentia abſolutâ incompoſſibiles ſunt, & homo utriuſque capax eſt; ergo &c.

IV. Probatur ſecundò ratione ſpeciali. Gratia, & peccatum naturaliter ſe expellunt; ergo repugnat etiam de potentia Dei abſolutâ, quòd poſitâ gratiâ non deſtruatur peccatum in

ſubje-

ſubjecto. Antec. modò ſupponitur: conſ. verò probatur. Quod naturaliter ab aliquo expellitur, & aliàs in conſervari non dependet ab influxu poſitivo Dei; non poteſt in præſentia oppoſiti illud expellentis à Deo, etiam de potentia abſolutâ, conſervari: ſi enim frigiditas non dependeret in conſervari à Deo; implicaret, etiam de potentia Dei abſoluta, quòd poſito calore cum illa naturaliter incompoſſibili, frigiditas in ſubjecto conſervaretur: ſed peccatum, & gratia ex natura rei naturaliter invicem ſe expellunt, & peccatum in conſervari non dependet à Deo; ergo implicat, quòd poſitâ gratiâ &c. Alioquin ſi Deus, poſitâ gratiâ naturaliter deſtructivâ peccati, vellet, peccatum adhuc perſeverare, impediendo deſtructionem illius; indicaret, ſe habere ſpecialem complacentiam in exiſtentia peccati: ſicut ſi ad præſentiam caloris vellet conſervare frigiditatem in ſubjecto; id non faceret, niſi ex ſpeciali amore erga exiſtentiam frigiditatis. Cum autem in Deo non poſſit concipi ſpecialis amor erga exiſtentiam peccati; nequit concipi, quòd poſitâ gratiâ velit illud conſervari, impediendo, ne à gratia deſtruatur.

V. Neque dicas, quòd tunc peccatum in eſſe permaneret, Deo non poſitivè influente, ſed ſolùm permittente, ſeu non condonante illud. — Nam contra eſt. Quoties Deus tantùm permiſſivè concurrit, dari debet alia cauſa poſitiva concurrens: ſed in præſenti caſu non daretur alia cauſa poſitivè concurrens; quia creata voluntas, quæ ſola poſitivè poſſet influere in exiſtentiam peccati, potiùs ex parte ſuâ, per gratiam, conaretur ad ejus deſtructionem; ergo ſolus Deus eſſet, qui vellet conſervari peccatum, & quidem poſitivè. Quæro enim, dum Deus dicit: permitto, quòd conſervetur peccatum. Vel hic eſt ſenſus: permitto, quòd conſervetur, nullo conſervante; & hoc eſt impoſſibile extra Deum. Vel eſt ſenſus: permitto, quòd conſervetur à peccatore; & tunc peccator deberet influere in peccati conſervationem. Vel eſt ſenſus: permitto, quòd à me conſervetur; & tunc ipſe Deus eſt, qui peccatum vult, & conſervat; ergo quando peccator non influit in conſervationem peccati, quomodo non influit, quando eſt in gratia; implicat, quòd Deus permiſſivè concurrat ad ejus conſervationem, quin concurrat etiam poſitivè.

§. II.

Solvuntur Rationes Contrariæ.

VI. Primò objiciunt. Poteſt Deus duo contraria in gradu intenſo ſimul conſervare in eodem ſubjecto; ergo etiam gratiam, & peccatum.

VII. Reſpondeo, dato antecedente, cujus oppoſitum probabilius judico, neg. conſ. Cujus evidens datur diſparitas. Quia cùm duo accidentia contraria Dei voluntate fiant; poteſt velle, utrumque conſervare, & facere, ne unum deſtruat aliud, ex ſpeciali affectu erga exiſtentiam illius. At cùm peccatum Dei voluntate poſitivâ non fiat; ideo non poteſt illud in præſentia gratiæ conſervare: ſi enim hoc faceret, indicaret ſpecialem affectum erga exiſtentiam peccati, ut dictum eſt.

VIII. Dices. Poteſt Deus habere hoc decretum efficax: volo, ut in inſtanti *B.* habeas gratiam, ſive habeas peccatum, ſive non; ergo ſi homo in eo inſtanti peccet, habebit gratiam, & ſimul peccatum, propriâ voluntate, non Dei.

Reſpondeo, neg. ant. Tale enim decretum eſt impoſſibile, ſicut iſtud: volo, ut ſimul ſis ſanctus, & peccator: Filius Dei, & damnationis: dignus vitâ æternâ, & morte æternâ.

IX. Secundò objiciunt. Poteſt Deus, hominem exiſtentem in peccato acceptare ad gloriam — Si reſpondeatur, diſt. ant. Ad gloriam dividendam à peccato, con. ant. Ad gloriam conjungendam cum peccato, nego ant.

X. In-

Digitized by Google

X. Inſtabis. Acceptatio ad gloriam fit per gratiam; ergo ſi poteſt homo conjungere cum peccato acceptationem ad gloriam, poterit conjungere gratiam cum peccato.

XI. Reſpondeo, diſt. ant. Acceptatio intrinſeca ad gloriam faciens hominem filium Dei adoptivum, & dans illi jus intrinſecum ad hæreditatem gloriæ, fit per gratiam, conc. ant. Sed hujuſmodi acceptatio nequit conjungi cum peccato. Acceptatio extrinſeca, nempe, Dei voluntas ordinans extrinſecè hominem ad gloriam, tempore ſtatuto habendam, fit per gratiam, nego ant. Talis autem acceptatio ad gloriam hominis exiſtentis in peccato, ſicut non dicit gloriam de præſenti, ſed de futuro; ita nec dicit gratiam pro inſtanti, quo acceptatur, ſeu extrinſecè ordinatur ad gloriam, ſed pro futuro, quo gloriam acquiret.

XII. Tertiò objiciunt. Primarius effectus gratiæ non eſt, excludere peccatum; ergo illud eſſentialiter non excludit. Ant. probatur. Primarius effectus gratiæ ſolùm eſt, quòd ſit radix donorum ſupernaturalium; & quòd ex quadam decentiâ habeat ſibi annexam remiſſionem peccatorum.

Secundò. Ad non eſſe peccati, ultra effectum primarium gratiæ, requiritur actio Dei remiſſiva peccati: ſed hanc, poſitâ gratiâ, poteſt Deus liberè ſuſpendere: quod enim eſt finitæ bonitatis, non poteſt obligare Deum, ut deſtruat id, quod eſt gravitatis, & offenſæ infinitæ.

XIII. Reſpondeo ad primum, neg. ant. Ad ejus prob. nego iterum ant. Effectus enim primarius gratiæ eſt, quòd faciat nos participes divinæ naturæ, Deo gratos, dignos vitâ æternâ, & objectum congruum divinæ dilectionis: cum quo ſtare nequit effectus formalis peccati, ut vidimus.

Ex quo ſequitur, quòd non præciſè ex quadam decentiâ, ſed ex eſſentiali incompoſſibilitate inferat non eſſe peccati. — Quòd ſi dicas. Sicut gratia infert in homine non eſſe peccati; ita in eodem infert eſſe donorum ſupernaturalium: ſed non implicat, eſſe gratiam, & non eſſe actu dona ſupernaturalia; ergo etiam non implicat, quòd ſit gratia, & actu ſit peccatum — Reſpondetur enim, neg. maj. Nam dona ſupernaturalia inferuntur à gratia in genere cauſæ efficientis, cui poteſt à Deo ſuſpendi effectus; non eſſe autem peccati eſt à gratia in genere cauſæ formalis, cui communicatæ ſubjecto capaci non poteſt ſuſpendi effectus.

Præterea: ex quo, ſtante gratiâ, impedirentur dona ſupernaturalia, non ſequeretur aliquid Deo repugnans: ex quo autem, poſitâ gratiâ, adhuc conſervaretur peccatum, ſequeretur, peccatum ſpecialiter conſervari à Deo, quod repugnare oſtendimus.

XIV. Ad ſecundum, nego maj. Ipſa enim actio, quâ Deus communicat gratiam peccatori, eſt formalis deletio peccati, & deſtructio offenſæ. Eſtò autem bonitas finita nequeat obligare Deum ad remittendam offenſam infinitam, per modum moralis ſatisfactionis; Deus tamen ſibi ipſi obligatur, dum ponit formam cum peccato eſſentialiter incompoſſibilem, ut oſtenſum eſt. Et hæc inſtantia nullum habet robur in ſententia Societatis. Nam noſtra libertas non minus eſt bonitas finita, imò magis, quàm gratia: & tamen, ſuppoſitâ noſtrâ libertate, Deus ſinè decreto ſuo decernente unum præ alio neceſſitatur ad concurrendum ad hunc actum præ alio, etiamſi ſit peccatum, quin amittat dominium; ergo etſi ſit Dominus, ſuppoſito tamen, quòd gratiam exigentem remiſſionem peccati dare voluerit, abſque læſione ſui dominii tenebitur peccatum dimittere.

XV. Quartò objiciunt. Omne principium, concurrens ad aliquam actionem liberam, debet eſſe compoſſibile cum quolibet extremo, vel contradictionis, vel contrarietatis; principium enim liberum debet eſſe indifferens ad unum, & oppoſitum ejus: ſed gratia eſt principium noſtrorum actuum liberorum

rorum in ordine ſupernaturali; ergo debet eſſe compatibilis cum obſervantia præcepti, vel omiſſione illius: hæc autem eſt peccatum; ergo &c.

XVI. Reſpondeo, hanc inſtantiam probare nimis, ſcilicet, quòd etiam de lege ordinaria gratia ſtare poſſit cum peccato. Dico ergo, majorem eſſe veram de principio concurrente concurſu potentiæ: non autem de principio concurrente per modum determinativi potentiæ. Primum verum eſt: quia intra objectum potentiæ comprehenduntur tàm agere, quàm non agere, tàm agere bonum, quàm malum. Secundum verò falſum eſt: quia principium determinativum potentiæ, etſi liberæ, ad bonum, non debet eſſe compatibile cum utroque extremo; quia poteſt eſſe, quòd unum extremum ſit deſtructivum illius. Sic autem ſe habet gratia; quæ cùm non ſit verè potentia, ſed potiùs habitus, & determinatio potentiæ ad bonum ſupernaturale, eſt incompoſſibilis cum malo moraliter. Et pono exemplum in diaphano, & luce: eſtò enim diaphanum, quod eſt potentia, ſit conjungibile cum illuminatione, & non illuminatione; lux tamen, quæ eſt determinatio diaphani ad illuminandum, talem indifferentiam habere non poteſt.

Salvatur tamen adhuc libertas: quia habens gratiam poteſt abſolutè non implere præceptum, & peccare; eſtò non poſſit conjungere peccatum cum gratia. Quia, ut ſcribit S. Joann. Ep. 1. c. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.*

XVII. Quintò obiiciunt. In inſtanti, quo homo juſtus peccat, habet potentiam ad merendum de condigno, per obſervantiam præcepti ſupernaturalis: ſed potentia ad merendum non datur ſinè gratiâ; ergo &c.

Reſpondeo, neg. maj. Ex illo enim inſtanti, quo homo juſtus peccat, & peccatum primò exiſtit; incipit primum non eſſe gratiæ, & primum non eſſe potentiæ proximæ ad merendum. Nec tamen immunis eſt à peccato: quia eſtò talem potentiam proximam non habeat; eam tamen haberet, niſi ſuâ culpâ ſe privaſſet peccando.

XVIII. Sed dices. Peccatum in inſtanti, in quo primò exiſtit, expellit gratiam: non gratiam, quæ non eſt, hæc enim non expellitur; ergo gratiam, quæ in eodem inſtanti eſt; ergo gratia cum peccato exiſtit.

XIX. Reſpondet ſimili inſtantiæ S.T. Q. 28. *de Verit.* a. 2. ad 9. Cum enim opponeretur: *Si gratia removet culpam, aut gratia, quæ eſt, aut gratia, quæ non eſt: non autem gratia, quæ non eſt, quia quod non eſt, non facit aliquid.* Reſpondet: *Dicendum, quòd gratia, quæ eſt, & ineſt, culpam expellit, non eam, quæ eſt, ſed quæ non eſt, priùs autem erat. Non enim expellit culpam per modum cauſæ efficientis: ſic enim oporteret, quòd ageret in culpam exiſtentem ad ipſius expulſionem; ſicut ignis agit in aerem exiſtentem ad ejus corruptionem: ſed expellit culpam formaliter. Ex hoc enim ipſo, quòd informat ſubjectum, ſequitur, quòd culpa in ſubjecto non ſit: ſicut patet de ſanitate, & infirmitate.* Hæc D. Tho. de expulſione peccati per gratiam. Idem dicendum de expulſione gratiæ per peccatum. Cùm enim hoc expellat gratiam in genere cauſæ quaſi formalis, vel ſicut privatio expellit formam; expellit gratiam, non quæ eſt, ſed quæ priùs erat, & ex vi peccati primò non eſt. Sicut infirmitas expellit ſanitatem: non ſanitatem, quæ eſt, ſed quæ priùs erat, & per infirmitatem primò non eſt. Sed hoc argumentum probaret, peccatum naturaliter exiſtere cum gratia.

QUÆSTIO II.

De Diſpoſitionibus ad Juſtificationem.

EXplicatis omnibus, quæ ad perfectam intelligentiam juſtificationis, & gratiæ juſtificantis neceſſaria ſunt; in examen vocamus diſpoſitiones, queis homo præparare ſe debeat ad juſtificationem: nimirum, an ſint, & quænam ſint: quod præſenti quæſtione peragemus.

DUBIUM I.

An Homo Adultus per Motum Liberi Arbitrii ſe diſponere debeat ad Gratiam Juſtificantem?

§. I.

Explicatur Dubium.

I. PRocedit primò dubium de homine adulto, & inſuper rationis, & libertatis compote. Nam infantes, dum baptizantur, accipiunt gratiam juſtificantem abſque ullo motu liberi arbitrii eorum; & idem dico de amentibus, qui nunquam rationis compotes fuere. Ita S. Tho. hâc *t.* 2. *q.* 113. *a.* 3. *ad* 1. dicens: *Pueri non ſunt capaces motus liberi arbitrii: & ideo moventur à Deo ad juſtitiam, per ſolam informationem animæ ipſorum. Hoc autem non fit ſinè Sacramento: quia ſicut peccatum originale, à quo juſtificantur, non propriâ voluntate ad eos pervenit, ſed per carnalem originem: ita etiam per ſpiritualem regenerationem à Chriſto in eos gratia derivatur. Et eadem ratio eſt de furioſis, & amentibus, qui nunquam uſum liberi arbitrii habuerunt. Sed ſi quis aliquando habuit uſum liberi arbitrii, & poſtmodum eo careat, vel per infirmitatem, vel per ſomnum; non conſequitur gratiam juſtificantem per Baptiſmum exteriùs adhibitum, aut per aliquod aliud Sacramentum, niſi priùs habuerit Sacramentum in propoſito: quod ſinè uſu liberi arbitrii non contingit. Et hoc modo ille, de quo loquitur Auguſtinus* (l. 4. Confeſſ. c. 4.) *renatus fuit; quia & priùs, & poſtea Baptiſmum acceptavit.* Ait enim S. Auguſt. cùm quidam ſuus amicus laboraret febribus: *Jacuit diu ſinè ſenſu in ſudore lethali: & cùm deſperaretur, baptizatus eſt neſciens, & renatus eſt:* quia ſcilicet Baptiſmum priùs optaverat, & poſtea acceptavit.

II. Procedit ſecundò de motibus liberi arbitrii moti à gratia. Certum enim eſt, ex ſæpè dictis contra Pelagium, hominem per ſolas naturæ vires non poſſe præparare ſe, aut diſponere ad gratiam, ſive actualem, ſive habitualem, & juſtificantem; id enim pluribus Scripturæ textibus alibi probavimus: & maximè ex illo Chriſti Jo. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Quod *v.* 65. clariùs exprimens: *Nemo* (inquit) *poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Quòd autem venire ad Chriſtum, ſit credere in Chriſtum, probat S. Auguſt. *l.* 1. *contra duas Ep. Pelag. c.* 3. Propterea in Synodo Dioſpolitanâ coactus fuit Pelagius fateri, gratiam non ſecundum merita noſtra dari, ideſt, ſecundum opera ſolis naturæ viribus facta. Unde Tridentinum Seſſ. 6. Can. 3. *Si quis* (inquit) *dixerit, ſinè præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe; ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Quod anathema in Pelagianos priùs intorſerat Auguſt. citato *l.* 1. *contra duas Epiſt. Pelag. c.* 24. his verbis: *Sed & Pelagianis non immeritò anathema dicimus, qui tàm ſunt inimici gratiæ Dei .... tantumque conſtituunt in libero arbitrio, quo in profundum demerſus eſt homo; ut, eo benè utendo, dicant, hominem mereri gratiam: cùm nemo benè illo uti poſſit, niſi per gratiam, quæ non ſecundùm debitum redditur, ſed*

Deo.

Digitized by Google

Deo gratis miſerante donatur. De motibus ergo liberi arbitrii gratiâ Dei præveniente excitatis, quærimus: an requirantur tanquam diſpoſitiones præparantes hominem ad juſtificationis gratiam conſequendam.

Lutherus, Calvinus, aliique ex eorum grege volunt, opera juſtificationem præcedentia, quia facta ab homine adhuc ſervo peccati, avertere potiùs, quàm diſponere ad juſtificationem: & propterea hominem, dum juſtificatur, nihil agere, ſed merè paſſivè velut inanime quoddam inſtrumentum ſe habere.

§. II.

Veritas Catholica.

III. Dico. Homo adultus per motus liberi arbitrii divino auxilio moti, & excitati debet ſe diſponere ad gratiam juſtificationis acquirendam. Eſt dogma fidei ſtatutum à Trident. *Seſſ.* 6. *Can.* 4. his verbis: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit: ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere: anathema ſit.* Item Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quâcumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur, ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare: anathema ſit.* Et tandem Can. 9. *Si quis dixerit, ſolâ fide impium juſtificari; ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur; & nullâ ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi: anathema ſit.* Quibus totum hæreticorum errorem concludit, & damnat.

IV. Probatur autem primò ex Scriptura. Joel. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me .... & convertar ad vos, dicit Dominus* Converſio autem iſta abſque motu liberi arbitrii fieri nequit: ut autem ſciatur, hunc motum eſſe à Dei præveniente gratiâ, dicitur Threnorum 5. v. 21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Quæ ſimul conjungens Tridentinum, *Seſs. 6. cap.* 5. ubi de neceſſitate præparationis ad gratiam juſtificationis agit: *Unde* (inquit) *in ſacris Literis cum dicitur:* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, *libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus:* Converte nos Domine ad te, & convertemur, *Dei nos gratiâ præveniri, confitemur.*

V. Hoc docuerat Auguſtinus paſſim, maximè *Serm.* 13. *de Verb. Apoſt.* modò *Serm.* 156. *c.* 11 ubi exponens illa verba: *Quotquot ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*, ſic ait: *Dicit mihi aliquis; ergo agimur, & non agimus. Imò & agis, & ageris: & tunc benè agis, ſi à bono ageris: ſpiritus enim Dei, qui te agit, agenti adjutor eſt tibi. Ipſum nomen adjutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis. Agnoſce, quid poſcas, agnoſce, quid confitearis, quando dicis:* Adjutor meus eſto, ne derelinquas me. *Adjutorem utique invocas Deum: nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur.* Et rurſus exponens illud Apoſtoli: *Scimus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ait: *Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator.* Hinc celebris ejus ſententia, Serm. 15. de Verb. Apoſt. nunc Serm. 169. c. 11. *Qui fecit te ſinè te, non te juſtificat ſine te; ergo fecit neſcientem, juſtificat volentem.* Quibus inſaniam Lutheri præoccupat volentis, liberum arbitrium ad juſtificationem nihil omnino agere.

VI. Adeſt quoque ratio Theologica, quam nobis exhibet S. Tho. hâc *q.* 113. *a.* 3. ſic. Juſtificatio impii fit Deo movente hominem ad juſtitiam; ipſe enim eſt, qui juſtificat impium,

ut dicitur *Roman.* 3. ſed Deus movet omnia ſecundùm modum uniuſcujuſque: ſicut in naturalibus videmus, quòd aliter moventur ab ipſo gravia, & aliter levia, propter diverſam naturam utriuſque: & homo ſecundùm propriam naturam habet, quòd ſit liberi arbitrii; ergo (concludit S. Doct.) *In eo, qui habet uſum liberi arbitrii, non fit motio à Deo ad juſtitiam*, *abſque motu liberi arbitrii: ſed ita infundit donum gratiæ juſtificantis, quòd etiam ſimul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, qui ſunt hujus motionis capaces*. Quod expreſſit etiam Tridentinum, *Seſſ. 6. c.* 7. dum ait, hominem juſtificari per *voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum &c.* Quibus inſinuatur, motum liberi arbitrii ad juſtificationem requiſitum, generaliter eſſe partim actuale deſiderium ſalutis, ac mediorum ad eam conducentium; partim conſenſum in fidem, & gratiam; ſeu actum, quo vult à peccato recedere, & accedere ad juſtitiam. Quinam verò actus in particulari requirantur, dicetur infra.

§. III.

Contraria Fundamenta.

VII. Opponunt primò Sectarii. Homines dicuntur juſtificari gratis; ergo non per opera: ſi enim gratis, non ex operibus. Ant. eſt Pauli, Roman. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*.

VIII. Reſpondeo, diſt. ant. Gratis, ideſt, non per opera legis ſinè fide, & quæ gratiam promereantur, conc. ant. Per motus à fide procedentes, & qui purè diſponant, nego ant. Reſponſio eſt Tridentini, Seſs. 6. cap. 8. *Gratis autem ideo juſtificari dicimur; quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur*.

IX. Dicunt. Non poteſt homo ad gratiam juſtificantem ſe diſponere per id, quod peccaminoſum eſt; ſed omnes actus peccatoris præcedentes juſtificationem ſunt peccaminoſi: non enim poteſt arbor mala bonos fructus facere; ergo per proprios actus non poteſt homo ad gratiam ſe diſponere.

X. Reſpondeo, neg. min. Jam enim in ſuperioribus oſtenſum eſt, non omnes actus hominis exiſtentis in ſtatu peccati, eſſe peccata; ſed ſolùm eos, qui ex affectu ad peccatum procedunt: Cæterùm peccatorem non ſemper agere ex affectu ad peccatum; ſed aliquando ex amore virtutis, & opera moraliter bona facere poſſe. Quòd ſi à Spiritu Sancto nondum quidem inhabitante, ſed movente cor ejus, incipiat de ſua ſalute cogitare, & quærere media ad juſtificationem conſequendam: eſtò nondum à ſtatu peccati ereptus, tamen per tales actus viam ſibi ad juſtificationem à Deo obtinendam parat. Et hæc eſt doctrina Tridentini, *Seſs.* 14. *c.* 4.

XI. Opponunt ſecundò. Actus noſtri præcedentes juſtificationem, etſi ex motione Spiritus Sancti fiant, nullam ex natura ſuâ cum gratia juſtificationis connexionem habent: quia adhuc iis poſitis juſtificamur gratis; ergo non diſponunt, quia diſpoſitiones connecti debent cum forma: neque connexionem habent ex lege Dei; quia nulla lex eſt, quòd facienti, quod in ſe eſt, Deus det gratiam; ergo &c.

XII. Confirmatur. Si noſtris actibus ponimus diſpoſitiones ad noſtram juſtificationem; dici poterit, hominem propriis actibus juſtificare ſeipſum: ſicut quia ponit diſpoſitionem ultimam ad eſſe alterius hominis, etſi animam non producat, dicitur generare illum: ſed hoc videtur maximum abſurdum; ergo &c.

XIII. Reſpondeo, quòd actus noſtri præcedentes juſtificationem, & ex motione Spiritus Sancti procedentes, non habent quidem connexionem cum gratia juſtificationis per modum meriti, maximè de condigno, ſeu per modum diſpoſitionis phyſicæ; habent tamen connexionem moralem fundatam in

Digitized by Google

Dei promiſſo : *Convertimini ad me, & convertar ad vos*. Et ſic eſtò facienti, quod in ſe eſt ſolis naturæ viribus, non ſit promiſſa juſtitia; promiſſa tamen eſt ſe præparanti ad eam viribus, & adjutorio gratiæ.

XIV. Ad Confirm. Aliqui concedunt, in aliquo ſenſu dici poſſe, hominem per actus, quibus Spiritu Sancto movente ponit ultimam diſpoſitionem ad gratiam, juſtificare ſeipſum; non quidem formaliter, ſed diſpoſitivè: fundati in illo 1. Joan. 3. v. 3. *Omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt*.

Tutiùs tamen negandum eſſe cenſeo: quia fieret ſenſus, quòd juſtificatio impii eſſet aliquomodo opus hominis, qui juſtificatur, contra illud Rom. 4. v. 5. *Credenti in eum, qui juſtificat impium*. Neque ex eo ſolùm unus homo dicitur generare alium, quia præcisè ponit ultimam diſpoſitionem ad formam, quâ formaliter fit homo: ſed quia propriâ virtute, & formâ æqualis perfectionis ponit ultimam diſpoſitionem, eamque naturaliter, & phyſicè connexam cum anima rationali. At homo ultimam diſpoſitionem ponit ad gratiam, non propriâ formâ, & virtute, ſed virtute gratiæ Dei moventis: neque formâ æquali cum gratia habituali, quia gratia movens comparatur ad habitualem, ſicut motus ad terminum. Neque diſpoſitio, quam producit, habet connexionem phyſicam cum gratia juſtificationis, ſed ſolùm moralem: cum collatio gratiæ ſit novum beneficium diſtinctum à beneficio præparationis ad gratiam.

XV. Quæres: An de potentia ſuâ abſolutâ poſſit Deus, hominem adultum, & rationis capacem, abſque motu liberi arbitrii, & propriâ diſpoſitione juſtificare?

Probabiliorem cenſeo partem affirmativam. Concurſus enim liberi arbitrii ad juſtificationem neceſſarius eſt ſolùm ex divina lege, & inſtitutione, attentâ ſuavi Providentiâ Dei volentis operari juxta naturam rerum; ergo ſi vellet ſuam abſolutam potentiam attendere; ſicut in naturalibus poteſt quamcumque formam introducere in materia, abſque ullis præviis diſpoſitionibus: ita poſſet gratiam infundere in anima adulti, nullis ex parte hominis ſuppoſitis diſpoſitionibus, vel motibus liberi arbitrii: eo modo, quo eam infundit pueris rationis uſu carentibus: eo modo, quo Salomoni dormienti infudit Sapientiam, & aliis quidquam aliud cogitantibus dona ſua infudit; ejus enim Spiritus partiri poteſt gratiam ſuam ſingulis, pro ut vult.

DUBIUM II.

An ad Juſtificationem requiratus Motus Fidei; & quænam debeat eſſe hæc Fides?

§. I.

Reſolutio Prioris Partis: Fidem requiri.

I. Convenit inter Catholicos, & hæreticos noſtri temporis, motum fidei requiri ad juſtificationem. Id enim apertè teſtatur Scriptura paſſim. Joann. 1. v. 12. *Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus*. Roman. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Hebr. 11. v. 6. *Sinè fide autem impoſſibile eſt, placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Hinc Concilium Tridentinum, *Seſs. 6. cap. 6.* ait: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud inprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus &c.*

II. Probatur verò ratione D. Tho. hâc *q. 113. a. 4.* Ad juſtificationem adulti requiritur motus aliquis liberi arbitrii, quo mens hominis avertatur à pec-

à peccato, & convertatur ad Deum: ſed primus acceſſus ad Deum fit per fidem, juxta illud ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt &c.* ergo ad juſtificationem adulti requiritur actus fidei.

III. Et Confirmatur. Cùm enim voluntas indigeat luce, & directione intellectus oſtendentis ei, & proponentis objectum; impoſſibile eſt, eam converti in Deum auctorem ſupernaturalem, quin præcedat actus intellectus ei illum proponens: ſed hic actus in præſenti viâ eſt actus fidei, ut patet; ergo actus fidei ad juſtificationem adulti requiritur.

IV. His confutatus manet error Manichæorum, qui teſte Auguſtino *lib. de Utilitate credendi* omnem fidei neceſſitatem abſtulerunt: exiſtimantes, nihil omnino eſſe credendum, ſed dumtaxat aſſentiendum his, quæ ratione naturali evidenter perſuaderi poſſunt. Unde idem Auguſt. l. 1. Retract. c. 14. *Scripſi* (inquit) *librum de utilitate credendi ad amicum meum, quem deceptum à Manichæis, adhuc eo errore noveram detineri, & irridere in Catholicâ fidei diſciplinâ, quòd juberentur homines credere; non autem quid eſſet verum, certiſſimâ ratione docerentur.*

§. II.

Errores Hæreticorum circa Fidem ad Juſtificationem neceſſariam.

V. Altera hæreſis extremè oppoſita eſt, ſolùm motum fidei ſufficere ad juſtificationem adulti. Hæreſis hæc exorta fuit temporibus Apoſtolorum, Simone Mago auctore, quem ſecuti alii fuerunt, ut refert S. Auguſtinus *l. de Fide, & operibus*, contra quos ſuas Epiſtolas canonicas Petrus, & Jacobus ſcripſerunt. Hanc Lutherus, Calvinus, eorumque ſequaces excitarunt. Dixerunt enim, ad remiſſionem peccatorum ſolam fidem ſufficere, quâ quis certò credat unicuique remitti peccata per Chriſtum: hac fide peccatorem, quaſi manu, apprehendere juſtitiam Chriſti, & facere ſuam per imputationem: ita ut eo ipſo, quo aliquis credat, ſibi remitti, aut remiſſa eſſe peccata, ei remittuntur, & hac ſolâ fide juſtificatur. Contra hunc errorem militabimus ſequenti Dubio.

VI. In aſſignando autem, quænam ſit iſta fides, quæ juſtificat, diſſident Lutherus, & Calvinus. Lutherus enim vult, fidem illam, quâ juſtificamur, non eſſe aliud, quàm firmam fiduciam, quâ peccator confidit, ob merita Chriſti, ſibi peccata non imputari: unde eam ponit in voluntate, & per illam ita ſolam juſtificari, ut opera bona penitus excludat. Calvinus verò fidem juſtificantem vult eſſe fidem, quâ quis certò credit, non quodcumque à Deo revelatum in generali; ſed hoc, nimirum, ſibi à Deo per Chriſtum remitti, ſeu remiſſa eſſe peccata: hac enim quaſi manu apprehendit juſtitiam Chriſti, eam facit ſuam, & hac veſtitus, apparet juſtus coram Deo.

Diſtinguit enim *lib. 3. Inſtit. c. 2.* triplicem fidem: unam hiſtoricam, quâ credimus vera eſſe ea, quæ in Sacris Scripturis continentur; quia tradita, & propoſita à Deo, qui verax eſt. Secunda, quam vocat fidem miraculorum, quam dicit, eſſe edendorum miraculorum facultatem: ſed veriùs eſt ipſa fides hiſtorica, quâ credit, nihil eſſe, quod à Deo fieri non poſſit. Et de hac loquuntur Chriſtus *Marci 11. v. 22. & 23.* dum ait: *Habete fidem Dei, Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: tollerè, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.* Et Paulus illis verbis 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam &c.* Tertia, quam vocat fidem promiſſionis, eſt, quâ credimus, veras eſſe Dei promiſſiones de gratuita remiſſione peccatorum, per Chriſti merita; cujus fit mentio Marci ultimo v. 16.

v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Addit autem: ad juſtificationem neceſſariam non eſſe ſolum fidem hiſtoricam, aut fidem miraculorum, ſed dumtaxat fidem promiſſionum; & hanc non ſolum generalem, quâ credimus, promiſſam eſſe peccatorum remiſſionem omnibus, qui in Chriſtum credunt: ſed particularem, & ſpecialem, quâ unuſquiſque ſibi divinam promiſſionem applicans credit, ſeu veriùs confidit, ſibi omnia ſua peccata dimiſſa eſſe per Chriſtum.

Hinc Calvinus citato loco §. 7. fidem juſtificantem ita definit: *Divinæ erga nos benevolentiæ firmam, certamque cognitionem, quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis veritate fundata per ſpiritum Sanctum, & revelatur mentibus noſtris, & cordibus obſignatur*. Quibus verbis, etiamſi velit, fidem eſſe firmam, certamque cognitionem; quia tamen vult, objectum hujus cognitionis eſſe divinam benevolentiam, videtur, per fidem juſtificantem non aliud intelligere, quàm fiduciam in divinis promiſſionibus; quæ utique fiducia non eſt actus intellectus, ſed voluntatis: & ſic aliis terminis cum Luthero convenire.

VII. Quia verò in præſenti difficultate duos poſſumus diſtinguere actus in intellectu: nempe, notitiam veritatis certam, & exploratam; & inſuper aſſenſum datum veritati propoſitæ: qui duo actus valdè inter ſe diſtinguuntur. Nam primus dicit in intellectu cognitionem, penetrationem, & intelligentiam veritatis enunciatæ: ſecundus verò dicit aſſenſum datum propoſitioni, ob auctoritatem dicentis, quo plerumque, abſque ullâ diſquiſitione, aſſenſum præſtamus rei aliàs ignoratæ. Calvinus citato loco invehit in doctores Catholicos, quaſi ipſi ſolum aſſenſum fidei, ſeu ſubmiſſionem revelatis exigant; quamvis palpabili ignorantiâ credendorum Fideles laborent. Fallitur, vel fallere vult malignus impoſtor. Nemo enim Catholicorum eſt, qui non ſentiat, teneri quemlibet adultum, explicitam notitiam habere principalium Myſteriorum fidei; ad quem finem Cathechiſmi etiam pro idiotis ſunt instituti. Dicimus tamen, non teneri omnes tantam, & exploratam ſingulorum habere cognitionem, quantam habet Theologus: & tandem, quòd non in apprehenſione, & cognitione conſiſtat fides juſtificans, ſed in aſſenſu revelatis, ob auctoritatem dicentis.

VIII. Tandem: cum fides tribus modis ad juſtificationem comparari poſſit. Primò, tanquam diſpoſitio prævia, quâ homo divinâ gratiâ illuſtratus ad juſtificationem ſe præparat. Secundò, tanquam aliquid conſequens juſtificationem, augendo, vel conſervando juſtitiam. Tertiò, tanquam cauſa formalis, ac ſi per fidem apprehendentem juſtitiam homo formaliter juſtificetur: hoc tertio modo fidem accipiunt hæretici. Dicunt enim, fidem ad noſtram juſtificationem requiri tanquam inſtrumentum juſtitiæ percipiendæ; non quòd annexas non habet alias virtutes, ſed quòd illa ſola ſit, quæ juſtificet: *Sicut* (inquit Calvinus in Antidoto) *calor Solis ſolus eſt, qui terram calefacit, nec tamen ſolus ipſe ineſt Soli, ſed cum ſplendore: ita fidem oportet non eſſe ſolam, ſed habere comites; licèt illæ non juſtificent, ſed ipſa ſola*. Hæc eſt Acatholicorum de juſtificatione doctrina. Contra quam

§. III.

Fides non eſt Fiducia.

IX. Dico primò. Fides ad juſtificationem conducens non eſt fiducia. Probo. Quia fides, quæ ad juſtificationem conducit, eſt actus intellectus: ſed fiducia non eſt actus intellectus, ſed voluntatis: ut enim docet D. Tho. 2. 2. q. 129. a. 6. fiducia pertinet ad ſpem, quæ eſt in voluntate, & naſcitur ex fide: *Et ideo nomen fidu. i. hoc principaliter ſignificare vi-*

re videtur, quòd aliquis ſpem concipiat ex hoc, quòd credit verbis alicujus auxilium promittentis.

Mai. probatur. Tùm ex Scriptura, quæ fidem ad juſtitiam, & ſalutem conducentem, explicat verbis pertinentibus ad intellectum: Joann. 6. v. 70. *Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus filius Dei*. Nemo autem meliùs fidem juſtificantem explicavit, quàm Paulus ad Hebræos. Cùm enim *cap.* 10. dixiſſet: *Juſtus autem meus ex fide vivit;* exorditur *caput* 11. quid ſit iſta fides, dicens: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium:* ſubſtantia, ideſt, fundamentum ſperandarum rerum; fiducia autem non eſt fundamentum ſpei, ſed ipſa ſpes fundata in fide, ut dicebamus cum D. Tho. Rurſus: dicit, eſſe argumentum non apparentium, ideſt, actum, quo cognoſcimus non apparentia: unde ſubdit, v. 3. *Fide intelligimus, aptata eſſe ſecula verbo Dei*. Tandem ibi *v.* 6. dicit: *Sinè fide impoſſibile eſt, placere Deo*. Quænam verò ſit fides iſta, explicat: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Quibus eum loqui de fide, quæ eſt actus intellectus, nemo non videt.

Item Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam:* ubi loquitur de fide, quâ juſtificatus eſt Abraham. Sed fides illa fuit actus intellectus: priuſquam enim Abraham haberet fiduciam, aut ſpem, quòd Deus adimpleturus eſſet promiſſiones, præbuit intellectu aſſenſum, quo credebat Deo promittenti: nec enim aliter poterat actu voluntatis confidere, niſi priùs actu intellectus Deo promittenti aſſentiretur.

X. Probatur etiam hoc diſcurſu. Fides, quæ juſtificat, eſt illa eadem, quam Chriſtus juſſit prædicandam, & quam Apoſtoli prædicaverunt; & quam Chriſtus, & Apoſtoli exigebant ad Baptiſmum, & ad ſalutem: ſed hæc erat fides intellectus: Chriſtus enim ſuâ prædicatione intendebat perſuadere homines, ut aſſenſum præberent his, quæ ipſe dicebat; & ad hoc Scripturas eis exhibeat, & miracula patrabat: perſuadere autem intellectum reſpicit, non voluntatem, aſſenſum exigit, non fiduciam. Hinc *Jo.* 8. *v.* 40. dicebat Phariſæis: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Veritas autem dicitur intellectui, cujus eſt obiectum, non voluntati. Inſuper Joan. 10. v. 25. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me:* teſtimonium autem adhibetur ad perſuadendum intellectum. Rurſus: Apoſtolis. Matth. 26. v. 15 *Euntes* (inquit) *in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* prædicatio autem ad intellectum dirigitur.

XI. Meritò igitur Tridentinum, *Seſſ.* 6. *Can.* 12. ait: *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis, propter Chriſtum; vel eam fiduciam ſolam eſſe, quâ juſtificamur: anathema ſit*. Quibus Concilium à diſpoſitionibus requiſitis ad juſtificationem non rejicit fiduciam; eam enim inter diſpoſitiones recenſet, eâdem *Seſſ. cap.* 6. & *Seſſ.* 14. *cap.* 4. ſed vult, eam fiduciam ſolam non eſſe fidem juſtificantem, ſed aliquid ex fide ſecutum.

XII. Afferunt hæretici varios Scripturæ textus, quibus juſtificatio, & remiſſio peccatorum videtur tribui fiduciæ in Chriſtum; & hanc eſſe fidem, quâ juſtificamur: ut illud ad Hebr. 10. v. 19. *Habentes itaque fiduciam.... in ſanguine Chriſti. .. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*. Illud ad Epheſ. 3. v. 12. *In quo* (Chriſto) *habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus*. Item illud *Matth.* 9. *v.* 2. ubi Chriſtus dixit paralitico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* & Hemoroiſſæ v. 22. *Confide, filia, fides tua te ſalvam fecit*.

XIII. Verùm hæc, & ſimilia non

evincunt, fidem juſtificantem eſſe formaliter fiduciam, ſed ſolùm, quòd ex fide, quâ certo credimus, generetur in nobis fiducia à Deo obtinendi quod petimus. Ut enim ſupra ex D. Thom. dicebamus, aliquis ſpem, & fiduciam concipit, *ex hoc, quòd credit verbis alicujus auxilium promittentis*.

His addo: quòd, ut *Tractatu præcedente Qu.* 3. *Dub.* 9. oſtenſum eſt, fides illa ſpecialis, ſeu fiducia divinarum promiſſionum, ut aſſeritur à Sectariis, conficta eſt: nullibi enim revelavit Deus particularibus hominibus, quòd eorum peccata ſint remiſſa. Proferent quidem teſtimonia Scripturæ, quibus continentur promiſſiones generales, factæ omnibus ad Deum rectè converſis; aut ſpeciales, quæ factæ fuerunt Magdalenæ pœnitenti, *Lucæ* 7. *v.* 48. & ut ſupra, Paralytico, & Hemoroiſſæ, *Matth.* 9. Verùm parem gratiam cuilibet peccatori, nimirùm, quòd ſit ritè converſus, & quòd ei ſint remiſſa peccata, ubi revelatum eſt? Numquid conſequens eſt, quòd ſi ſpeciali privilegio hoc Magdalenæ, & Paralytico &c. revelavit; parem gratiam cuique Lutherano, & Calviniſtæ conceſſam revelaverit? Fides ergo illa, ſeu fiducia à Lutheranis, & Calviniſtis conficta eſt: quia ſinè ullo fundamento in Scriptura, in qua ſolâ, ſecundùm ipſos, contineri debet, quod revelatum eſt.

§. IV.

An Fides Juſtificans ſit Notitia, an Aſſenſus?

XIV. Dico. Actus fidei prærequiſitus ad juſtificationem non eſt notitia, ſive perfecta, ſive imperfecta rerum propoſitarum per fidem: ſed eſt aſſenſus, quem præbet intellectus rebus propoſitis, & revelatis. Probo primò ex illo *Roman.* 4. *v.* 18. ubi de Abraham dicitur: *Qui contra ſpem in ſpem credidit*: quibus indicatur, eum obſcurè tantùm noviſſe, quod credebat: quòd, nempe, futurus eſſet pater multarum gentium, & ideo caruiſſe perfectâ notitiâ eorum, quæ credebat.

Secundò. Paulus *Epiſt.* 2. *ad Cor.* 10. *v.* 5. hortatur Corinthios, ut ſint *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*: ſi autem fides impetraret perfectam notitiam credendorum, non opus eſſet, redigere intellectum in captivitatem, ut quis credat rebus propoſitis. Vult ergo Paulus, ut credant Corinthii ea, quæ fides dictat, etſi ea non perfectè intelligant. Et ideo *Hebr.* 11. fidem vocat *argumentum non apparentium*. Quis enim unquam perfectam notitiam myſteriorum Trinitatis, Incarnationis &c. in hac via aſſecutus eſt?

XV. Quòd verò fides, nec requirat cognitionem imperfectam: probatur ex dicto Chriſti, Joann. 20. v. 29. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*: illi ſcilicet, qui non propter aliquas rationes, & argumenta, quibus aliqua veritas manifeſtatur, ſed ex obedientia promtâ voluntatis firmum, & indubitatum præbent aſſenſum rebus à Deo revelatis. Unde S. Auguſt. Tract. 4. in Joan. *Quid eſt* (inquit fides) *niſi credere, quod non vides*? Et Epiſt. 101. modò 169. ad Evodium c. 1. *Si propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certâ intelligentiâ poſſunt iſta diſcernere, penè fruſtra in Eccleſia laboramus*. Pergitque oſtendens, quòd *infirmi populi credentium* veniunt ad Chriſtum, & ubi multi in ſapientia magni irrident ſtultitiam prædicationis, quâ ſalvi fiunt credentes; multi in Cruce Chriſti gloriantes, *etiamſi iſta, quæ ſubtiliſſimè diſſeruntur, ignorent*, ad æternitatem perveniunt.

XVI. Probatur ergo hoc diſcurſu. Si fides eſſet myſteriorum intelligentia, jam quò major eſſet fides, eò major deberet eſſe intelligentia; hoc autem eſt falſum: cùm Chriſtus plurimorum fidem celebret, qui nullam Evangelii cognitionem adepti fuerant:

qualis fuit mulier Chananæa, cui Chriſtus dixit, Matth. 15. v. 28. *O mulier, magna eſt fides tua:* qualis etiam Centurio, de quo ait, Matth. 8. v. 10. *Non inveni tantam fidem in Iſrael.* Ubi è contra Phariſæorum, & legis Doctorum, qui intelligentiâ præditi erant, paſſim exprobrat incredulitatem.

XVII. Sequitur: actum proprium fidei eſſe rebus propoſitis aſſentiri. Ita enim docet Auguſt. *l. de Prædeſt. Sanctorum c. 2.* ubi poſtquam dixit, neceſſe eſſe, *ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur,* ſubjungit: *Quamquam & ipſum credere nihil aliud eſt, quàm cum aſſenſione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit, cùm ideo cogitent plerique, ne credant: ſed cogitat omnis, qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit.*

XVIII. Objiciunt primò Sectarii. Fideles parati eſſe debent ad reddendam rationem eorum, quæ credunt, juxta illud 1. Petri 3. v. 15. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe, & fide.*

XIX. Reſpondeo primò, verbum illud *& fide*, addi ab Adverſariis, cùm nec in Wulgata Verſione, nec in textu græco inveniatur. — Secundò, velle ibi Petrum, Fideles paratos eſſe reddere rationem poſcenti, non de dogmatum doctrina, quam credunt; ſed patientiâ, quâ tot mala tolerant propter Chriſtum: nimirum, quia ſperant, & (ſi velis) credunt, ſe cum Chriſto æternæ gloriæ hæredes efficiendos. — Vel tertiò, Petrum ibi non ad omnes Fideles loqui; ſed ad Paſtores, & Doctores, quibus incumbit, ut ait Paulus de Epiſcopis, ad Titum 1. v. 9. *Exhortari in Doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

XX. Objiciunt ſecundò. Quilibet Chriſtianus, ut ſalvetur, tenetur corde, & ore confiteri, Dominum Jeſum Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis, ut ait Paulus, *Rom.* 10. *v.* 9. & Chriſtus *Joann.* 17. *v.* 3. dicens: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.*

XXI. Reſpondeo, hæc, & ſimilia, ſolùm evincere, Chriſtianos omnes debere cognoſcere corde, & ore exteriùs confiteri, cùm oportet, Chriſtianam fidem eſſe veram; & habere notitiam præcipuorum myſteriorum, maximè veritatis, & Trinitatis Dei, Incarnationis &c. non tamen quòd omnes, ut credant, penetrare debeant talia myſteria. quod ſolis doctioribus reſervatur. Nec enim intelligere, aut cognoſcere ſupponit ſemper pro penetratione rei, maximè, quæ non videtur; ſed pro aſſenſu veritati propoſitæ: ſive hunc obtineat vis rationis, ſive proponentis auctoritas, quæ præcipuum locum tenet in fide.

§. V.

Quodnam ſit Fidei Juſtificantis Objectum.

XXII. Dico. Objectum Fidei juſtificantis, ſeu ad juſtificationem requiſitæ, non eſt ſola divina benevolentia, ſeu miſericordia, ſive hoc, quòd ſibi remiſſa ſint peccata; ſed quidquid à Deo revelatum eſt. Hæc aſſertio eſt contra Calvinum. Probatur autem primò. Nam fides, quam Chriſtus exigebat, & in cujus confirmationem miracula patrabat, erat certè fides viam parans ad juſtificationem: venerat enim peccatores ſalvos facere, *Lucæ* 19. *v.* 10. 1. *ad Tim.* 1. *v.* 15. *Jo.* 3. *v.* 16 & *Jo.* 10. *v.* 10. ubi Chriſtus dicit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant:* ſed fides, quam Chriſtus exigebat, quam laudabat, ad quam hortabatur, quamque ſignis comprobabat, erat fides non ſolius miſericordiæ: ſed modò omnipotentiæ Dei; unde *Matth.* 9. *v.* 28. duobus cæcis petentibus, ut lumen reciperent, ait: *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?* Et reſpondentibus illis: *Utique Domine*, ait: *Secundùm fidem veſtram fiat vobis:* modò erat fides

des Incarnationis, & Trinitatis; qualis fuit fides Petri adeo laudata à Chriſto, Matth. 16. v. 15. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; qualis fuit fides diſcipulorum, *Jo. 6. v. 70.* per Petrum dicentium: *Et nos credimus, & cognovimus, quia tu eſt Chriſtus filius Dei;* qualis fuit fides Marthæ, *Jo. 11. v. 27.* quæ Chriſto dicenti: *Omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?* Reſpondit: *Utique Domine ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.*

XXIII. Rurſus: fides poteſt eſſe juſtificans, quamvis non reſpiciat miſericordiam ſpecialem ſibi certò faciendam. Nam *Marci 1. v. 40.* Leproſus, etſi de miſericordia Dei ſpeciali ſibi facienda ambigeret; quia tamen habebat fidem divinæ omnipotentiæ, qualem Chriſtus exigebat, mundatus eſt. Quòd autem dubitaret de miſericordia ſibi ſpeciali, conſtat, quia dicebat: *Domine ſi vis.* Quòd verò certus eſſet de potentia, conſtat ex his: *Potes me mundare* Unde Chriſtus ei reſpondit ſtatim: *Volo mundare* — Ab oppoſito datur fides miſericordiam Dei reſpiciens, quæ tamen non eſt juſtificans. Nam, *Lucæ*, Phariſæus confidebat, ſe eſſe juſtum, & habebat fidem ſpecialis benevolentiæ Dei, cui gratias agebat; & tamen juſtificatus non eſt: Publicanus autem, etſi tali fiduciâ careret, & cum timore ad Deum accederet, juſtificatus receſſit.

XXIV. Rationes autem in promtu ſunt. Prima. Non poteſt eſſe fides certa, & infallibilis, niſi verbo Dei nitatur: at in verbo Dei nunquam legitur annuntiata remiſſio peccatorum mihi, aut illi in particulari, exceptis quibuſdam paucis; ergo non poſſunt reliqui homines, niſi temerè, credere, ſibi remiſſa peccata, aliàs etiam eſſent certi de ſua juſtificatione: quod ſupra loco citato reprobavimus.

XXV. Scio, hæreticos reſpondere, ſpecialem promiſſionem contineri in illa generali ſententiâ, *Joan. 3. v. 15.* 16. 36. ubi dicitur: *Qui credit in Filium, non perit, ſed habet vitam æternam* — Sed contra primò. Scriptura dicit: *Qui credit in Filium*, ideſt, in Jeſum Chriſtum, non perit: ſed non dicit, qui credit, ſibi remiſſa eſſe peccata. Quòd ſi dicant, idem eſſe credere in Chriſtum, ac credere, ſibi remiſſa eſſe peccata. Contra. Nam hoc ipſi dicunt, ſed hoc non dicit Chriſtus; qui potiùs dicit: credere in Filium eſſe credere Incarnationem, ſeu credere, quòd Pater miſerit illum. Unde S. Joan. *Ep. 1. c. 5. v. 1.* explicans, quid ſit credere in Filium, dicit: *Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus* (non dicit, quoniam per Jeſum ſibi remiſſa ſunt peccata) *ex Deo natus eſt*, ideſt, juſtificatus eſt. — Addo: quòd hæc propoſitio: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, facit ſenſum conditionatum, ideſt, *ſi credit*, habet juſtificationem, & vitam æternam; ergo concluſio abſoluta, quam ipſi inferunt: *Ego credo in Filium*, non eſt ex Verbo Dei, ſed ab ipſis malè illata. Quia ex antecedente conditionato: *Si credit, juſtificatur*, malè infertur; *ergo credit*.

XXVI. Altera ratio eſt. Fides juſtificans debet præcedere juſtificationem; eſt enim, juxta ipſos, quaſi manus apprehendens juſtitiam Chriſti, & faciens noſtram: at fides de eo, quod ſibi remiſſa ſint peccata, ſupponit juſtificationem; quomodo enim vera fides eſt, quâ credo, mihi eſſe remiſſa peccata, ſi nondum mihi ſunt remiſſa? Ergo hæc non eſt fides apprehendens juſtitiam, ſicut manus non apprehendit pecuniam ab altero, quam jam habeo in crumena.

XXVII. Tertia ratio eſt. Fides ſpecialis de eo, quòd mihi remiſſa ſint peccata, tollit è medio orationes, opera bona, & alia media, quæ Deus inſtituit ad ſalutem noſtram. Quomodo enim poſſum cum Publicano dicere: *Deus propitius eſto mihi peccatori*; aut cum Eccleſia: *Dimitte nobis debita noſtra*, ſi credo, & credere teneor

 mihi

mihi Deum remiſiſſe peccata? Certè hoc eſſet hæſitare in fide, & Deum quaſi mendacii, & infidelitatis arguere.

DUBIUM III.

An Fides ſola ſufficiat ad Juſtificationem?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. STatuto qualis debeat eſſe fides requiſita ad Juſtificationem, nunc videndum eſt: an ſola ipſa ſit cauſa, ſeu inſtrumentum, quo juſtificamur. Hæretici omnes, de quibus ſupra, communiter dicunt, ſolâ fide juſtificationem acquiri: ſicut enim pauper manu apprehendit eleemoſynam; ita peccator fide apprehendit juſtitiam Chriſti, quâ indutus coram Deo juſtus apparet: cæteros autem actus, quos facit, ſolùm concomitanter ſe habere ad juſtificationem, non formaliter, & per ſe. Catholici verò omnes, præter fidem, alios actus enumerant, quibus peccator ad juſtificationem perducitur: nempe, timorem, ſpem, dilectionem, pœnitentiam, propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum, novæ vitæ inchoandæ, & obſervantiæ mandatorum Dei. Cum his

II. Dico. Fides eſt quidem initium, radix, & fundamentum juſtificationis; non tamen ſola homines ad juſtitiam perducit: ſed alii actus non purè concomitanter, ſed formaliter, & per ſe requiruntur. Ita docet Conc. Trident. *Seſſ. 6. c. 6.* ubi docens modum, quo præparari debemus ad juſtificationem, ponit quidem fidem, tanquam initium, ſed plures alios actus enumerat, de quibus infra. Et *Canon. 9.* ait: *Si quis dixerit, ſolâ fide impium juſtificari; itaut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur; & nullâ ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi: anathema ſit.*

III. Probo primò. Nam Scriptura non ſoli fidei tribuit juſtificationem à peccatis, ſed aliis actibus; ergo &c. Ant. prob. Afferendo eoſdem textus, quos ad hunc finem adducit Tridentinum, citatâ *Seſſ. 6. c. 6.* dicens: *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt* Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit* (ecce fidem) Et Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua* (ecce ſpem, & fiduciam) *&* Eccleſiaſtici 1. *Timor Domini expellit peccatum* (ecce timorem) Et Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti* (ecce pœnitentiam) Et Matth. ultimo: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis* (ecce Baptiſmi, & obſervantiæ mandatorum propoſitum) *denique præparate corda veſtra Domino.*

IV. Secundò. S. Jacobus ſuâ *Epiſt. c. 2.* expreſsè negat, ſolam fidem ad juſtificandum ſufficere: *Quid proderit* (inquit v. 14.) *fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?* & ſubdit v. 24. *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm?* Poſuerat autem exemplum in Abraham, cujus fides reputata fuit ad juſtitiam: quia fidei conjungebat voluntatem operis, nempe, ſacrificandi Iſaac filium ſuum ſuper Altare: unde ait, v. 22. *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt?* Tandem concludit v. 26. *Sicut enim corpus ſinè ſpiritu mortuum eſt: ita & fides ſinè operibus mortua eſt.* Adeo premit Adverſarios hoc teſtimonium, ut maximè Lutherus coactus ſit dicere, Epiſtolam illam non eſſe Canonicam. Sed judicium de libris Canonicis ad ipſos

Digitized by Google

ipſos non pertinet, ſed ad Eccleſiam, quæ in Concilio Trident. *Seſſ.* 4. illam inter libros Canonicos recenſuit. Hoc recolant Adverſarii, illam Epiſtolam fuiſſe ſcriptam contra Simonem Magum, alioſque hæreticos, qui temporibus Apoſtolorum dicebant, fidem ſolam ſinè operibus juſtificare.

V. Nihilominus, ne inopes videamur, præſtat audire S. Joannem, qui Epiſt. 1. cap. 3. v. 14. *Nos* (inquit) *ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Quibus conſonat Paulus *ad Galat.* 5. *v.* 6. dicens: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* Fides autem, quæ per dilectionem operatur, non eſt ſola, ſed fides caritati conjuncta; ergo fides, quæ valet ad juſtificandum coram Deo, non eſt fides ſola, ſed fides conjuncta cum actibus voluntatis.

VI. Probat congruâ ratione Divus Thomas hâc *q.* 113. *a.* 5. ubi quærens: an ad juſtificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccatum; affirmativè reſpondet hac ratione. Juſtificatio fit ad modum cujuſdam motus, in quo homo recedit à peccato, & accedit ad juſtitiam; ergo, ſicut peccando, voluntariè à juſtitia ad peccatum acceſſit: ita ut à peccato ad juſtitiam iterum ſe convertat, oportet, ut in eo ſit voluntarius receſſus à peccato, & acceſſus ad juſtitiam: ſed *receſſus, & acceſſus in motu liberi arbitrii accipitur ſecundùm deteſtationem, & deſiderium .... oportet igitur, quòd in juſtificatione impii ſit motus liberi arbitrii duplex: unus, quo per deſiderium tendat in Dei juſtitiam; & alius, quo deteſtetur peccatum.* Hæc S. Tho.

§. II.

Acatholicorum Fundamenta.

VII. OBjiciunt primò varios Sacræ Scripturæ textus, quibus juſtificatio videtur tribui fidei. Actorum 13. v. 39. *In hoc omnis, qui credit juſtificatur.* Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim, juſtificari hominem per fidem ſinè operibus legis.* Cap. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Cap. 5. v. 1. *Juſtificati ergo ex fide.* Galat. 3. v. 8. *Ex fide juſtificat gentes Deus.* Et alia ſimilia, quibus inflatus Lutherus, teſte Roffenſi *art.* 36. ait: *Figmenta ſunt omnia, quæ de præparatione liberi arbitrii ad gratiam tot libris tractata ſunt.*

VIII. Reſpondetur tamen ad hæc cum Tridentino *Seſſ.* 6. *c.* 8. Quòd *cum Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem .... ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit: ut ſcilicet, per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis; ſinè quâ impoſſibile eſt, placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.* Quam expoſitionem olim tradiderat S. Auguſt. *l. de Prædeſt. SS. c.* 7. dicens: *Ex fide autem ideo dicit* [Paulus] *juſtificari hominem, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus juſtè vivitur.* Unde inferiùs fidem vocat ædificii ſpiritualis *fundamentum.*

IX. Reſpondꝛri ſecundò poteſt, S. Paulum non loqui de ſola fide, ſed de fide operante per caritatem; quæ certè cùm includat etiam gratiam, ſupponit hominem juſtificatum: non verò de fide à caritate ſejuncta, cum idem Apoſtolus 1. *Cor.* 13. *v.* 2. dicat: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum.*

X. Di-

X. Dices. Scriptura dicit, nos juſtificari gratis, & ſinè operibus, Roman. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Ad Epheſ. 2. v. 8. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem... Non ex operibus &c.* atqui ſi noſtris actibus poneremus diſpoſitiones ad juſtificationem, jam non juſtificaremur gratis, ſed ex operibus; ergo &c.

XI. Reſpondit jam Concilium Trident. *Seſſ. 6. c.* 8. his verbis: *Gratis autem juſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur: ſi enim gratia eſt, jam non ex operibus, alioquin, ut idem Apoſtolus inquit, gratia jam non eſt gratia.* Quòd enim poſitis actibus diſponentibus ad gratiam, Deus det gratiam, non eſt ex debito juſtitiæ; ſed eſt novum beneficium fundatum in promiſſione divina, quâ dixit, Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me.... & convertar ad vos.* Et Ezech. 18. v. 22. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam.... omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor &c.*

XII. Reſponderi poteſt ſecundò, Paulum excludere ibi opera facta ex lege, qualia erant cæremonialia veteris legis; unde dicit ibi *ſinè operibus legis*: non autem actus, quos homo Spiritu Sancto movente cor per fidem, ſpem, timorem, deteſtatur peccata ſua: his enim eſtò non mereatur gratiam, ad eam ſe præparat, & diſponit. Sicut enim juſtificatio, etſi ſit ex fide, eſt gratuita; quia & ipſa fides gratis datur, ſicut juſtitiæ quædam inchoatio: unde Apoſtolus, ad Epheſ. 2. verſ. 8. *Gratia enim* (inquit) *eſtis ſalvati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur*: ita etſi fiat ex aliis actibus fidem ſubſequentibus, adhuc erit gratuita, quia Dei dona ſunt, ſicut & ipſa gratia.

XIII. Objiciunt ſecundò. Opera facta ab homine ante juſtificationem ſunt facta ab homine adhuc peccatore, adhuc ſervo peccati, fructus arboris malæ, & conſequenter ſunt opera mala, & peccata: *Arbor enim mala non poteſt fructus bonos facere*; ut dicitur *Matth. 7. v.* 18.

XIV. Reſpondeo, neg. antec. Eſtò enim homo ante juſtificationem ſit adhuc in ſtatu peccati; dum tamen ex motione Spiritus Sancti concipit actus fidei, ſpei, & timoris, jam non agit ut peccator, aut ex affectu ad peccatum: ſed potius ex affectu, ſaltem inchoato, & imperfecto ad juſtitiam. Unde Tridentinum Seſſ. 6. Can. 7. *Si quis* (inquit) *dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quâcumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare: anathema ſit.* Licèt enim in eo fides non ſit adhuc perfectè viva, quia nondum caritate formata: non tamen eſt prorſus informis, mortua, & otioſa, ſed operoſa; utpote movens ad opera timoris ſalutaris, & excitans ſpei, pœnitentiæ, & dilectionis actus, quibus viam ad juſtitiam parat. Unde fides illa videtur, dici poſſe viva, vitâ tamen quâdam inchoatâ, & imperfectâ; ſecundùm quam ſpiritualiter vivere dici poteſt, qui ex motione Spiritus Sancti ad pœnitentiam, & novæ vitæ propoſitum excitatur, ac evigilat. Quapropter *articulus* 64. Baii, qui dicebat: *Illa diſtinctio duplicis vivificationis; alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propoſitum, & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur: alterius, quâ vivificatur, qui verè juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſti efficitur, commentitia judicatur, & Scripturis minimè congruens*: à S. Pio V. & Gregorio XIII. condemnatus fuit. Hinc peccator eſt arbor mala: ſed dum per fidem excitantur in eo motus ſpei, timoris, dilectio-

nis

nis Dei fontis juſtitiæ, non operatur ex radice malâ; ſed ex ſemine bono, quod jacit in cor ejus motio Sancti Spiritus, per quam poteſt actus aliquomodo vivos, & ſalutares, etſi non meritorios, elicere.

DUBIUM IV.

De Cæteris Diſpoſitionibus ad Juſtificationem.

§. I.

De Timore.

I. Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. c. 6.* ubi docet modum præparationis ad juſtificationem, poſt fidem ponit timorem, dicens: *Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divina juſtitia timore, quo utiliter concutiuntur &c.* Quibus Concilium duo de timore divinæ juſtitiæ ſtatuit: unum, quòd intelligamus, nos eſſe peccatores: alterum, quo divinæ juſtitiæ timore utiliter concutiamur. Primum nullam difficultatem habet: ſoli namque peccatores, dum ſe tales eſſe cognoſcunt, debent Dei juſtitiam vindicem pertimeſcere. Alterum Lutherus, ut conſtat ex Bulla Leonis X. negavit, aſſerens timorem, quo quis Deum vindicem timet, eſſe peccatum, & peccatores pejores facere. Contra quem Trident. *Seſs. 6. Canon* 8. ſtatuit dicens: *Si quis dixerit, gehenna metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere: anathema ſit.* De hoc fusè agemus in Tract. de Pœnitentia. Nunc breviter

II. Dico. Timor Dei vindicis, quo peccator, omni voluntate peccandi depoſitâ, ad divinam miſericordiam confugit, ſalutaris eſt. Eum enim Viri Sancti peccatoribus, ut à peccatis abſtinerent, propoſuerunt. Ut Moyſes, *Deuteron.* 30. *v.* 17. qui filios Iſraël ad pœnitentiam provocat, aperiendo eis varias plagas, quibus Deus criminum vindex eorum peccata ulciſci debebat, ni reſipiſcerent. Sic *Nathan*, 2. *Reg.* 12. comminatione ingentium calamitatum Davidem hortatur ad pœnitentiam. Sic S. Joann. Baptiſta Saducæos, & Phariſæos venientes ad Baptiſmum ſuum compellebat, Lucæ 3. v. 7. &c. *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis, fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ .... Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sic tandem Chriſtus ipſe, Lucæ 12. v. 5. *Oſtendam* (inquit) *vobis, quem timeatis: timete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Et cap. 13. v. 3. & 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

III. Eamdem veritatem docuerunt quovis tempore Patres referendi in Tract. de Pœnit. Advertendum tamen eſt: timorem pœnæ eſſe poſſe merè ſervilem, & ſerviliter operantem; quatenus facit cavere peccatum, ob metum pœnæ, quæ ſi non eſſet, peccatum non caveretur. Poſſe inſuper eſſe ſervilem, ſed non ſerviliter operantem: quia etſi metu pœnæ excitetur, depoſitâ tamen omni voluntate peccandi, facit peccatorem confugere ad miſericordiam Dei, ut ipſum ad juſtitiam perducat, quâ reconcilietur cum ipſo. Primus timor, qualis eſt timor latronis, qui ceſſat à furto timore ſuſpendii, paratus tamen furari, ſi non eſſet pœna ſuſpendii, laudabilis non eſt; & rejicitur ab Auguſtino lib. de Spiritu, & litt. c. 32. *Cùm aliud habeat in voluntate, quâ mallet, ſi fieri poſſet, licere quod non licet.* Secundus verò utilis eſt, ac laudabilis; utpote deponere faciens omnem voluntatem peccandi, & ſenſim ad juſtitiam manuducens. Eumque Auguſtinus non rejicit citato loco, *cap.* 29. dicens: *Sub quo timore anima laborans, quando concupiſcentiam malam non vicerit*

verit, nec timor ille quaſi cuſtos ſeverus abſceſſerit, per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet: atque inſpiratâ gratiâ ſuavitate per Spiritum Sanctum, faciat plus delectare, quod præcipit, quàm delectat, quod impedit. Hunc ergo timorem inter diſpoſitiones ad juſtificationem recenſet, *Seſſ. 6. c. 6.* Tridentinum, dum ait: *A' divinæ juſtitiæ timore, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur.* Et *Seſſ. 14. cap. 4.* eum pronunciat bonum, ac laudabilem: *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ:* declaratque, *eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat.*

§. II.

De Spe Veniæ, & inchoatâ Dei Dilectione.

IV. POEnitens ergò timore concuſſus ad divinam miſericordiam conſiderandam ſe convertens, in ſpem erigitur, ait Trident. *Seſſ. 6. cap. 6.* ſæpe citato. Quibus excitatur quæſitum: an inter diſpoſitiones ad juſtificationem ſit recenſenda *ſpes veniæ.*

V. Dico. Spes veniæ inter diſpoſitiones ad juſtificationem recenſenda eſt. Hanc indicat Tridentinum citatum, his verbis, fidentes, *Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Et meritò: nam Peccator non aliunde ſperare, & confidere debet ſuam cum Deo reconciliationem, niſi per Chriſtum. Etenim *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris* (1. Joan. 2. v. 1. & 2.) Hoc idem probant omnia teſtimonia, quæ pro ſua fiduciâ adſtruendâ adducunt Sectarii: quamvis illi eiſdem abutantur, ponentes, fiduciam eſſe cauſam immediatè apprehendentem juſtitiam; nos autem ponamus eam, tanquam diſpoſitionem adhuc remotam. Idem confirmat illud Pſalmi 35. v. 40. *Eruet eos à peccatoribus, & ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo.* Illud Pauli Rom. 8. v. 24. *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Unde Chriſtus ſæpè ad ſpem, & fiduciam peccatores hortabatur. Quamvis autem objectum ſpei alia multa comprehendat: tamen in negotio juſtificationis ſolùm reſpicit ſpes veniam peccatorum, & gratiam reconciliationis per merita Chriſti obtinendam.

VI. Si quæras: An ſpes veniæ ſit ſimpliciter neceſſaria ad juſtificationem?

Reſpondeo affirmativè. Quamvis enim fortè poſſit aliquis, ad juſtitiam ſe diſponere ſinè timore pœnæ, cum ſolo timore filiali, & perfecto; ut in Magdalena contigit, & aliis, qui fervore caritatis juſtitiam adepti ſunt: ſinè ſpe tamen veniæ obtinendæ per Chriſtum, & fiduciâ in ipſum, nemini juſtitia conceditur: quia *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, ut dictum eſt. *Et* (ut ait Petrus Act. 4. v. 12.) *non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat, nos ſalvos fieri.* Quare ſicut nemo habere poteſt juſtitiam ſinè fide in Chriſtum: ita nec ſinè ſpe eamdem à Deo obtinendi per Chriſtum. Ad quod reſpiciens Tridentinum, eodem modo neceſſariam ad juſtificationem ſtatuit ſpem, ac fidem, & caritatem, *Seſſ. 6. Can. 3.* & *Seſſ. 14. c. 4.* contritionem, quam quovis tempore dicit, fuiſſe neceſſariam ad impetrandam veniam peccatorum, docet, includere fiduciam divinæ miſericordiæ, quæ fiducia, ex dictis, eſt actus ſpei.

§. III.

De Dilectione Dei.

VII. POſt ſpem Conc. Trident. *Seſſ. 6. c. 6.* ponit dilectionem Dei, dicens: *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Cumque

que dilectio Dei ſit duplex: alia amicitiæ, ſeu benevolentiæ, quâ diligitur Deus, quia in ſe bonus: alia concupiſcentiæ, quâ diligitur, quia bonus nobis; quæritur, quænam dilectio ſit diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem.

VIII. Dico. Si loquamur de juſtificatione obtinendâ extra Sacramentum, requiritur dilectio Dei amicitiæ, ſeu benevolentiæ: ſi verò loquamur de juſtificatione obtinendâ per Sacramentum ſive Baptiſmi, ſive Pœnitentiæ, probabilius eſt, ſufficere dilectionem Dei, quæ ſit concupiſcentiæ. Prima pars probatur. Nam contritionem, quæ hominem Deo reconciliat extra Sacramentum, Trident. *Seſs. 14. c. 4.* vocat *contritionem caritate perfectam:* hæc autem amorem amicitiæ erga Deum, quia in ſe bonum, includit. Tùm etiam: quia contritio, & amor Dei requiritur ad reconciliationem extra Sacramentum, quæ ad eam quovis tempore fuit neceſſaria, etiam quando Sacramenta gratiam non conferebant: ſed contritio, quæ omni tempore fuit neceſſaria, eſt contritio caritate perfecta includens amorem amicitiæ: hac enim, & non aliâ viâ in lege veteri, quando Sacramenta conferendæ gratiæ nullam vim habebant, poterant homines juſtificari; ergo hac ſolâ juſtificari poſſunt etiam nunc, qui extra Sacramentum actu ſuſceptum juſtificantur.

IX. Secunda verò pars probanda relinquitur in Tractatu de Pœnitentia: ubi oſtendetur, probabilius eſſe, ad obtinendam juſtificationem per Sacramentum Baptiſmi, aut Pœnitentiæ, ſufficere contritionem imperfectam, ſeu attritionem; quæ non includit amorem caritatis, & amicitiæ, ſed ſolùm amorem concupiſcentiæ. Unde quia Concilium laudatâ *Seſs. 6. c. 6.* loquitur de diſpoſitionibus ad obtinendam gratiam juſtificationis per Baptiſmum, conſultò dicit, Deum, *tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt*, ideſt, Deum ut fontem, ex quo omnis juſtitia in nos emanat: quod eſt diligere Deum, ut bonum nobis, nondum verò ut bonum in ſe. Sed de hoc plura, ſi Deus dederit, loco citato.

§. IV.

De Odio, ac Deteſtatione Peccati.

X. Poſtquam peccatores ad juſtitiam ſe diſponentes cœperunt diligere Deum omnis juſtitiæ fontem; pergit Concilium, citatâ *Seſs. 6. c. 6.* dicens: *Ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, ac deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* Et hoc aſſerit contra Lutherum aſſerentem, pœnitentiam nihil aliud eſſe, quàm novam vitam. Contra quem etiam, *Seſs. 14. c. 4.* ait: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud* (Ezech. 18.) Proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum. *Et certè qui illos Sanctorum clamores conſideraverit* (Pſal. 50.) Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci (Pſal. 6.) Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ: *Et alios hujuſmodi generis, facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe.* Hæc Tridentinum.

XI. Loquitur autem de pœnitentia, quæ neceſſariò præcedere debeat juſtificationem, ordinariè loquendo; non verò de illa, quæ in caſu extraordinario contingeret: ut ſi quis rapiatur ad martyrium, & memoriæ ipſi non occurrunt peccata; tunc ſolâ expreſsâ dilectione Dei cum ſola virtuali contritione, & pœnitentiâ juſtificabitur: cùm Deus diligentes ſe diligat, imò nullus verâ caritate diligere Deum poſſit, niſi priùs diligatur à Deo.

§. V.

De Propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum, vel Pœnitentiæ Sacramentum, Vitæ Emendandæ, & Obſervantiæ Præceptorum.

XII. Concludit Tridentinum, dictâ *Seſs. 6. c. 6.* ſic: *Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata*. Hoc certum eſſe dico. Requiri enim, ut Infidelis diſponatur ad juſtificationem, propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, conſtat ex dicto Petri, *Act. 2. v. 48.* ubi prædicatione ejus multi compuncti corde cum dicerent Apoſtolis: *Quid faciemus, viri fratres?* Reſpondit Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum. Et accipietis donum Spiritus Sancti.*

XIII. Requiri etiam in baptizato propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, docet Trident. *Seſs. 14. c. 4.* dicens, quòd etſi contritio caritate perfecta hominem Deo reconciliet, priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur: *Ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Et meritò: id enim eſt reſpectu peccatoris baptizati Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt reſpectu baptizati Sacramentum Baptiſmi: ſed in Infidelibus neceſſarium eſt propoſitum Baptiſmi, ut juſtificentur; ergo &c.

XIV. Requiri quoque propoſitum vitæ emendandæ, & præcepta Dei obſervandi, colligitur ex illo Ezechiel. 18. v. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam: vitâ vivet, & non morietur.* Quæ verba ſignificant propoſitum efficax emendandæ vitæ, & ſervandi præcepta, ad juſtitiam tùm acquirendam, tùm ſervandam. Hoc autem propoſitum non debet ſemper eſſe expreſſum; ſed aliquando ſufficit, ut ſit virtuale, & implicitum: ut dum quis actu amoris Dei ſuper omnia formaliter, & proximè ad juſtificationem diſponitur: in eo enim actu virtualiter continetur propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum, emendandi vitam, & præcepta Dei ſervandi, ut ſuo loco diximus.

§. VI.

De Ultima Diſpoſitione ad Juſtificationem, à quo Principio ſit.

XV. Magno ſtudio, & contentione volunt hîc aliqui, etiam ex noſtris, ultimam diſpoſitionem ad gratiam, quæ in eodem inſtanti eſt ſimul cum gratia, præcedere quidem gratiam in genere cauſæ materialis; ſed procedere à gratia habituali, eamque ſequi in genere cauſæ efficientis. Verùm quia hæc opinio non paucis ſcatet difficultatibus, quibus implicari, cenſeo non expedire: ideo cum aliis

XVI. Dico. Probabilius videri, ultimam diſpoſitionem ad gratiam juſtificantem non eſſe efficienter ab ipſa gratiâ, ſed ab auxilio ſupernaturali. Huic favere videtur Concilium Tridet. *Seſs. 6.* ubi cùm *c. 5. & 6.* omnes diſpoſitiones ad juſtificationis gratiam requiſitas recenſuiſſet; ſic inchoat caput 7. *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem, juſtificatio ipſa conſequitur.* Igitur ſignificat, infuſionem habitualis gratiæ eſſe poſteriorem reali exiſtentiâ omnium diſpoſitionum. Favere videtur etiam S. Thomas: tùm 1. *p. q.* 62. *a.* 2. *ad* 3. ubi quærens, an Angelus indiguerit gratiâ, ut converteretur in Deum; triplicem diſtinguit converſionem in Deum. Una eſt *per dilectionem perfectam, quæ eſt creaturæ jam Deo fruentis: & ad hanc converſionem requiritur gratia conſummata. Alia converſio eſt, quæ eſt meritum beatitudinis: & ad hanc requiritur habitualis*

Digitized by Google

lis gratia, quæ eſt merendi principium. Tertia converſio eſt, per quam aliquis præparat ſe ad gratiam habendam: & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, ſed operatio Dei ad ſe animam convertentis, juxta illud Thren. ultimo: Converte nos Domine ad te, & convertemur. Loqui autem de præparatione ultima, patet: quia loquebatur de Angelis, in quibus, utpote juſtificatis in inſtanti creationis, nulla præparatio tempore præceſſit gratiam. Sentit ergo, ultimam diſpoſitionem ad gratiam habitualem eſſe à Deo movente, non ab ipſa gratiâ. Quod expreſſit etiam 1. 2. *q.* 109. *a.* 6. & *q.* 112. *a.* 2. ubi docet, ad gratiam habitualem requiri præparationem, non ſimiliter ad gratiam actualem: ſi autem quod procedit efficienter à gratia, poſſet eſſe diſpoſitio ad illam; potuiſſet æquè dicere, actum contritionis, etſi efficienter à gratia actuali procedentem, adhuc eſſe diſpoſitionem ad illam.

XVII. Sed clariùs id oſtendit Q. 28. *de Verit. a.* 8. ubi cùm tale propoſuiſſet argumentum: *Contritio eſt actus meritorius: ſed actus meritorius non eſt niſi à gratia; ergo gratia eſt cauſa contritionis: ſed cauſa naturaliter præcedit effectum; ergo gratiæ infuſio naturaliter præcedit contritionem.* Cui non reſpondet, gratiam eſſe cauſam efficientem contritionis, ſeu hanc efficienter procedere à gratia habituali, ſed: *Ad primum, quod in contrarium objicitur, dicendum, quòd contritio eſt à gratia, ſicut ab informante; & ita ſequitur, quòd in ratione cauſæ formalis gratia ſit prior:* nimirum, quòd contritio, ut meritoria, ſit contritio formata gratiâ.

XVIII. Ex hoc conficitur prima ratio. Si enim contritio, quæ eſt ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, procederet ab ea, ut principio efficiente; ſequeretur, quòd eſſet meritoria de condigno remiſſionis peccatorum: procederet enim ab habitu gratiæ, & caritatis in homine viatore, & eſſet naturâ prior, quàm peccatorum remiſſio; ergo nihil ei deeſſet ad meritum de condigno.

XIX. Et confirmo. Quia habitus gratiæ vel exiſtit in anima hominis pro illo priori, quo actus contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia elicitur; vel non exiſtit, ſed poſtea infunditur: ſi primum; ergo homo eſt, vel ſaltem concipitur formaliter juſtus, ac juſtificatus, priuſquàm eliciat tales actus contritionis, & caritatis; quia habet, vel concipitur habere in ſe cauſam formalem ſuæ juſtificationis: & ſic tales actus non ſunt diſpoſitiones, ſed effectus juſtificationis. Si verò ſecundum; ergo præfati actus non ſunt efficienter à gratia juſtificante: cùm cauſa efficiens non poſſit cauſare, aut concipi cauſans, pro eo priori, quo vel non exiſtit, vel non concipitur exiſtens: exiſtentia enim eſt conditio indiſpenſabilis ad efficienter cauſandum.

XX. Nec dicas, hinc ſequi, hominem adultum priùs diligere Deum perfectâ dilectione, quàm Deus ipſum diligat, contra illud 1. Joann. 4. v. 10. *In hoc eſt caritas, non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.*

XXI. Nam reſpondetur, neg. ſequelam. Nam actus ille dilectionis Dei ultimò diſpoſitivus ad gratiam juſtificantem, eſtò procedens à gratia actuali, & ſupernaturali, non eſt tamen perfectus in genere ſupernaturali: quia elicitur à perſona, quæ in illo ſigno nondum cenſetur grata, nec habens habitum caritatis, qui eſt terminus completus dilectionis divinæ, & ponens hominem in ſtatu ſupernaturali ſimpliciter.

XXII. Collige ex dictis, ultimam diſpoſitionem ad gratiam non cauſare efficienter gratiam: hanc enim ſolus Deus, ſicut & virtutem infuſam, in nobis, operatur ſinè nobis efficientibus, eſtò non ſinè nobis conſentientibus; ſicut nec ultima diſpoſitio in naturalibus eſt cauſa efficiens formæ, ad quam diſponit, ut docet D. Th. Q. 28. *de Verit. a.* 8. *ad* 5. Et multò magis in ſupernaturalibus, ubi poſitâ

Digitized by Google

ultimâ diſpoſitione, adhuc pendet à voluntate Dei gratiam juſtificantem infundere; & eſt novum beneficium prorſus diſtinctum à beneficio diſpoſitionis, quam etiam gratuitò dedit.

§. VII.

An Juſtificatio ſit maximum Opus Dei; & an Miraculoſum?

XXIII. Reſpondeo ad primum quæſitum cum D. Tho. *q.* 113. *a.* 9. quòd aliquod opus dicitur maximum, vel ex parte modi, quo fit; vel ex parte magnitudinis ejus, quod fit. Primo modo *maximum opus eſt opus creationis, in quo ex nihilo fit aliquid.* Secundo modo *majus opus eſt juſtificatio impij, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quàm creatio Cœli, & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Et ideo Auguſtinus* (tract. 72. in Joan.) *cum dixiſſet, quòd* majus eſt, quòd ex impio fiat juſtus, quàm creare Cœlum, & terram, *ſubjungit*: Cœlum enim, & terra tranſibit; Prædeſtinatorum autem ſalus, & juſtificatio permanebit.

XXIV. Notandum inſuper eſt: quòd magnitudo operis conſiderari poteſt, vel ex abſoluta quantitate rei, quæ fit; & hoc modo glorificatio juſtorum majus opus eſt, quàm juſtificatio impii: vel ſpectatâ proportione ad eum, cui, vel in quo illud opus fit; & ſic juſtificatio impii majus Dei opus eſt, quàm glorificatio juſtorum: *Quia plus excedit dignitatem impii, qui erat dignus pœnâ, quàm donum gloriæ dignitatem juſti, qui ex hoc ipſo, quòd juſtificatus eſt, eſt dignus gloriâ.* Quemadmodum abſolutè major eſt mons parvus, quàm milium magnum; ſpectatâ tamen proportione ad naturam milii, & montis, majus eſſet milium magnum, quàm mons parvus. Et ideo Auguſtinus dicit ibidem: *Judicet, qui poteſt, utrum majus ſit, juſtos Angelos creare, quàm impios juſtificare. Certè ſi æqualis eſt utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ.* Ita ex D. Tho.

XXV. Ad ſecundum quæſitum reſpondeo cum eodem S. Doctore *qu.* 113. citatâ *a.* 10. Quòd ſi opus miraculoſum dicatur, quod à ſola divina virtute fieri poteſt: ſic juſtificatio dici poteſt in aliquo ſenſu miraculoſum opus, ſeu potius mirum. Si verò opus miraculoſum ſumatur pro eo, quod præter ſolitum, & communem ordinem cauſarum evenit; ſicut ſanitas reſtituta infirmo, præter ſolitum curſum ſanationis, quæ fit à natura, vel arte: ſic juſtificatio quandoque eſt miraculoſa, quandoque non. Si enim ſecundùm communem curſum, Deo movente interiùs animam, homo convertatur ad Deum; primò quidem converſione imperfectâ, ut poſtmodum ad perfectam deveniat, juſtificatio miraculoſa non eſt. Si verò tam vehementer Deus animam moveat, ut ſtatim quamdam perfectionem juſtitiæ aſſequatur; ſicut fuit in converſione Pauli, adhibitâ etiam exteriùs miraculosâ proſtratione: ſic juſtificatio erit miraculoſa: & ideo converſio Pauli tanquam miraculoſa ab Eccleſia celebratur. Ita ex D. Tho. Unde abſolutè, & ſecundùm quod ordinariè fit, juſtificatio non eſt opus miraculoſum. Nec refert, quòd quædam opera minora ſint miraculoſa. Nam, ut ait Divus Thomas relatus ad 1. *Quædam miraculoſa opera, etſi ſint minora, quàm juſtificatio impii, quantùm ad bonum, quod fit; ſunt tamen præter conſuetum ordinem talium effectuum: & ideo plus habent de ratione miraculi.* Quomodo etiam miraculoſum eſt, quòd ſcientiam, quam homo proprio ingenio, & ſtudio natus eſt acquirere, à Deo infuſam accipiat, ut ait idem S. Doct. *ad* 3.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE MERITO JUSTI.

INter præcipuos gratiæ juſtificantis effectus ſunt bona Juſtorum opera; ad quæ elicienda per gratiam potentes fiunt: & per quæ digni evadunt, ut à Deo æternæ gloriæ præmium reportent. Æquum igitur eſt, ut poſt explicatam gratiæ habitualis naturam, ac ejuſdem prærogativas expoſitas; ejus quoque fœcunditatem in merito, ſeu opere meritorio explanemus. Quod præſenti Tractatu præſtabimus; quærentes primò: quid, & quotuplex ſit meritum: an dari poſſit, & an detur in homine erga Deum: quid requiratur ad meritum: & tandem quid ſub merito hominis cadere poſſit.

QUÆSTIO I.

De Eſſentia, Diviſione, & Exiſtentia Meriti.

QUid, & quotuplex ſit meritum breviter explicato; ejus exiſtentiam in homine juſto, etiam pro præſenti ſtatu, contra hæreticos noſtri temporis ſtatuemus.

DUBIUM I.

Quid, & Quotuplex ſit Meritum.

§. I.

Eſſentia Meriti.

I. MEritum, ſecundùm D. Thomam 1. 2. q. 21. a. 3. eſt proprietas actus humani, pro ut eſt moraliter bonus; ex eo enim, quòd eſt moraliter bonus, habet rationem meriti; ſicut ab oppoſito, ex eo, quòd ſit malus, habet rationem demeriti. Non quòd eadem ſit ratio boni, quæ eſt meriti, aut ratio mali, quæ eſt demeriti: ſed quia ad actum humanum bonum ſequitur ratio meriti, & ad malum ratio demeriti. Quia omnis actus humanus, vel dirigitur in utilitatem Communitatis, vel ſingularis perſonæ; & ſic debetur ei, qui illum facit, aliqua retributio præmii: vel dirigitur in damnum Communitatis; & ſic debetur ei retributio pœnæ. Neque ad meritum, vel demeritum requiritur, quòd actus ſit bonus, vel malus alteri, ſive Communitati, ſive particulari perſonæ; ſed ſufficit, ut ſit bonus, vel malus ipſi agenti: hoc enim ipſo eſt bonus, vel malus Communitati, cujus ipſe agens eſt pars. Sicut eo ipſo, quòd benè, vel malè fit digito hominis; vel eum ſanando, vel lædendo, benè, vel malè fit toti corpori. Et per conſequens bono, vel malo facto in utilitatem, vel damnum Communitatis, vel particularis perſonæ, vel etiam ipſiuſmet agentis, debetur à Rectore Communitatis præmium, vel pœna.

II. Hinc actus meritorius dici poteſt in genere: *Opus retributione dignum, quatenus aliquis dat de ſuo, ut accipiat de alieno.* Sicut qui laborat in vinea alterius, ut accipiat ſtatutam mercedem; dat aliquid de ſuo, nempe, operam, & laborem, quem habet in ſua poteſtate, ut accipiat aliquid de alieno, nempe, pecuniam, quæ eſt in poteſtate alterius. Ad præſens tamen inſtitutum deſcribi poteſt meritum, quòd ſit: *Actus liber bonus in*

obſequium præmiantis elicitus. Eſt enim differentia inter commutationem, & meritum, quòd in commutatione, utpote ad juſtitiam commutativam ſpectante, ſervari debet omnimoda æqualitas: ut ſiquis centum dedit, centum etiam recipiat; ſive in eâdem, ſive in æquivalenti ſpecie. Hoc autem non exigitur ad meritum: quia juſtitia diſtributiva, ad quam propriè ſpectat merito reddere præmium, non ſervat arithmeticam æqualitatem, ſed proportionem; ut juxta æſtimationem prudentum merito correſpondeat præmium, quod ſit aliquid excellentius merito: quia qui meretur, tendit ad aliquid ſupra ſe, ſuis tamen operibus correſpondens.

§. II.

Quotuplex ſit Meritum.

III. Duplex communiter diſtingui ſolet meritum: unum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno illud eſt, quod habet condignitatem ad præmium: ita ut, penſatis omnibus, jure debeatur tali operi tale præmium; quamvis illa dignitas operis proveniat ex gratia perſonæ merenti collatâ. Et hoc eſt meritum, quod communiter intelligi ſolet, dum agitur de merito hominis juſti; cui, ut videbimus, debetur quidem præmium, ſed non de toto rigore juſtitiæ: quo meritum hominis diſtinguitur à merito Chriſti, quod ex ſe, & ex dignitate Perſonæ tale opus eſt, ut ei ſecundùm perfectum juſtitiæ rigorem debeatur præmium.

IV. Meritum autem de congruo eſt illud, quod licèt non habeat condignitatem, nec inferat jus, aut debitum ad præmium; nihilominus quædam decentia, & congruitas eſt, ut ille, qui poteſt reddere præmium, illud pro tali opere conferat. Exemplum utriuſque afferri poteſt in milite, qui optimè ſe geſſit in prælio. Hic enim duplex habet meritum; unum de condigno, nempe, ad ſtipendium ſtrenuè militantibus ſtatutum: alterum verò de congruo, ut ſcilicet à Rege, vel Principe, præter ordinarium ſtipendium, ipſi conferatur aliquod donum, vel dignitatis, aut nobilitatis prærogativa. Licèt enim hoc titulo juſtitiæ non debeatur; congruum tamen eſt, ut Rex, vel Princeps erga ſtrenuos milites ita ſe gerat.

V. Hinc apparet differentia inter utrumque meritum. Quòd meritum de condigno verè, & ſimpliciter eſt meritum, & innititur juſtitiæ; adeo ut ſic merenti, debitum ſit ex juſtitia præmium. Meritum autem de congruo ſolùm eſt impropriè meritum, utpote non habens æqualitatem ad præmium; nec innititur juſtitiæ, ſed potiùs liberalitati, & decentiæ: adeo ut cui hoc tantùm meritum ineſt, non teneatur Deus quidquam rependere, quaſi futurus in eum injuſtus, ſi non rependeret: ſed ſolùm, quòd ſic congruat divinæ bonitati, ei aliquid conferre, non tanquam præmium, aut coronam, ſed ex quadam decentia gratitudinis, liberalitatis, vel etiam fidelitatis. Hinc etiam ſequitur, quòd meritum de congruo non requirat eam, tùm perſonæ, tùm operis dignitatem, quam requirit meritum de condigno: debet tamen eſſe opus bonum ejuſdem ordinis cum ea re, ad quam ordinatur, ideſt ſupernaturale, ſi ordinatur ad conſecutionem boni ſupernaturalis. Unde opus bonum ordinis naturalis, nec de congruo mereri poteſt donum vel minimum ordinis ſupernaturalis. Et inſuper debet fieri in officium, aut obſequium gratum, vel utile illi, apud quem eſt meritum.

VI. Præterea meritum de cogruo duplex eſſe poteſt. Aliud ſe tenens ex parte merentis: quatenus in merente eſt quædam decentia movens largitorem, ut ſuam exerceat liberalitatem. Sic oratio Juſti meretur bona ſupernaturalia proximo: quia condecens eſt, ut, ſicut Juſtus facit voluntatem Dei: ita & Deus exaudiat volun-

Digitized by Google

luntatem Juſti in utilitatem proximi. Aliud eſt meritum de congruo, tenens ſe tantùm ex parte operis ſervantis quamdam proportionem, per modum diſpoſitionis: decens enim eſt, quòd Deus, ubi invenit diſpoſitionem, adjiciat perfectionem. Sic peccator eliciens actum fidei dicitur mereri de congruo augmentum fidei; decentiâ tamen ſe tenente ex parte Dei, non ex parte hominis. Quod indicavit S. Auguſt. *Epiſt.* 106. modò 186. *c.* 3. dum ait: *Si quis autem dixerit, quòd gratiam benè operandi fides mereatur, negare non poſſumus; imò verò gratiſſimè confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qui impetrant caritatem.*

Ejuſmodi meritum, aliis verbis, vocatur meritum impetrationis. In quo ſenſu S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. docet, orationem peccatoris eſſe aliquando impetratoriam. Verum eſt enim (ait ibi a. 15. ad 1.) *Oratio ſinè gratiâ gratum faciente meritoria non eſt, ſicut nec aliquis actus virtuoſus. Et tamen etiam oratio, quæ impetrat gratiam gratum facientem, procedit ex aliqua gratiâ, quaſi ex gratuito dono; quia ipſum orare eſt aliquod Dei, ut Auguſt. dicit in lib. de Perſeverantia c.* 23. maximè, quando petit neceſſaria ad ſalutem. Ut enim docet ibi ad 3. *Oratio innitur principaliter fidei, non quantùm ad efficaciam merendi, quia ſic innititur principaliter caritati; ſed quantùm ad efficaciam impetrandi: quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ, & miſericordiæ, ex quibus oratio impetrat, quod petit.* Impetrat enim oratio peccatoris, non *ex merito peccatoris* (ſic enim oratio non implentis legem dicitur execrabilis, *Prov.* 28. & *Joann.* 9. peccatores Deus non exaudit) *ſed interdum impetrat ex miſericordia Dei. Vel propter ſalutem ejus, qui orat, ſicut auditus eſt Publicanus, Lucæ* 18. *Vel etiam propter ſalutem aliorum, & gloriam Dei.* Ita S. Tho. eâdem 2. 2. *q.* 178. *a.* 2. *ad* 1.

DUBIUM II.

An Homo Juſtus poſſit aliquid à Deo Mereri de Condigno?

§. I.

Catholica Veritas contra Sectarios.

I. Hominem coram Deo mereri non poſſe de condigno, ſentiunt omnes noſtri temporis Sectarii: inter quos eminet Calvinus, qui lib. 3. Inſt. cap. 15. *Bonorum* (inquit) *operum laudem, non ut Sophiſtæ faciunt, inter Deum, & hominem partimur: ſed totam integram, & illibatam Domino ſalvamus. Tantùm hoc homini aſſignamus, quòd ea ipſa, quæ bona erant, ſuâ impuritate polluit, & contaminat: nihil enim ab homine erit, quantumvis perfecto, quod non ſit aliquâ maculâ inquinatum. Vocet igitur Dominus in judicio, quæ in humanis operibus optima ſunt; ſuam in illis quidem juſtitiam agnoſcet, hominis verò dedecus, & probrum. Placent itaque Deo bona opera, nec ſuis auctoribus ſunt infructuoſa. Quid magis? Ampliſſima Dei beneficia remunerationis loco ſtatuit, non quia ita merentur; ſed quia divina benignitas hoc illis ex ſe ipſa præmium ſtatuit.* Hæc Calvinus. Qui Sectariorum error radices habet in alio, ſuperiùs, in Tractatu *de Gratia habituali, & de Juſtificatione,* à nobis impugnato: quòd, ſcilicet, opera hominis, etiam juſti, ſint in ſe ipſis peccata; & ſolùm ei non imputentur ad culpam, quia juſtitiâ Dei, & Chriſti teguntur. Plura de hoc diximus in Vera Eccleſia, *Tom.* 2. *p.* 1. *toto art.* 9. Verùm pro mei Candidati inſtructione

II. Dico. Opera Juſtorum ſunt verè de condigno meritoria, etiam vitæ æternæ. Hanc veritatem docet, & variis Scripturæ teſtimoniis confirmat Conc. Trident. *Seſſ.* 6. *cap.* 16. cujus verba benè notanda refero: *Hac igitur*

Digitized by Google

tur ratione (inquit) *juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba* (1. Cor. 15. v. 58.) *Abundate in omni opere bono, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino* (Hebr. 6. v. 10.) *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Et (Hebr. 10. v. 35.) *nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo benè operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna; & tanquam gratia filiis Dei, per Chriſtum Jeſum, miſericorditer promiſſa: & tanquam merces, ex ipſius Dei promiſſione, bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi eſſe, ajebat Apoſtolus* (2. ad Timoth. 4. v. 7. & 8.) *A' juſto judice ſibi reddendam, non ſolum autem ſibi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cùm enim ille ipſe Chriſtus Jeſus* (Joan. 15. & 1. Cor. 11.) *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur; & ſinè quâ nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt: nihil ipſis juſtificatis ampliùs deeſſe, credendum eſt, quò minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur: cùm Chriſtus Salvator noſter dicat* (Joann. 4 v. 13.) *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Hactenus Tridentinum. Cujus verba per extenſum ponere placuit: continent enim totam catholicam de merito Juſti fidem, Sacræ Scripturæ teſtimoniis comprobatam.

III. Nec deſunt alia teſtimonia; quibus hæc veritas confirmatur. Primò. Ea ſunt, quibus aſſeritur, Deum bonis Juſtorum operibus mercedem retribuere; nam merces, & meritum correlativa ſunt. Matth. 5. v. 12. *Merces veſtra copioſa eſt in Cœlis.* 1. Cor. 3. v. 8. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Ubi ly *ſecundùm* indicat, reddi mercedem propter laborem, tanquam juſtam retributionem laboris: non verò, quòd præciſè detur poſt laborem, ut volunt hæretici; cùm *Pſal. 61. v. 13.* dicatur Deo: *Quia tu reddes unicuique juxta opera ſua.* Et *Matth. 16. v. 27.* dicat Chriſtus, quòd filius hominis *venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus.*

Secundò. Ea ſunt, quibus aſſeritur, Juſtos facere aliquid dignum apud Deum, mercede ſcilicet, ac præmio. Ut *Sap. 3. v. 5.* ubi de Juſtis dicitur: *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Ad Coloſs. 1. v. 10. *Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.* 2. ad Theſſal. 1. v. 5. *Ut digni habeamini in Regno Dei, pro quo & patimini.*

IV. Hoc idem teſtatur Concilium Arauſicanum II. *Can.* 18. dicens: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant: ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* S. Cyprianus lib. de Unit. Eccleſiæ: *Accipiunt* (inquit) *merita noſtra mercedem.* Auguſt. Epiſt. 105. modò 194. ad Sixium cap. 2. *Nullane igitur ſunt merita Juſtorum? Sunt planè, quia juſti ſunt. Sed, ut juſti fierent, merita non fuerunt.*

V. Quòd verò opera Juſtorum ſint meritoria de condigno etiam vitæ æternæ: (quod Acatholici quidam admittentes in Juſto meritum quoad alia, quoad vitam tamen æternam negant) probatur. Tùm ex illo 2. *ad Timoth.* 4. ſupra à Trident. allato, ubi de ſe Paulus dicit v. 8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Domi-*

Digitized by Google

Dominus in illa die juſtus judex: non ſolùm autem mihi, ſed & his, qui diligunt adventum ejus. Quid eſt autem id, quod reddet Deus in illo die, niſi vita æterna? Ergo ſi hæc redditur, ut corona juſtitiæ, jam redditur ex merito ſtrictè tali. Ad hoc faciunt verba Chriſti, Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis Regnum.... eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.* Et hæc alia ibidem v. 21. *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Ubi ly *enim*, & ly *quia* faciunt ſenſum cauſalem; denotantque, Regnum Cœlorum, & gaudium beatitudinis dari intuitu bonorum operum, & meritorum.

VI. Neque valet reſponſio Calvini dicentis, ly *enim*, & ly *quia* notam eſſe ordinis, & conſequentiæ, non autem cauſæ — Quia ibidem Chriſtus eodem modo loquitur de Regno dando bonis, ac de gehenna reddendâ impiis: *Ite maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare &c.* At loquendo de gehenna, puto, Calvinus non dicet, ibi non reddi cauſam, quare impii in gehennam detrudantur, ſed ſolùm ordinem conſequentiæ; ergo nec dicat, ibidem non reddi cauſam, quare bonis non detur Regni poſſeſſio, cùm dicatur, dari intuitu bonorum operum.

VII. Reſpondebit, diſcrimen inter gehennam, & Regnum tradi ab Apoſtolo, *Roman. 16. v. 23.* qui loquens de morte æternâ dicit, eam eſſe ſtipendia peccati: *ſtipendia enim peccati mors.* Loquens autem de vita æternâ dicit, eam eſſe gratiam: *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

VIII. Sed contra. Nam idem Apoſtolus locis ſupra citatis vocat gloriam, coronam juſtitiæ reddendam ſibi, & aliis poſt certamen, curſum, & fidem ſervatam (2. *ad Tim.* 4. *v.* 8.) Ut autem ibidem *c.* 2. *v.* 5. dixerat: *Qui certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certaverit.* Inſuper 1. *Cor.* 9. *v.* 24. Vitam æternam aſſimilat bravio, vocat eam coronam incorruptam; & homines iis, qui in ſtadio currunt, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant.

Cur autem citato loco vitam æternam *gratiam* dixerit, non coronam, aut ſtipendium; id fuit, inquit Auguſtinus citatâ *Epiſt.* 194. aliàs 105. *ad Sixtum c.* 5. non quia non potuiſſet ita loqui: nam *quis non eum congruentiſſimè, & conſequenter addere judicaret, ſi diceret, ſtipendium autem juſtitiæ vita æterna? & verum eſt: quia ſicut merito peccati, tanquam ſtipendium, redditur mors: ita merito juſtitiæ, tanquam ſtipendium, vita æterna.... Unde etiam merces appellatur plurimis ſanctarum Scripturarum locis.* Sed ideo noluit dicere ſtipendium juſtitiæ vita æterna, ne ſe extolleret humana ſuperbia; putans (ut Pelagiani putabant) ſe habere juſtitiam ſuo merito, ſicut ſuo merito habet peccatum: ſed ſciret, quòd & *ipſa vita æterna, quæ utique in fine ſinè fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam; etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud, niſi quia gratis datur: nec ideo quia non meritis detur, ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur.* Ita S. Auguſtinus.

IX. Vitam æternam pro meritis reddi docuit Concilium Lateranenſe quartum ſub Innoc. III. & refertur *Cap. Firmiter* his verbis: *Per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* Florentinum in decreto *Unionis* docens: *Animas purgatas in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum, & unum, ſicuti eſt;* addit: *Pro meritorum tamen diverſitate, unum alio perfectius.* Cœleſtinus I. Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ c. 12. *Tanta* (inquit) *eſt erga homines bonitas*

Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ſua dona: & pro his, quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus.

X. In hunc veritatem conſpirant Patres. Chriſoſt. *Homil.* 4. *de Lazaro*; & *Homil.* 38. *ad Popul. Antioch* Auguſt. l. de perfect. Juſt. c. 8. *Poſt hanc autem vitam merces perficiens redditur, ſed eis tantùm, à quibus in hac vitâ ejuſdem mercedis meritum comparatur.* Recolantur ſuperiùs ex eodem, laudatà *Epiſt.* 105. vel 194. *ad Sixtum*. Ex his omnibus patet, quàm juſtè Tridentinum, *Seſſ.* 6. *Can.* 32. ſtatuerit, quòd, *Si quis dixerit, hominis juſtificati opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema ſit.*

XI. Advertenda tamen ex hactenus dictis duo ſunt. Unum cum D. Tho. hîc *q.* 114. *a.* 1. quòd meritum, & merces faciunt juſtum, juſtum autem, ſeu juſtitia requirit æqualitatem. Sicut enim juſtum pretium eſt, quod ponit æqualitatem cum re accepta; ita juſta retributio eſt, quæ ponit æqualitatem cum labore, ſeu merito: Ita ut ubi perfecta æqualitas eſt, ibi ſit perfectum juſtum, ſeu perfecta juſtitia; & è contra ubi æqualitas perfecta non eſt, ibi nec ſit perfectum juſtum, nec perfecta juſtitia. Inter Deum autem, & hominem non poteſt eſſe juſtitia, ſecundùm abſolutam æqualitatem, ſed ſecundùm proportionem quamdam: quia nimirum homo agit quantum poteſt, ſecundùm modum ſuum, & poſſe accipit ex divina ordinatione: ita ut homo id conſequatur à Deo, quaſi mercedem per ſuam operationem, ad quod Deus illi virtutem deputavit, ſicut & aliis rebus. Et quia homo ad illud ſe movet per liberum arbitrium: ideo ſua actio habet rationem meriti.

Alterum advertendum cum eodem S. Tho. ibidem *art.* 3. eſt: quòd actio hominis conſiderari poteſt, & ſecundùm ſubſtantiam, quatenus eſt à libero arbitrio; & ſecundùm quòd procedit ex gratia Spiritus Sancti. Primo modo nullam habet æqualitatem, nec rationem meriti; bene tamen ſecundo modo: *Sic enim* (ait S. Tho.) *valor meriti attenditur ſecundùm virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam æternam, ſecundùm illud Joan.* 4. Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. *Attenditur etiam pretium operis ſecundùm dignitatem gratiæ, per quam homo, conſors factus divinæ naturæ, adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipſo jure adoptionis, ſecundùm illud Rom.* 8. Si filii, & hæredes.

Ex quibus infertur, quòd opera meritoria, etſi formaliter merita hominis ſint, quia ab eo liberè facta; quia tamen ab illo facta per gratiam, ex Dei miſeratione illi conceſſam per Chriſtum, ideo radicaliter dona Dei ſunt: & hac ratione vita æterna, quæ eſt merces, dicitur etiam gratia. Unde Auguſt. *lib. de Correpţ. & grat. c.* 13. ait: *Sinè ullâ dubitatione confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.* Et *lib. de Grat. & lib. arb. cap* 8. ita concludit: *Si vita bona noſtra nihil aliud eſt, quàm Dei gratia; ſinè dubio, & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia eſt: & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia eſt; hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium illius eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro juſtitia; ut verum ſit, quoniam verum eſt, quia* reddet unicuique *Deus* ſecundùm opera ejus.

XII. Ex hoc fit etiam, quòd dum exercet juſtitiam erga hominem, non fit debitor homini, ſed potiùs ſibi ipſi: quia homo nihil poteſt dare Deo, quod Deus priùs non dederit homini, juxta illud, Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit*

dit

dit illi, & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Et Auguſtini in Pſalm. 109. *Deus fecit ſe nobis debitorem, non aliquid à nobis accipiendo, ſed tanta nobis promittendo*. Unde S. Thomas hâc q. 114. a. 1. ad 3. *Quia* (inquit) *actio noſtra non habet rationem meriti, niſi ex præſuppoſitione divinæ ordinationis; non ſequitur, quòd Deus efficiatur ſimpliciter debitor nobis, ſed ſibi ipſi: inquantùm debitum eſt, ut ſua ordinatio impleatur*. Quibus ſimilia habet in 2. *diſt.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 4. Ita explicatum meritum hominis erga Deum, evadit ferè omnes Adverſariorum ratiunculas. Attamen

§. II.

Sectariorum Argumenta.

XIII. OBjiciunt primò varios Sacræ Scripturæ textus, quibus videtur indicari, in homine erga Deum non dari meritum. Eſtò enim gloria dicatur corona, non excluditur, quin detur ex miſericordia, & ex gratia. Nam *Pſalmo* 102. *v.* 4. dicitur: *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*. Et ad Rom. 6. v. 23. *Gratia autem Dei vita æterna*.

XIV. Reſpondeo ex dictis, vitam æternam dici coronam, & mercedem, & etiam dici gratiam, & miſericordiam. Coronam, quia redditur propter merita: gratiam, & miſericordiam, quia merita iſta radicem habent in gratia Dei, quæ dat homini, unde poſſit mereri coram Deo. Videantur ſuperiùs dicta, maximè ex SS. Auguſtino, & Thomâ.

XV. Objiciunt ſecundò. Quidquid Juſti fecerint, ſunt ſervi inutiles, *Lucæ* 17. *v.* 9. & 10. Ubi Chriſtus de ſervo, qui tota die pro Domino laboravit, dicit: *Numquid* (Dominus) *gratiam habet ſervo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? Non puto*. Deinde converſus ad diſcipulos: *Sic* (inquit) *& vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus*. Sicut ergo ſervus, quantumcumque laboraverit, non habet meritum coram Domino implendo ejus præcepta, quia fecit, quod debuit; ita nec homines implentes mandata Dei: imò debent dicere: *Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus*. Qui enim facit, quòd debet, non meretur, præcipuè ſummum, & maximum præmium.

XVI. Reſpondeo, variè explicari præfatum textum. Primò: ſervos inutiles nos eſſe, ſi ſpectetur natura, ut inde extollatur gratia, quæ inutiles ſervos tranſfert in liberos, & filios facit. Unde Ambroſius *l.* 8. in Lucam: *Ergo* (inquit) *agnoſce te ſervum plurimis obſequiis defæneratum, non te præferas, quia filius Dei diceris. Agnoſcenda gratia, ſed non ignoranda natura*. Voluit ergo Chriſtus, ut diſcipuli, præ humilitate, ſervos ſe inutiles dicerent; non quia per Dei adjutorium nihil ſibi utilitatis, & meriti acquirere poſſent: ſed quoniam ex ſeipſis reverâ ſunt inutiles; ut niſi divinâ gratiâ liberarentur, & ad filiationem Dei extollerentur, nihil poſſent facere, quod eis ad ſalutem utile eſſet.

Secundò: dici poteſt, nos ſervos dici inutiles, quia noſtris, quantumcumque bonis, operibus nil utilitatis Deo adferimus, qui bonorum noſtrorum non indiget: ſed quidquid boni facimus, nobis ſolùm utile eſſe poteſt. Ita Beda. Tertiò: ſervi inutiles dicimur, quia etſi omnia mandata ſervemus, nil tamen facimus ultra id, quod debemus: & nihil juſtæ mercedis petere poſſemus, niſi Deus liberali pacto nobiſcum convenire voluiſſet. Ita Auguſt. *Serm.* 3. *de Verb. Domini*.

Neque abſolutè verum eſt, quòd qui facit, quod debet, non meretur. Nam, ut ait D. Thom. hâc q. 114. a. 1. ad 1. *Homo inquantùm propriâ voluntate facit illud, quod debet, meretur; alioquin actus juſtitiæ, quo quis reddit debitum, non eſſet meritorius*. Et rationem dat in 2. diſt. 27. q. 1. a. 3. ad 3. *Quam-*

vis enim illud, quod reddit, quod debitum eſt alteri, ſuum non ſit; nihilominus tamen modus operationis, in quo fundatur, & jus merendi, & laus ipſius merentis eſt, quia voluntariè, & propter bonum juſtitiæ reddit. Quod eo maximè locum habet, quando id, quod aliàs Dominus exigere à ſervo poteſt ut debitum; ex gratuita conventione acceptat, ut ſpontè, ac voluntariè oblatum. Tunc enim ſervus, vi pacti, & promiſſionis, poteſt ſuo obſequio coram Domino promereri. Deus autem cum hominibus, quamvis de omnibus ſuis operibus ei debitoribus, pactus eſt, ea ſe acceptare ad meritum, & illis vitam æternam retribuere.

XVII. Objiciunt tertiò: fieri injuriam meritis Chriſti, ſi ponantur alia merita, præter ipſius merita.

XVIII. Reſpondeo, hoc verum fore, ſi poneremus alia merita, quæ à Chriſti meritis valorem, & efficaciam non haberent. Sed cùm ponamus, merita noſtra ſuam efficaciam, & valorem habere à meritis Chriſti, & à gratia per ipſum, majorem gloriam ejus meritis accreſcimus: quia facimus, ut non ſolùm ipſe juſtus ſit, ac merens, ſed etiam alios juſtos, ac merentes faciat. Sicut maxima gloria Dei eſt, quòd non ſolùm ſit maximè perfectus in ſe, ſed etiam perfectiones ſuas creaturis communicet.

XIX. Objiciunt quartò. Omnia opera hominum, etiam juſtorum, ſunt coram Deo immunditiæ, & peccata; ergo non poſſunt eſſe coram ipſo meritoria.

XX. Reſpondeo, neg. ant. Oſtendimus enim ſupra, nos non juſtificari ſolâ extrinſecâ imputatione juſtitiæ Dei, & Chriſti; ſed verâ, ac intrinſecâ juſtitiâ per Chriſtum à Deo nobis infusâ, faciente nos verè juſtos, & Deo gratos: ac peccata noſtra per juſtificationem non ſolùm tegi, & occultari, ſed verè deleri.

XXI. Objiciunt quintò. Meritum de condigno dicit æqualitatem inter opus, & mercedem, ſeu præmium; ſed inter opera noſtra, & vitam æternam non datur æqualitas; ergo &c. Min. prob. Tùm quia, teſte Paulo, Roman. 8. v. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ergo neque opera. — Tùm quia: Deus remunerat Juſtos ſupra condignum. — Tum quia: condignum importat æqualitatem dignitatis: ſed actus humanus æquari non poteſt in dignitate cum præmio vitæ æternæ, quod eſt infinitum, utpote ipſe Deus; ergo &c.

XXII. Reſpondeo, diſt. min. Non datur æqualitas abſoluta, & veluti arithmetica, con. min. Æqualitas proportionis, habitudinis, & geometrica, nego min. Ad rationem meriti de condigno non requiritur æqualitas abſoluta; ita ut opus tantum ſit, quantum eſt præmium: ſed ſufficit, ut opus habeat proportionem cum præmio, & quòd acceptetur ad præmium. Hoc autem habent opera facta in gratia, quæ eſt ſemen vitæ æternæ: adeſt etiam promiſſio Dei, talia opera ad finem æternæ gloriæ ordinantis.

Neque inter meritum, & præmium requiritur omnimoda æqualitas: mereri enim proprium eſt inferioris, qui dat aliquid de ſuo, quod eſt minùs perfectum, ut accipiat de alieno, ideſt, à præmiante aliquid magis perfectum. Quare redditio præmii, ut dicemus, non tribuitur per ſe juſtitiæ commutativæ, ſed diſtributivæ; quæ dat ſecundùm proportionem fundatam in pacto, conſuetudine &c.

XXIII. Ad primam min. probat. dico, Paulum velle, paſſiones, & opera Sanctorum hujus vitæ non eſſe condigna ad futuram gloriam, quia ſunt temporanea, & brevia; gloria autem, æterna. Ita mentem ſuam interpretatur 2. Cor. 4. v. 17. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hinc

Ad ſecundam dico, Deum remunerare Juſtos ſupra condignum, non

quia

quia opera Juſtorum condignitate careant; ſed quia cùm temporalia ſint, & levia, ipſe reddit æterna: imò ultra præmium, quod ex condigno merentur, ex ſua liberalitate alia adjicit, puta, majorem intenſionem beatitudinis, etiam ſupra merita.

Ad tertiam prob. min. dico, quòd ſicut beatitudo objectiva, quæ eſt Deus, eſt infinita; ita objectum meriti, quod eſt Deus, eſt infinitum. Quòd autem meritum formale ſit finitum, ſolùm arguit, beatitudinem formalem, ſeu actum viſionis fore finitum, quamvis de objecto infinito.

XXIV. Objiciunt ſextò. Meritum de condigno infert debitum in præmiante: Deus autem, ut dicebamus, nulli eſt debitor. — Secundò. Nullus meretur præmium ab eo, qui ejus opere nec juvatur, nec juvari poteſt: cùm ergo Deus ſit talis, apud eum nil poſſumus mereri. Homo non habet per meritum, quod titulo hæreditatis ei debetur: ſed Juſto, eò quòd eſt filius Dei, debetur gloria, tanquam hæreditas; ergo &c.

XXV. Reſpondeo ad primum, Deum nulli abſolutè eſſe debitorem: poſitâ tamen liberali ſuâ promiſſione, benè dicitur debitor ſibi de dandâ gloriâ, quàm bonis operibus promiſit, ut ex D. Tho. oſtendimus. Et maxime *in 2. diſt. 27. qu. 1. a. 3. ad 4.* ubi ait: *Deus non efficitur debitor nobis, niſi fortè ex promiſſo; quia ipſe bona operantibus præmium repromiſit: & ideo non eſt inconveniens, ſi ab ipſo quis mereri poſſit: ex quo, aliquo modo, debitor eſt.* Quamvis, ut ibidem ſubdit, dici poſſit, quòd in juſtitia quidem commutativâ ille, apud quem quis meretur, efficitur debitor ei, quod meretur; in juſtitia tamen diſtributivâ non requiritur ratio debiti ex parte ejus, qui diſtribuit: poteſt enim ex liberalitate aliqua diſtribuere, maximè ſi ſit ſupremus dominus, eſtò in diſtributione aliquem juſtitiæ ordinem ſervare velit.

Ad ſecundum reſpondet D. Thom. *in 2. diſt. 27. q. 1. a. 3. ad 5.* quòd ant. *illud locum tenet in juſtitia commutativâ: ſed in diſtributiva non eſt neceſſarium.* Ut igitur docet hâc qu. 114. a. 1. ad 2. *Deus ex bonis noſtris non quærit utilitatem, ſed gloriam, ideſt, manifeſtationem ſuæ bonitatis; quod etiam ex ſuis operibus quærit. Ex hoc autem, quòd eum colimus, nihil ei accreſcit, ſed nobis: & ideo meremur aliquid à Deo, non quaſi ex noſtris operibus aliquid ei accreſcat; ſed inquantùm propter ejus gloriam operamur.*

Ad tertium nego min. Vita enim æterna rationem habet utriuſque, nimirum, & hæreditatis, & mercedis: hæreditatis, inquantum filiis datur, & non aliis: mercedis autem, quatenus bonorum operum meritis acquiritur. Eſt enim magis honorificum, aliquid habere ex meritis, quàm ſolo titulo donationis. Unde Chriſtus, quamvis ei, ex quo filius Dei naturalis, deberetur gloria corporis; voluit tamen, ſuâ paſſione eam ſibi acquirere, ut dicitur *3. p. qu. 19. art. 3.* & habetur Lucæ 24. v. 6. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Adde: alium, & alium gloriæ gradum conſequi eos, qui gloriam habent ex meritis, quàm eos, qui ſolo filiationis nomine illam obtinent. Ut tamen hucuſque dicta clariora fiant, ſit

DUBIUM III.

An Retributio Vitæ Æternæ pro Meritis ſit Actus Juſtitiæ, & cujus.

§. I.

Reſolutiones Dubii.

I. Triplex veræ Juſtitiæ ſpecies communiter aſſignari ſolet. Legalis, quæ reſpicit bonum commune, & ponit æqualitatem in ordine ad illud. Diſtributiva, quæ ſecundùm æqualitatem proportionis ad conditionem, & merita diſtribuit per-

ſonis

ſonis particularibus bona communia. Et commutativa, quæ ponit æqualitatem rei ad rem inter privatas perſonas, & regulat emtiones, venditiones, conductiones, aliaſque contractus: de quibus in Tract. *de Juſtitia, & Jure* ſermo erit. Dubium igitur præſens inquirit: an retributio vitæ æternæ, quam ex meritis dari, oſtendimus, ad aliquam ex dictis juſtitiæ ſpeciebus pertineat, & ad quam.

II. Medina cenſet, ex nulla juſtitiæ ſpecie Deum gloriam retribuere, ſed ſolùm ex fidelitate, aut gratitudine: ita ut ſi eam poſitis meritis denegaret, foret quidem ingratus, & infidelis, ſed non injuſtus. Ita ſentit etiam Vazquez. Suarez verò putat, gloriam, dum ex meritis redditur, ex juſtitia commutativa retribui. Diſcipuli autem S. Thomæ communiùs cenſent, gloriæ retributionem ex meritis eſſe quidem actum veræ juſtitiæ, ſed diſtributivæ; quamvis habeat aliquem juſtitiæ commutativæ modum.

III. Dico ergo primò. Retributio gloriæ ex meritis eſt actus veræ juſtitiæ; non puræ fidelitatis, aut gratitudinis. Hoc nimis apertè prædicant teſtimonia Sacræ Scripturæ, *Dub. præced.* laudata, præſertim ex Paulo, 2. *ad Timoth.* 4. *v.* 8. ubi vocat gloriam coronam juſtitiæ, quam ſibi, & iis, qui diligunt adventum ejus, reddet in illa die Dominus juſtus Judex. Unde Conc. Trident. *Seſſ. 6. cap. 16.* ait: *Hæc eſt enim illa corona juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi ajebat Apoſtolus à juſto Judice ſibi reddendam, non ſolùm autem ſibi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.* Et ex eodem, Hebr. *6.* v. 10. *Non eſt enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri &c.* Quæ autem redditur, ut corona juſtitiæ, quæ redditur à Domino juſto Judice, quam ſi non redderet, injuſtus eſſet, cur ex juſtitia verè tali non redditur?

IV. Probo inſuper hoc diſcurſu. Retributio gloriæ pro meritis non eſt actus gratitudinis, nec fidelitatis; ergo eſt actus veræ juſtitiæ. Antec. pro prima parte probatur. Tùm quia: gratitudo in Deo erga homines dari non poteſt: actus enim gratitudinis eſt compenſatio accepti beneficii reſpiciens alterum, ut benefactorem, quo modo Deus reſpicere nequit creaturam: *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* (Rom. 11. v. 35.) Nec creatura meritis ſuis præſtat beneficium Deo, ſed obſequium. Tùm quia: quod redditur ex pura gratitudine, non redditur ut corona, & ut merces, quo pacto reddi gloriam, dicit Scriptura; & qui non redderet, eſſet quidem ingratus, ſed non injuſtus. Imò ſi quod datur ex gratitudine, daretur ut corona, & ut merces; dici poſſet, dum munera Deo offerimus in gratiarum actionem, ea nos dare Deo in coronam, mercedem, & præmium.

Eâdem ratione prob. ſecunda antec. pars. Quod enim ex pura fidelitate redditur, non datur ut corona, ut merces, ac præmium, & propter merita. Aliàs ſequeretur, quòd Incarnatio, quæ ex fidelitate divinarum promiſſionum data fuit, & remiſſio peccatorum, quæ peccatori contrito ex fidelitate divini promiſſi, Zachariæ 1. *Convertimini ad me, & convertar ad vos*, unà cum gratia juſtificante conceditur, dici poſſent, illam fuiſſe datam ut coronam, mercedem, & propter merita SS. Patrum; hanc verò dari propter meritum peccatoris contriti, ut mercedem, & coronam, contra illud Pauli, Roman. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.*

V. Probo ſecundò oſtendendo, juſtitiam, propriè dictam, in Deo erga creaturam nullam dicere imperfectionem. Quid enim eſt juſtitia? Nil aliud, quàm *conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuens.* Conſtans autem, & perpetua voluntas maximam dicit perfectionem. Tribuere alteri bonum, perfectionem dicit in tribuente. Solùm ergo videri poteſt imperfectio, quòd creatura habeat jus aliquod erga Deum. Sed & hoc falſum

ſum

ſum eſſe, ſic oſtendo. Quotieſcumque enim jus creaturæ ex propriis creaturæ non eſt, ſed ex acceptis gratis, & liberaliter à Deo; tale jus nullam ponit imperfectionem in Deo: ſed tale eſt jus, quod ponimus in creatura, erga Deum, in ordine ad vitam æternam; ergo &c. Min. ſupponitur certa. Quia jus, quod habet creatura ad gloriam, eſt fundatum in gratia juſtificante, quæ gratis, & liberaliter à Deo conceditur. Maj. verò prob. Tùm quia: ita ſalvatur illæſum altum dominium Dei. Sicut, ex quo jus, quod habet Feudatarius in fundum, ſit ex acceptis à Rege, non derogatur alto dominio Regis; quamvis Feudatarius habeat jus erga Regem, ut ipſum manuteneat in fundo. Tùm etiam: (& ratio eſt) quia ex quo jus creaturæ ſit ex acceptis à Deo, illud jus, eſtò formaliter in creatura ſit, radicatur tamen totum in jure ſupremo Dei, cujus donum eſt totum jus, quod in creatura invenitur.

VI. Dico ſecundò. Redditio gloriæ ut coronæ, & mercedis pro meritis Juſtorum propriè eſt actus juſtitiæ diſtributivæ; eſtò aliquem modum habeat juſtitiæ commutativæ. Probatur. Deus in retributione meritorum, ut vidimus ex D. Paulo 2. *ad Timoth.* 4. ſe habet ut Juſtus judex diſtribuens coronam, & præmium, ſecundùm æqualitatem proportionis; ita ut plus merenti plus det, minùs merenti minùs det: ſed judicium juſti Judicis, in materia diſtributionis, pertinet ad juſtitiam diſtributivam. Nam Judex in diſtribuendo ſervat æqualitatem proportionis, attendendo dignitatem, & qualitatem perſonarum; non verò puram æqualitatem inter rem, & rem, ut facit juſtitia commutativa.

VII. Confirm. Compenſatio, quæ non ſervat æqualitatem quantitativam, & arithmeticam inter præmium, & meritum, ſed potiùs æqualitatem proportionis, eſt actus juſtitiæ, non commutativæ, ſed diſtributivæ, ut docet S. Tho. in 2. *diſt.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *in corp.* ſed Deus in compenſatione meritorum ſic ſe habet; ergo &c. Min. pro prima parte prob. In primis enim in redditione gloriæ pro meritis non eſt æqualitas arithmetica inter dantem, & recipientem; cùm Deus ſuperior ſit creaturâ. Non eſt præfata æqualitas inter id, quod diſtribuitur, & id, propter quod diſtribuitur: *non enim tantum bonum eſt in quantitate actus virtutis, quantum præmium gloriæ, quod eſt finis ejus*, ut docet D. Th. in 2. *ſent.* loco citato. Neque eſt æqualitas inter præmium, quod datur uni, & illud, quod datur alteri; quia non omnibus æqualiter datur, ſed cuique ſecundùm ſuam dignitatem.

Secunda quoque pars prob. Æqualitas enim proportionis attenditur ex hoc, quòd *æqualiter ſe habet hoc ad illud, ſicut alius ad alterum*: hæc autem æqualitas eſt inter Deum præmiantem, & creaturam. Non enim *majus eſt Deo, vitam æternam tribuere, quàm nobis actum virtutis exhibere; ſed ſicut hoc congruit huic, ita illud illi: & ideo quadam proportionis æqualitas invenitur inter Deum præmiantem, & hominem merentem: dum tamen præmium referatur ad idem genus, in quo eſt meritum: ut ſi præmium eſt, quod omnem facultatem humanæ naturæ excedit, ſicut vita æterna; meritum etiam ſit per talem actum, in quo refulgeat bonum illius habitus, qui divinitus infunditur, Deo nos conſignans*. Hæc D. Tho. citato loco. Qui tandem concludit: *In redditione autem præmii ad merita magis ſervatur forma diſtributionis, cùm ipſe unicuique ſecundùm opera ſua reddat; quàm commutationis, cùm Deus à nobis nihil accipiat: quamvis à Sanctis inveniatur quandoque metaphoricè dictum, quòd bonis operibus Regnum Cœlorum emitur, inquantùm Deus accipit opera noſtra, ut acceptans ea*.

VIII. Probari ab aliquibus ſolet, Deum remunarare merita ex juſtitia diſtri-

diſtributiva; quia juſtitia commutativa ſtrictè talis non datur in Deo erga creaturam. Sed hoc, an verum ſit, non eſt hujus loci examinare; cùm ad Tractatum de Juſtitia ſpectet.

IX. Quòd tandem Deus in reddendo præmio pro meritis ſervet aliquem modum juſtitiæ commutativæ, probari poteſt. Quia inter Deum dantem, & creaturam recipientem quædam æqualitas dati, & accepti, & commutationis datur: ut nimirum tantum Deus det, quantum dare debet, & tantum creatura recipiat, quantum debet recipere. Et rurſus, Deus accipit à creaturis merita, & illis dat gloriam; ergo aliquis commutationis modus reperitur in retributione gloriæ pro meritis. Et hac viâ conciliantur plura S. Thomæ loca, in quibus aliquando videtur, ſolam juſtitiam diſtributivam in Deo præmia reddente ſtatuere; aliquando verò etiam commutativam.

§. II.

Solutio Objectionum.

X. Objicitur primò contra primam Aſſertionem. Tota ratio meriti fundatur, ex dictis, in gratia gratis à Deo accepta: & jus, quod habet creatura ad gloriam, eſt à Deo dependens; ergo non ſalvatur vera ratio juſtitiæ, quæ requirit diverſitatem juris, & quòd ille, qui ratione laboris ſit creditor, aliquid de proprio det.

XI. Reſpondeo, neg. conſ. Totum enim optimè ſalvatur. Quia actiones humanæ, eſtò habeant meritum ex gratia acceptâ à Deo, ſunt tamen ſub dominio, & libertate hominis: & jus hominis, eſtò dependeat à Deo, eſt tamen proprium hominis, & diſtinctum à jure Dei, ſicut libertas hominis eſt diſtincta à libertate Dei. Sicut ergo operationes Chriſti, eſtò dependentes à gratia unionis, & auxiliis humanitati ejus conceſſis, fuerunt tamen nedum meritoriæ, ſed & ſatisfactoriæ de toto rigore juſtitiæ commutativæ ratione diverſi juris, & libertatis: ita multò faciliùs intelligi poteſt, quòd actiones hominis juſti, eſtò procedentes ex gratia acceptâ à Deo, ſint meritoria; eiſque, ex juſtitia diſtributivâ, debeatur vita æterna: quia ad hanc non requiritur tantus rigor. Et quemadmodum ſi Princeps daret alicui arma, aliaque neceſſaria ad prælium; adhuc ex juſtitia teneretur dare illi præmium, ſi à certamine victor evaſiſſet, quia proprio valore, & virtute pugnavit: ſic ſi homo propriâ libertate, licèt gratiâ Dei adjutus, & armatus pugnet contra concupiſcentias, eaſque vincat, illi ex juſtitia corona debebitur.

XII. Objicitur ſecundò. Si gloria daretur ex juſtitia, gloria Juſtis eſſet debita ſtricto jure: non ab alio, niſi à Deo; ergo Deus fieret debitor Juſtis. Hoc autem negant Auguſt. *l.* 1. *Confeſſ. c.* 4. dicens de Deo: *Reddis debita nulli debens.* Et S. Tho. 1. *p. q.* 21. *a.* 1.

XIII. Reſpondeo, ex jam dictis præcedente Dubio, cum D. Tho. *in* 2. *diſt.* 27. *q.* 1. *a.* 3. Deum poſſe dici aliquomodo debitorem erga Juſtos; non debito orto ex jure Juſtorum, ſed debito orto radicaliter ex ſua promiſſione. Ex quo enim ipſe bona operantibus præmium repromiſit; fecit ſe in aliquo ſenſu debitorem, non ſimpliciter nobis, ſed ſibi ipſi: *inquantùm debitum eſt, ut ſua ordinatio impleatur.* Verba ſunt S. Tho. hâc *q.* 114. *a.* 1. *ad* 3. Audiendus etiam 1. *p q.* 21. *a.* 1. ubi ponit juſtitiam in Deo diſtributivam, & rejicit ab eo commutativam. Et formato contra ſe hoc tertio argumento: *Actus juſtitiæ eſt, reddere debitum: ſed Deus nulli eſt debitor; ergo Deo non competit juſtitia;* inter alia, ſic reſpondet: *Debitum attendi poteſt dupliciter in operatione divinâ: aut ſecundùm quòd aliquid debetur Deo, aut ſecundùm quòd debetur rei creatæ: & utroque modo Deus debitum reddit. Debitum*

enim

Digitized by Google

enim eſt Deo, ut impleatur in rebus id, quod ejus ſapientia, & voluntas habet, & quod ſuam bonitatem manifeſtat: & ſecundùm hoc juſtitia Dei reſpicit decentiam ipſius, ſecundùm quam reddit ſibi, quod ſibi debetur. Debitum etiam eſt alicui rei creatæ, quòd habeat id, quod ad ipſam ordinatur: ſicut homini, quòd habeat manus, & quòd ei alia animalia ſerviant. Et ſic etiam Deus operatur juſtitiam, quando dat unicuique, quod ei debetur, ſecundùm rationem ſuæ naturæ, & conditionis. Sed hoc debitum dependet ex primo: quia hoc unicuique debetur, quod eſt ordinatum ad ipſum, ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ. Et licèt Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipſe eſt debitor: quia ipſe ad alia non ordinatur, ſed potiùs alia in ipſum. Et ideo juſtitia quandoque dicitur in Deo condecentia ſuæ bonitatis: quandoque verò retributio pro meritis. Et utrumque modum tangit Anſelmus dicens (Prologii cap. 10.) Cùm punis malos, juſtum eſt, quia illorum meritis convenit: cùm verò parcis malis, juſtum eſt, quia bonitati tuæ condecens eſt.

XIV. Dices. In redditione præmii ex juſtitia ſtrictè tali oritur obligatio reddendi præmium, ex jure alterius; ergo ſi Deus obligatur in Deo ſtitia dare gloriam Juſtis, non ſibi obligatur, ſed Juſtis, ex jure ipſorum.

XV. Reſpondeo, diſt. ant. Ex jure alterius gratiosè illi conceſſo, omitto ant. Aliter, nego ant. Dato ergo, quòd ex jure creaturæ Deus dicatur aliquomodo obligatus dare gloriam; hoc tamen jus gloriam exigendi non ab alio accepit, quàm à Deo, qui ex liberalitate voluit, ipſi dare gratiam dantem jus in actu primo: & inſuper ſuâ divinâ promiſſione, & pacto voluit, ut etiam in actu ſecundo tale jus inferret. Ex quo fit, quòd debitum Dei à ſeipſo radicaliter ſit; & quòd gloria ſit quidem debita, ipſe tamen debitor creaturæ non ſit.

XVI. Objicitur tertiò. Debitum reddendi gloriam ex juſtitia, ex quocumque capite oriatur, lædit dominium Dei, quod eſt facultas utendi re ſuâ ſinè injuriâ alterius; ergo &c.

XVII. Reſpondeo, diſt. ant. Re ſuâ abſolutè, conc. ant. Ex ſuppoſitione liberæ promiſſionis, & pacti, nego ant. Ex eo igitur, quòd Deus ſuæ gloriæ ſit Dominus, ſequitur quidem, quòd abſolutè poſſit eâ uti, & eam dare, cui placet, abſque injuria alterius; poſſetque hominem, etſi juſtum, damnare, dicente Auguſt. in Pſalm. 10. *Si Deus damnaret Juſtum, quis ei diceret, quid feciſti?* Attamen ſuppoſitâ ſuâ liberali promiſſione, & pacto dandi eam, ut præmium meritorum; ſicut etiam ſtante ſuo dominio tenetur, ſecundùm Adverſarios, eam dare ex fidelitate: ita, ſecundùm nos, tenetur eam ex juſtitia diſtributivâ dare: debito tamen orto ex ſeipſo, non ex nobis, ratione ſcilicet ſuæ rectitudinis, & æquitatis. Rem exemplo declaro. Ponamus, quòd Dux exercitus ſpolia inimicorum ſibi de jure attinentia velit diſtribuere inter milites, qui ſtrenuè pugnaverunt, ſervatâ proportione ad merita ipſorum: ſuppoſitâ hac voluntate, ſpolia, quorùm abſolutè erat Dominus, ex juſtitiæ æquitate ſibi contraxit debitum, ea ſecundùm meritorum proportionem diſtribuere: ita proportione ſervatâ Deus. Et hoc eſt, quod dicit Paulus, Hebr. 6. v. 10. & ex eo Trident. Seſs. 6. c. 16 *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri &c.* Et Auguſt. l. de Nat. & grat. cap. 2. *Non enim injuſtus Deus, ut Juſtos fraudet mercede juſtitiæ.*

XVIII. Objicitur quartò. Penſare affectum dantis pertinet ad gratitudinem potiùs, quàm ad juſtitiam. Ut enim docet D. Thom. 2. 2. q. 106. a. 5. ad 3. *Sicut in juſtitia...... attenditur æqualitas rerum: ita in gratitudine attenditur æqualitas voluntatum:* Sed Deus remunerans merita attendit potiùs ad affectum, quàm ad effectum: unde vidua illa, quæ in gazophylacium miſit, plus meruit, non quia plus

plus miſit, ſed quia majori affectu miſit, ut habetur *Luca* 21. *v.* 3.

XIX. Reſpondeo, diſt. maj. Quàm ad juſtitiam humanam, tranſeat maj. divinam, nego maj. Dato igitur, juſtitiam humanam non reſpicere affectum, quia homines vident ſolùm ea, quæ foris ſunt; & in juſtitia ſolùm attendunt commodum, & utilitatem extrinſecam, quam unus reportat de opere alterius, quidquid ſit de affectu: Deus tamen, qui intuetur cor, neque attendit ad commodum (quod nullum reportat) ex operibus noſtris; ſed unicè ad bonitatem, & honeſtatem operis, quod quis facit in obſequium Dei; ſuâ juſtitiâ principaliter affectum reſpicit, & hunc remunerat. Ideoque Vidua illa plus meruit majori affectu parum mittens, quàm cæteri plus mittentes, ſed affectu minori.

XX. Objicitur quintò. Juſtitia inducit debitum legale, non ſolùm morale: ſed meritum inducit debitum ſolùm morale, ex libera, & gratioſâ executione, quæ non eſt pretio æſtimabilis; ergo &c.

XXI. Reſpondeo, neg. min. Nam debitum legale, vel poteſt dici illud, quod conſurgit ex valore civili rei, aut actionis externæ; & hoc non inducit meritum: vel poteſt ſumi pro eo, ad quod reddendum aliquis lege adſtringitur; & hoc inducit meritum. Debitum enim eſt, ut Deus meritis reddat præmium ex lege, non aliquâ civili, ſed lege ſuæ ordinationis, & pacti, quæ lex quædam eſt, cui Deus debitor ſit.

XXII. Ut ſolvantur ea, quæ objici poſſent contra ſecundam Aſſertionem, ſciendum, proprium eſſe juſtitiæ commutativæ ſervare æqualitem rei ad rem arithmeticam, & cum obligatione ortâ ex jure proprietatis. Cumque talis obligatio non poſſit dari in Deo: ideo non poteſt remunerare merita Juſtorum ex juſtitia commutativâ, ſed diſtributivâ; quæ ſolum reſpicit debitum ortum ex dignitate unius operis meritorii, comparativè ad dignitatem alterius: quod debitum non reſpicit perſonam præmiantem, ſed ipſum præmium, ad quod illud opus habet proportionem. Unde veriùs dicitur, quòd gloria ſit debita Juſto, quàm, quòd Deus ſit debitor gloriæ. Quia tamen unumquemque tantum remunerat, quantum meretur, & quantum ejus operibus debetur; ideo quemdam modum juſtitiæ commutativæ ſervare dicimus.

§. III.

Aliqua ex Dictis Colliguntur.

XXIII. Colligitur primò contra Calvinum: fiduciam Sanctorum non ex fide ſolâ, ſed ex bonis meritis per Chriſtum comparatis naſci; ideoque ſummo ſtudio apud Deum merita comparanda eſſe, ut apud eum fiduciam habere poſſimus. Cùm enim Deus promiſerit gloriam diligentibus ſe, & benè operantibus; & adeptio gloriæ ex duobus pendeat, nimirum, ex Dei fidelitate, & ex noſtris bonis operibus; ita ut ſi nos benè operaremur, & Deus fidelis non permaneret; & è contra ſi Deus fidelis eſſet, ſed nos non benè operaremur, non eſſet certa noſtra ſpes. Et ideo ſpes, & fiducia noſtra naſci debet, non ſolùm ex Deo promittente, ſed etiam ex noſtris bonis operibus.

XXIV. Neque dicas, opera noſtra eſſe quidem neceſſaria ad vitam æternam conſequendam; non tamen tanquam merita, ſed tanquam conditionem, & viam, per quam currentibus promiſit Deus, intuitu meritorum Filii ſui, hæreditatem: ſicut ſi quis promitteret alicui vineam, cum hac conditione, quòd ad capiendam ejus poſſeſſionem, per talem viam incederet, unde *Pſal.* 118. *v.* 32. dicit David: *Viam mandatorum cucurri.*

XXV. Nam contra eſt. Si opera bona eſſent pura conditio, & via, per quam quis deberet incedere, ut caperet poſſeſſionem gloriæ; jam gloria non dare-

Digitized by Google

daretur ut merces, ut corona, ut præmium: nec Deus in ea conferendâ ſe gereret, ut juſtus Judex. Cùm ergo, ut vidimus, contrarium dicat Scriptura: ideo &c. Promiſit ergo Deus gloriam, per viam mandatorum currentibus; ſed promiſit eam tanquam bravium, ut ait Paulus 1. *Cor.* 9. *v.* 24. Sicut ergo bravium eſt merces, & præmium, & curſus non eſt pura conditio, ſed meritum, cui correſpondet bravium, ut præmium: ita gloria &c.

XXVI. Colligitur ſecundò: nos non dare homini occaſionem de ſuis bonis meritis ſuperbiendi: ſed potiùs ſe coram Deo humiliandi, & quantum confidit de Dei gratia, tantum diffidendi de ſeipſo. Ut enim ait Tridentinum, Seſs. 6. c. 16. *Abſit, ut Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas; ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unuſquiſque, ſicut miſericordiam, & bonitatem, ita ſeveritatem, & judicium ante oculos habere debet: neque ſeipſum aliquis, etiamſi nihil ſibi conſcius fuerit, judicare: quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda, & judicanda eſt, ſed Dei: qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo, qui, ut ſcriptum eſt, reddet unicuique ſecundùm opera ſua.*

XXVII. Colligitur tertiò: contra Calvinum, licitum eſſe, operari bona opera intuitu mercedis æternæ: ita tamen, ut primùm quæratur gloria Dei, & deinde merces felicitatis æternæ. Ita Tridentinum, *Seſs. 6. cap.* 11. afferens illud Pſalm. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Et Pauli, *Hebr.* 11. *v.* 2. ubi de Moyſe dicit, quòd omnia contemſit: *Aſpiciebat enim in remunerationem.* Hoc motivo Joan. Baptiſta. *Matth.* 3. *v.* 2. & Chriſtus ipſe, *Matth.* 4. *v.* 17. prædicationem ſuam exorſi ſunt: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Ita hortatur Galatas Paulus *cap.* 6. *v.* 9. & Coloſſenſes cap. 3. v. 24. *Scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Et paſſim in Scripturis. Et meritò. Si enim vita æterna eſt finis fidei, & operum Juſtorum: quis inficiabitur, licere, vitam æternam intueri, & ad eam opera noſtra dirigere? Si non vitiatur Sacramentorum perceptio, & pœnitentia, cum iſta ſit cauſa obtinendæ gratiæ Dei: cur vitiabuntur opera bona, ſi fiant causâ obtinendæ beatitudinis, quæ eſt gratia conſummata, atque perfecta? Si licet propter metum gehennæ deponere affectum ad malum: cur non magis licebit hoc facere, propter ſpem felicitatis æternæ? Denique licebit, in operibus temporalibus reſpicere temporalem finem, ſumere pharmacum propter ſanitatem, arare, & ſerere ſpe frugum: & non licebit in opere ſpirituali, in curſu hujus vitæ ad bravium ſupernæ vocationis attendere?

XXVIII. Scio, Chriſtum reprehendere mercenarios; & D. Thomam 2. 2. *q.* 19. *a.* 4. *ad* 3. addere, quòd amor mercenarius contrariatur caritati.

Sed nil contra nos. Mercenarii enim propriè illi ſunt, qui mercedem ſolam, aut præcipuè, intuentur, qui ita affecti ſunt, ut ſi merces non eſſet, Deo non ſervirent. Hi ſunt qui viſo lupo dimittunt oves, & fugiunt, qui non gloriam Dei, aut ſalutem proximi, ſed tantùm propriam utilitatem quærunt. Hos Chriſtus reprehendit: non autem eos, qui in bonis operibus præcipuè Deum, ejuſque gloriam, ut ultimum finem ſpectant; mercedem autem ſolùm ut finem proximum reſpiciunt: qui, nempe, Deum videre cupiunt, ut tantò ardentiùs, & ſecuriùs eum diligant. De his nos loquimur. S. Thomas autem damnat amorem mercenarium illum, *qui Deum diligit propter bona temporalia*, ſervile enim, ac ſordidum eſt, mercedem intueri opere ipſo viliorem,

& vitium eſt, Deum diligere, propter bona temporalia contra caritatem, quæ omnia propter Deum imperat diligenda: attamen in bonis operibus ſpectare mercedem eminentiſſimam, qualis eſt viſio Dei, Deum ut poſſeſſum includentem; & hanc ſpectare, ut poſſit Deum in æternum glorificare: ſordidum non eſt, ſed nobile deſiderium. Et in hoc ſenſu locuti ſumus.

QUÆSTIO II.

De Conditionibus Requiſitis ad Meritum.

POſt explicatum meritum Juſti quoad eſſentiam, & comparationem ad gloriam; examinandæ ſunt conditiones, quas habere debet meritum: quod in præſenti Quæſtione præſtabimus.

DUBIUM I.

An Actus Meritorius debeat eſſe Liber, & quâ Libertate?

§. I.

Reſolutio Prior.

I. SEx conditiones requiruntur, ut actus ſit meritorius coram Deo vitæ æternæ. Tres ex parte actus meritorii, duæ ex parte hominis merentis, & ultima ex parte Dei præmiantis. Ex parte actus meritorii requiritur, ut ſit liber, ut ſit bonus, & ut fiat in obſequium, & gloriam Dei. Ex parte hominis merentis requiritur, ut ſit viator, & in ſtatu gratiæ. Ex parte Dei, ut acceptet tale opus ad præmium. In præſenti Dubio agemus de prima.

II. Dico ergo primò. Ut actus ſit meritorius, debet eſſe liber libertate indifferentiæ. Probatur primò ex Sacris Litteris. Eccleſiaſticus, *cap.* 31. *v.* 10. ubi dixit: *Qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus, facere mala, & non fecit*; continuò ſubiungit v. 11. *Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* Quibus ſignificatur, eum talia meruiſſe, quia liberè, ideſt, cùm potuiſſet transgredi, non eſt transgreſſus. Item Paulus, 1. Corint. 9. v 17. *Si enim* (inquit) *volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.*

III. Adeſt etiam ratio. Primò: quia res multæ, ut Sol, Luna, campi, vineæ &c. nobis multa commoda præſtant; & tamen non dicuntur de nobis propriè benè mereri: quia non liberè agunt, nec poſſunt aliud facere, quam faciunt. — Secundò: merito debetur merces: debitum autem non oritur, niſi ex eo, quòd damus alteri, quod noſtrum eſt, & cujus liberi, ac domini ſumus: ſi enim alienum, vel id, cuius domini non ſumus, daremus, nil nobis deberetur: ſed nihil propriè noſtrum eſt, & ſub dominio habemus, niſi quod noſtro ſubeſt arbitrio, ut poſſimus dare, & non dare; ergo in iis tantùm meremur, quæ noſtro ſubſunt arbitrio. — Tertiò: merito debetur laus, ſicut demerito vituperium: ſed laus debetur ſoli actui libero: in eo enim, quod ex neceſſitate facimus, nec laudandi, nec vituperandi ſumus; ergo &c.

IV. Ex hoc infertur, quòd non quæcumque libertas ſufficit ad meritum; ſed debet eſſe libertas indifferentiæ, ſeu à neceſſitate. Quare Innocentius X. hanc Janſenii propoſitionem, ordine tertiam, damnavit: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*, Quam hæreticam pronuntiaverat S. Tho. *qu. 6. de Malo art. unico* his verbis: *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur.... Hae autem opinio eſt hæretica: tollit enim rationem meriti, & demeriti in huma-*

huma-

humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. Et proſequitur oſtendens, eam opinionem tollere laudem, & vituperium, & totam Philoſophiam moralem evertere. Sed hanc quæſtionem pro dignitate tractavimus *Tom.* 1. *in* 1. 2. agentes de Voluntario libero, *Dub.* 2. quæ huc revocandi ſunt.

V. Sed dices primò. Meritum dependet ex acceptatione præmiantis, ut dicemus: ſed præmians acceptare poteſt tam actiones liberas, quàm neceſſarias; ſicut ad Martyrii palmam Deus acceptavit mortem SS. Innocentum, quamvis non liberam; ergo &c.

VI. Reſpondeo, poſſe quidem præmiantem, acceptare actionem non liberam, non tamen ad meritum; cum non ſit capax, & idonea pro merito. Sic privilegio ſingulari acceptavit Innocentum mortem ad vitam æternam, & ad gloriam Martyrum; non tamen ad meritum, cujus, quia incapaces libertatis, incapaces erant.

VII. Si inſtes. Actus liber, & neceſſarius gaudent eâdem bonitate: cur ergo ſi liber eſt capax meriti, actus neceſſarius capax non erit? — Reſpondeo, actum liberum, & neceſſarium, gaudere quidem eâdem bonitate phyſicâ, & objectivâ, non autem morali: quia dignitas, & laudabilitas moralis in libertate indifferentiæ fundantur, ut dictum eſt.

VIII. Dices ſecundò. Chriſti merita fuerunt maxima: & tamen Chriſtus non liberè, ſed neceſſariò Deum diligebat, quia erat beatus.

Confirmatur. Chriſtus ſtante impeccabilitate, & præcepto Patris de morte ſubeundâ, non poterat non mori; & conſequenter neceſſariò, & non liberè libertate indifferentiæ mortuus eſt: & tamen ſuâ morte nobis meruit ſalutem; ergo &c.

IX. Reſpondeo ex D. Thom. 3. *p. q.* 19. *a.* 3. *ad* 1. quòd Chriſtus ſimul viator fuit, & Comprehenſor; & ideo duplex in eo erat dilectionis actus. Unus regulatus à ſcientia beata; & hic neceſſarius erat: alius regulatus à ſcientia infuſa; & hic liber erat, & ex hujus imperio meritum Chriſti procedebat. Unde concludit D. Tho. *Et ideo, quia nunc non eſt viator, non eſt in ſtatu merendi.*

X. Ad Confirmationem dico, Chriſtum non neceſſariò mortuum eſſe, ſed liberè. Quomodo autem hæc libertas ſtare potuerit cum ejus impeccabilitate, & præcepto Patris de morte, difficultas eſt; quæ ſemper torſit Theologorum ingenia, & in Tractatu de Impeccabilitate Chriſti diſcutitur. Nunc dicimus, Chriſtum liberè mortuum fuiſſe, quia licèt non potuerit non mori in ſenſu compoſito, conjungendo nimirum non mori cum exiſtentia præcepti de morte; quia carentia mortis conjungenda cum præcepto de morte eſſet peccatum: poterat tamen non mori in ſenſu diviſo, id eſt, carentiâ mortis abſolutè, & diviſivè à præcepto ponendâ; quia non mori, præciſivè à præcepto de morte, nullum peccatum eſt.

XI. Dices tertiò. Satisfactio non requirit libertatem: Animæ enim in Purgatorio ſatisfaciunt pro peccatis præteritis, & tamen non liberè; ergo neque meritum requirit libertatem.

XII. Reſpondeo, neg. ant. Ut enim docet D. Tho. in 4. diſt. 17. q. 2. a. 4 quæſt. 3. ad 3. *Pœna illa, quam anima in Purgatorio ſuſtinent, non poteſt propriè dici ſatisfactio, quia ſatisfactio opus meritorium requirit: ſed largo modo dicitur ſatisfactio pœna debita ſolutio.*

§. II.

Poſteriores Reſolutiones.

XIII. Dico ſecundò. Actus, ut ſit meritorius, debet eſſe actus formalis, & poſitivus; adeo ut ad meritum non ſufficiat pura omiſſio mali. Prob. Tùm quia: meritum debet

eſſe

Digitized by Google

eſſe in obſequium præmiantis, ut dicemus: at obſequium requirit actum poſitivum; ergo & meritum. Tùm quia: meritum debet eſſe voluntarium: ſed pura omiſſio mali non eſt voluntaria; ergo &c.

XIV. Sed obſtabis primò. Pura omiſſio in ſententia multorum poteſt eſſe culpabilis, & demeritoria; ergo etiam poteſt eſſe meritoria.

XV. Reſpondeo, omiſſo ant. neg. conſ. Plus enim requiritur ad meritum, quàm ad demeritum: quia bonum eſt ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu. Ita D.Th. 2. 2. *q.* 79. *a.* 3. *ad* 4. Et ratio eſt: quia poſitis his tribus conditionibus, poſſe, teneri, & non facere, imputatur non facere, ratione actus interpretativi: hujuſmodi autem non concurrunt ad puram omiſſionem mali.

XVI. Obſtabis ſecundò. Declinare à malo eſt meritorium: ſed declinare à malo eſt omiſſio mali; ergo &c.

XVII. Reſpondeo, declinare à malo eſſe meritorium, non quatenus dicit puram negationem actus; ſed quatenus dicit actum voluntatis poſitivè repudiantis malum. Si enim quis, urgente tentatione, ſuſpenderet omnem actum etiam internum; talis ſuſpenſio non eſſet laudabilis, ſed periculoſa. Unde debet actu poſitivo malum reprobare.

XVIII Obſtabis tertiò. Si Deus præciperet alicui, abſtinere ab omni actu, omiſſio omnis actus erit materia obedientiæ; ergo erit meritoria.

XIX. Reſpondeo, tunc omiſſionem quidem omnis actus externi fore meritoriam; non verò omiſſionem omnis actus etiam interni: & hæc nec eſſe poteſt effectus obedientiæ laudabilis, cum non ſit voluntaria.

XX. Obſtabis quartò. Chriſtus, etiam dum dormiebat, merebatur: & tamen tunc nihil operebatur.

XXI. Reſpondeo, neg. min. In Chriſto enim, dum dormiebat, aderat actus ſcientiæ infuſæ, & actualis uſus liberi arbitrii; unde de ſe dicere poterat: *Ego dormio, & cor meum vigilat* (Cant. 5. v. 2.) quod non accidit in nobis. Verum itaque ſemper eſt, quòd *mereri propriè, eſt facere aliquam actionem, unde aliquis juſtè ſibi acquirit mercedem*; ut dicit S. Thom. *Qu. de Virtutibus in communi a.* 1. *ad* 2.

XXII. Dico tertiò. Libertas requiſita ad meritum non debet eſſe contrarietatis, ſcilicet ad bonum, & malum: ſed ſufficit libertas contradictionis, ſcilicet ad facere, & non facere, ad facere hoc, & facere illud. Patet in Chriſto, & in Angelis in primo inſtanti: in quibus certè fuit meritum rigoroſum; & tamen non fuit libertas contrarietatis, quia non poterant peccare. Et ratio eſt: quia libertas ad malum non eſt de eſſentia libertatis, ſed defectus ejus.

DUBIUM II.

An Actus Meritorius debeat eſſe Bonus, & in Obſequium Dei?

§. I.

Reſolvitur Prior Pars.

I. Dico primò. Actus, ut ſit meritorius, debet eſſe bonus, & laudabilis. Probatur. Ut actus ſit meritorius, debet eſſe dignus præmio: ſed actus moraliter malus non eſt dignus præmio, ſed pœnâ: actus verò indifferens in individuo, vel non datur, ut ſupra oſtendimus: vel ſi admittatur, non eſt, cur potiùs præmio, quàm pœnâ dignus ſit; ergo &c.

Confirmatur. Meritum præmii ſupernaturalis, de quo hîc loquimur, debet actu reſpicere Deum, ut ultimum finem: ſed actus, qui non eſt moraliter bonus, cùm ſit peccatum, actu non reſpicit Deum, ut ultimum finem. Nam, vel eſt peccatum mortale; & ſic poſitivè deordinat à Deo ultimo fine. Vel eſt veniale; & ſic, eſtò non deordinet à Deo ultimò fine, ad illum tamen actu non refer-

Digitized by Google

refertur: unde non poteſt eſſe capax meriti, & præmii, ſed pœnæ.

II. Dices primò. Peccans venialiter, ſi in gratia ſit, adhuc ordinatur ad vitam æternam; ergo actus venialiter peccaminoſus, & non bonus, eſt meritorius vitæ æternæ.

III. Reſpondeo, peccantem venialiter ordinari habitu ad vitam æternam, ratione aliorum actuum bonorum, quæ fecit: non autem ratione actus peccaminoſi etiam venialiter. Nam hic eſtò non excludat ab homine exiſtente in gratia meritum perſonale vitæ æternæ, ratione aliorum actuum bonorum, quæ fecit; ſuâ tamen malitiâ impedit, ne per ipſum homo actualiter ad vitam æternam ordinetur, & per illum actu mereatur.

IV Dices ſecundò. Recitatio divini Officii cum evagatione mentis eſt mala: ſed hæc poteſt eſſe meritoria: ſi enim quis ex amore Dei incipiens recitare officium, in progreſſu evagetur mente; talis evagatio, ex vi illius primæ intentionis, eſt meritoria præmii ſupernaturalis.

V. Reſpondeo, diſt. maj. Cum evagatione mentis eſt mala, ſi ſit voluntaria, con. majorem, ſi ſit involuntaria, nego maj. Voluntaria ergo evagatio mentis in recitatione divini Officii mala eſt, neque ſubditur primæ illi intentioni recitandi illud ex amore Dei; ſed potiùs interrumpit influxum actus caritatis præcedentis: ideoque non eſt meritoria præmii ſupernaturalis. Ita S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13. ad 3. dicens: *Si quis ex propoſito in oratione mente evagetur, hoc peccatum eſt, & impedit orationis fructum..... Evagatio verò mentis, quæ fit præter propoſitum, orationis fructum non tollit.*

§. II.

Reſolvitur Pars Poſterior.

VI. Dico ſecundò. Actus meritorius præmii ſupernaturalis debet fieri in obſequium Dei. Probatur. Meritum enim cum reſpiciat retributionem ab eo, qui præmium redditurus eſt, debet ad illum dirigi, & ordinari, & in ejus gratiam fieri: opus enim, quod ad præmiantem non dirigitur, quomodo poteſt, ab illo exigere retributionem? Sed opera noſtra meritoria reſpiciunt retributionem reddendam a Deo; ergo debent dirigi, & fieri in obſequium Dei: aliàs lamentaretur juſtè, ut olim per Prophetam Iſa. 29. v. 13. *Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me.*

VII. Nec dicas primò. In humanis poteſt quis deteſtari corde præmiantem, ſicque opus ſuum non facere in obſequium ejus: & tamen apud præmiantem mereri; ergo ſimiliter &c.

VIII. Reſpondeo enim, neg. conſ. homo enim non penetrat cor, nec reſpicit ad intentionem operantis, ſed ad ipſum opus: unde ſi opus ex ſe, vel exteriùs tendat ad utilitatem præmiantis, etſi intentio aliò ipſum dirigat, homo fit debitor retributionis. Non ſic autem apud Deum, qui cùm penetret cor, & ad eum reſpiciat, non ſufficit, ut ei opus exhibeatur; niſi etiam exhibeatur intentio, ut ſcilicet opus ſincero corde propter Deum ſummè dilectum fiat.

IX. Nec dicas ſecundò. Homo exiſtens in gratia, & faciens actum ſpei ſupernaturalis, meretur præmium ſupernaturale: ſed in exercitio talis actus attendit, non ad Deum, ſed ad propriam utilitatem, quia ſpes reſpicit bonum divinum, ut bonum noſtrum; ergo &c.

X. Nam reſpondeo, diſt. min. Ut bonum noſtrum in ratione objecti, ſeu finis proximi, con. min. In ratione finis ultimi, nego min. Homo enim exiſtens in gratia reſpicit Deum, ut ultimum finem ſuarum actionum: ſicque dum exercet actum ſpei tendentem in propriam utilitatem, hunc actum, & propriam utilitatem in obſequium Dei refundit.

XI. Sed dices tertiò. Ut actus fiat in obſe-

in obſequium Dei, requiritur influxus caritatis: ſed ad meritum, in probabili ſententia, non requiritur influxus caritatis; ergo &c.

XII. Reſpondeo, quòd, ut infra dicemus, ad meritum eſto non requiratur influxus actualis caritatis, virtualis tamen requiritur. — Admiſsâ tamen, pro caſu præſenti, opinione non requirente ad meritum influxum nec virtualem caritatis, dico, requirere ſaltem habitualem: quatenus perſona habitualiter Deo grata omne opus bonum, quod facit, cenſetur facere in obſequium Dei, & eſſe opus Deo gratum, & coram ipſo meritorium.

DUBIUM III.

An ad Meritum requiratur Status Viæ, & Status Gratiæ?

§. I.

Reſolvitur Prima Pars.

I. DIco primò. Ad meritum requiritur, ex parte perſonæ merentis, ſtatus viatoris. Apertè colligitur ex Scripturis: dicitur enim Eccleſiaſtæ 9. v. 5. *Mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Ubi Hieronymus ait: *Mortui nihil valent ad id adjicere, quod ſemel ſecum tulerunt de vita, neque expectant aliquam retributionem, atque mercedem:* ultra eam ſcilicet, quam dum viverent, meruerunt. Et ibid. cap. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quibus, per caſum ligni, mors hominis deſignatur. Et per ly *ibi erit* indicatur, meritum, vel demeritum hominis in alia vitâ nec augeri poſſe, nec minui. Unde Paulus, *ad Galat. 6. v.* 10. ſic inferebat: *Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Et Chriſtus, *Joan. 9. v.* 4. de ſeipſo dicebat: *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Ubi per diem tempus præſentis vitæ; per noctem verò ſtatum poſt mortem Chriſtum indicare voluiſſe, omnes intelligunt. Quare S. Tho. 2. 2. q. 13. a. 4. ad 2. *Mereri* (inquit) *& demereri pertinent ad ſtatum viæ. Unde bona in viatoribus ſunt meritoria, mala verò demeritoria. In Beatis autem bona non ſunt meritoria, ſed pertinentia ad eorum beatitudinis præmium: & ſimiliter mala in Damnatis non ſunt demeritoria, ſed pertinentia ad damnationis pœnam.*

II. Ratio quoque conſonat. Tùm quia meritum dicit viam, & tendentiam ad præmium, tanquam ad terminum; ergo meritum proprium eſt eorum, qui ſunt in ſtatu viæ. Tùm quia ad divinam providentiam pertinuit, ſtabilire tempora pro merito, & pro præmio. Cùm igitur non poſſit eſſe tempus magis conveniens ad præmium conferendum, quàm tempus alterius vitæ; ſequitur, quòd ſolùm tempus hujus vitæ deſtinari debuit ad merendum præmium: maximè quia meritum ex natura rei antecedit præmium, & hæc vita antecedit, altera ſubſequitur.

III. Sed obſtare videtur, quòd animæ Juſtorum in Purgatorio, imò & in Patria, aliquid merentur, ſaltem de congruo, ſive nobis, dum pro nobis orando multa impetrant; ſive ſibi merendo augmentum ſuæ beatitudinis, ſaltem de congruo.

IV. In hac materia ſunt qui concedant animabus purgantibus, imò & Beatis aliquod meritum ſaltem de congruo, reſpectu aliorum; illudque ſolùm negant, ad merendam ſibi beatitudinem eſſentialem. Sunt etiam qui dicant, Beatos, non quidem actu beatifico, ſed aliis actibus liberis, & bonis poſſe ſibi mereri augmentum beatitudinis, ſaltem accidentalis. — Probabilius tamen cenſeo, negandum eſſe extra ſtatum viæ poſitis omne meritum etiam de congruo.

Quare diſtinguendum cenſeo meritum

tum etiam de congruo à ſimplici impetratione (quod indicat S. Tho. hâc *q.* 114. *a.* 6. *ad* 3.) quòd ſimplex impetratio unicè fundatur in pietate, & miſericordia concedentis: hac enim ratione etiam oratio peccatoris poteſt eſſe impetratoria: unde multò magis impetratoriæ eſſe poterunt orationes animarum, vel Purgantium, vel Beatorum, abſque eo, quòd meritoriæ adhuc de congruo ſint in ſe ipſis. Ut enim ſuperiùs dicebamus ex D. Tho. 2. 2. *q.* 13. *a.* 4. *ad* 3. bona, quæ Deus concedit Beatis ſive ipſis, ſive pro aliis, pro quibus orant, ſunt præmium beatitudinis ipſorum reſpondens meritis, quæ habuerunt in via; non meritis, quæ addant, dum ſunt in Patria. Nam ut docet S. Tho. in 3. *diſt.* 18. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2. Beati *non ſunt in ſtatu acquirendi ſecundùm aliquid ſui: & ideo nec ſibi, nec aliis merentur: quia quod impetrant modò nobis, contingit ex hoc, quòd priùs, dum viverent, meruerunt, ut hoc impetrarent:* quod confirmat de Angelis beatis 1. *p. q.* 62. *a.* 9. *ad* 3. Ubi poſtquam dixit, gaudium eorum de converſione peccatoris pertinere ad præmium accidentale, quod augeri poteſt uſque ad diem judicii, ſubjungit: *Unde quidam dicunt, quòd quantùm ad præmium accidentale mereri poſſunt. Sed melius eſt, ut dicatur, quòd nullo modo aliquis Beatus mereri poteſt, niſi ſit ſimul viator, & Comprehenſor; ut Chriſtus, qui ſolus fuit viator, & Comprehenſor. Prædictum enim gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quàm illud mereantur.*

§. II.

Reſolvitur Secunda Pars.

V. Dico ſecundò. Ad meritum coram Deo requiritur, quòd perſona merens ſit in gratia juſtificante. Hoc ſupponit Tridentinum *Seſſ.* 6. *cap.* 16. & *Can.* 32. ubi agit de merito hominis juſtificati per gratiam: & colligit ex illo Joan. 15. v. 4. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Quæ verba, *cap.* 16. citato, ſic exponit: *Cùm enim ille ipſe Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur: & ſinè qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent &c.* Ex quibus dico ſic: opera hominis non poſſunt eſſe Deo grata, & meritoria, niſi ex influxu Chriſti, ex quo unicè noſtra opera habent valorem meriti vitæ æternæ; ergo ſicut palmes non poteſt ferre fructum vitis, niſi cum vite continuetur, & ab ea recipiat influxum: ita homo non facere fructum, nimirum, opus pertinens ad vitam æternam, niſi conjungatur cum Chriſto, & ab eo virtutem, & influxum participet per gratiam, quæ eſt ſemen vitæ æternæ. Et ſicut terra ſinè ſemine non facit fructum, ſic nec homo ſinè gratiâ, quæ eſt ſemen Dei ad vitam æternam, non poteſt facere fructum ad vitam æternam pertinens.

VI. Hanc veritatem docet S. Thomas hâc *qu.* 114. *a.* 2. & oſtendit, hominem ſinè gratià non poſſe mereri vitam æternam, nec poſitum in ſtatu naturæ integræ: Quia *vita æterna eſt quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ: quia etiam excedit cognitionem, & deſiderium, ſecundùm illud* 1. *ad Cor.* 2. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. *Et inde eſt, quòd nulla natura creata eſt ſufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, niſi ſuperaddatur aliquod ſupernaturale donum, quod gratia dicitur.*

Nec ſi ponatur homo, ut modò eſt, in ſtatu naturæ corruptæ. Nam, præter allatam, adeſt ſecunda ratio propter impedimentum peccati. Cùm enim homo ſinè gratiâ in ſtatu naturæ corruptæ ſit homo in ſtatu peccati, & offenſus Deo: & nullus in ſtatu pec-

cati exiſtens, & offenſus Deo poſſit apud Deum mereri vitam æternam, niſi priùs reconcilietur Deo, dimiſſo peccato, quod fit per gratiam; peccatori enim non debetur vita, ſed mors, ſecundùm illud Rom. 6. *Stipendia peccati mors:* ideo &c.

VII. Nec enim, ut opus ſit meritorium vitæ æternæ, ſatis eſt, ut fiat ex vera obedientia legis, etſi non fiat à perſona elevatâ ad ſtatum gratiæ, & adoptionis Dei; ut falsò exiſtimavit Michael Baius, cujus propoſitio XIII. erat: *Opera bona, à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei: ſed tantùm ex eo, quòd ſunt conformia legi, quòdque per ea præſtatur obedientia legi.* Et XV. *Rationem meriti non conſiſtere in eo, quòd qui benè operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum: ſed in eo ſolùm, quòd obedit divinæ legi.* Quas propoſitiones, inter alias multas, juſtè damnarunt S. Pius V. & Gregorius XIII.

VIII. Harum, inquam, damnationem propoſitionum juſtam fuiſſe, colligitur: Primò ex Scriptura, quæ paſſim vocat gloriam hæreditatem filiorum, Rom. 8. v. 15. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, pater.* Et v. 17. *Si autem filii, & hæredes.* Spiritum autem adoptionis non accipimus, nec filii Dei ſumus, niſi per gratiam. Tùm quia, eadem Scriptura teſtatur, meritum ita fundari in gratia, & amicitiâ Dei; ut ſi quis peccando mortaliter amittat gratiam, & amicitiam Dei, ſtatim amittat omnia bona merita, quæ fecerat, Ezechiel. 18. v. 24. *Si autem averterit ſe juſtus à juſtitia ſuâ, & fecerit iniquitatem .... omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur:* atqui ſi merita non penderent à ſtatu, & qualitate perſonæ, ſed à ſola obedientiâ legi, non deberet is, qui Deum offendit, amittere bona merita, per obedientiam legi antea facta. Sicut qui laboravit in vinea alicujus certâ mercede conductus, non perdit mercedem ſuam, ſi fortè inimicus fiat Domino vineæ: quia meritum illius, non in gratia, & amicitia Domini, ſed in ſolo labore, & opere fundatur; ergo &c. hoc autem eſſe falſum, evincitur, quia Scriptura ſemper promittit vitam æternam diligentibus Deum.

IX. Colligitur ſecundò. Nam ſi merita non penderent à ſtatu, & dignitate perſonæ, ſed ſolùm ab ipſo opere, ſeu obedientiâ legi; certè merita Chriſti non eſſent infiniti pretii, imò nec majoris valoris, quàm merita cæterorum hominum: ubi enim ſolùm ſpectatur opus, nil intereſt, an ille, qui operatur, ſit Rex, aut miles, ſit nobilis, vel plebejus, probus, vel improbus. At certum eſt, merita Chriſti ratione dignitatis perſonæ fuiſſe dignitatis infinitæ, aut ſaltem majoris, quàm merita cujuſvis puri hominis; ergo &c.

X. Colligitur tertiò. Si ratio meriti vitæ æternæ unicè penſaretur ex opere facto in obedientiam legi, non ex ſpiritu adoptionis; poſſet quis nondum regeneratus per gratiam, obediens tamen legi, & ex tali obedientiâ facere aliquod opus meritorium vitæ æternæ; ergo etiam poſſet facere opus meritorium de condigno gratiæ juſtificantis: quia qui poteſt mereri gloriam, quæ eſt gratia conſummata, multò magis poteſt mereri gratiam, quæ eſt gloria ſolùm inchoata. Hoc autem eſſe falſum, colligitur ex Tridentino, *Seſs. 6. cap.* 8. & nos infra oſtendemus, gratiam juſtificationis non cadere ſub merito; ergo &c.

§. III.

Rejiciuntur; quæ Militant contra Secundam Aſſertionem.

XI. OBjicies primò. Opus malum ex ſua natura meretur pœnam; ergo opus bonum ex ſua natura meretur præmium. etſi non procedat ab homine exiſtente in gratia.

XII.

XII. Reſpondeo, neg. conſ. Facilius eſt enim homini peccare, quàm benè agere. Ad peccandum enim ſufficit libertas arbitrii: ad bonum autem opus præſertim conducens ad vitam æternam, quæ excedit omnem proportionem naturæ, requiritur ſupernaturale donum; & in homine corrupto per peccatum, requiritur ulteriùs, ut reconcilietur Deo per gratiam, ut ex D. Tho. dicebamus. Rurſus: ut peccato debeatur pœna, nulla conventio, aut promiſſio neceſſaria eſt: qui enim alterum lædit, juſtitiam violat, & tenetur ex juſtitia ſatisfacere, nullo præſuppoſito pacto. At ut bono operi debeatur merces ex juſtitia, præſertim vitæ eternæ, promiſſio, vel conventio neceſſaria eſt. Non enim tenetur Deus, hominis obſequium acceptare, ut dicemus, niſi accedente ejus benignâ promiſſione illud acceptandi: Deus autem vitæ æternæ mercedem non promiſit, niſi regeneratis per Chriſti gratiam, ut paſſim Scriptura teſtatur.

XIII. Sed replicabis. Scriptura promittit etiam vitam æternam obedientiæ legi, Matth. 19. v. 17. *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Non dixit: ſi vis ad vitam ingredi, cura, ut accipias gratiam. Rurſus: Petrus, *Actor.* 10. *v.* 34. & Paulus, *Roman.* 2. *v.* 11. docent, Deum non eſſe acceptorem perſonarum, ſed gloriam, & honorem tribuere omni operanti bonum: eſſet autem acceptor perſonarum, ſi attenderet potiùs ad qualitatem perſonæ, quàm operis.

XIV. Reſpondeo ad primum, verum eſſe, quòd vita æterna promittitur ſervanti totam legem, ſed amore juſtitiæ, non timore pœnæ. *Non enim* (inquit Auguſt. l. de Spirit. & litt. c. 14.) *fructus eſt bonus, qui de caritatis radice non ſurgit. Porro autem ſi adſit fides, quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei ſecundùm interiorem hominem: quæ delectatio non litteræ, ſed ſpiritus donum eſt*. Non ergo quis poteſt ſervare mandata, niſi Deum diligat, & proximum; in his enim pendet tota lex: hoc autem ſinè gratiâ regenerante fieri non poſſe, ſupra oſtendimus. Alioquin ſi ad ſervanda mandata, ut oportet ad vitam, non requiritur gratia; nec requiretur fides, cùm Chriſtus ibi hoc non dixerit.

Ad ſecundum, neg. min. Acceptor enim perſonarum ille eſt, qui attendit ad qualitatem perſonæ nihil conferentem ad meritum. Cùm verò quòd perſona habeat ſpiritum adoptionis, & habeat fidem, quæ per dilectionem operetur, ſit qualitas conducens ad meritum: imò tota ratio meriti vitæ æternæ, ad quam Deus attendit, in conferendo præmium, non erit proinde acceptor perſonarum. Si enim lex ſit, ut ſoli filii nobilium currant ad bravium à Rege propoſitum; non erit perſonarum acceptor judex, ſi præter celeritatem curſus, nobilitatem currentis ita conſideret, ut qui eâ carent, excludat à præmio tanquam incapaces. Sic cùm vita æterna ſit bravium promiſſum ſolis Juſtis, & filiis adoptionis per gratiam; non accipit Deus perſonas, cum in eis qualitatem juſtitiæ, & adoptionis attendit: acciperet quidem, ſi conſideraret alias, quæ ad meritum nihil conferunt; puta, an qui benè operantur ſint Græci, vel Judæi, liberi, vel ſervi, maſculi, vel fœminæ. Et in hoc ſenſu loquebantur Apoſtoli.

XV. Objicies ſecundò. Non plus requiritur ad hoc, ut opera ſint meritoria ipſi operanti, quàm ut ſint meritoria aliis: ſed ut ſuffragia facta pro mortuis, ſint pro illis meritoria, non requiritur, quòd homo ea faciens ſit in gratia; ergo &c.

XVI. Reſpondeo cum D. Tho. in 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *a.* 1. *qu.* 3. & refertur in Suplem. 3. *p. q.* 71. *a.* 3. diſt. min. Ut ſint meritoria, prout ſunt ejus, non requiritur &c. nego min. Prout ſunt alterius, co. min. *In ſuffragiis* (inquit S. D.) *quæ per malos ſiunt, duo poſſunt conſiderari. Primò*

Digitized by Google

ipſum opus operatum; ſicut ſacrificium altaris. Et quia noſtra ſacramenta ex ſeipſis efficaciam habent, abſque opere operantis, quam æqualiter explent, per quoſcumque fiant; quantùm ad hoc ſuffragia per malos facta defunctis proſunt. Alio modo quantùm ad opus operantis. Et ſic diſtinguendum eſt. Quia operatio peccatoris ſuffragia facientis, poteſt uno modo conſiderari, prout eſt ejus: & ſic nullo modo poteſt eſſe meritoria, nec ſibi, nec ali. Alio modo, inquantùm eſt alterius: Quod dupliciter contingit. Uno modo, inquantùm peccator ſuffragia faciens gerit perſonam totius Eccleſiæ, ſicut ſacerdos, dum dicit in Eccleſia exequias mortuorum. Et quia ille intelligitur facere, cujus nomine, vel vice fit, ut patet per Dionyſium lib. de Cœleſt. Hierarch. c. 13. *inde eſt, quòd ſuffragia talis ſacerdotis, quamvis ſit peccator, defunctis proſunt. Alio modo, quando agit ut inſtrumentum alterius: opus enim inſtrumenti eſt magis principalis agentis. Unde quamvis ille, qui agit ut inſtrumentum alterius, non ſit in ſtatu merendi; actio tamen ejus poteſt eſſe meritoria ratione principalis agentis: ſicut ſi ſervus in peccato exiſtens quodcumque opus miſericordiæ facit ex præcepto domini ſui caritatem habentis. Unde ſi quis in caritate decedens præcipiat, ſibi ſuffragia fieri, vel alius præcipiat caritatem habens, illa ſuffragia valent defuncto, quamvis illi, per quos fiunt, in peccato exiſtant: magis tamen valerent, ſi eſſent in caritate; quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria eſſent.* Hæc Sanctus Thomas.

DUBIUM IV.

An Meritum ſpectet ad Caritatem, & quomodo ad illud debeat Caritas influere?

§. I.

Reſolvitur Prima Pars.

I. Dubium iſtud hìc ponitur tanquam appendix Dubii præcedentis. Cum enim ad meritum requiratur gratia, cujus indiviſa comes eſt caritas, per quàm proximè operatur; ideo rectè quæritur: an caritas concurrat ad meritum, an elicitivè, an imperativè.

II. Dico ergo primò. Meritum non eſt determinatè actus alicujus virtutis: ſed principaliter pertinet ad caritatem, ſecundariò verò ad alias virtutes, ut imperantur à caritate. Tres habet partes hoc Aſſertum. Prima prob. Meritum non eſt determinatè actus fidei, vel ſpei, vel pœnitentiæ: nam in Chriſto fuit verum meritum, in quo tamen non fuit fides, nec ſpes, nec pœnitentia. Non eſt actus juſtitiæ, religionis, pietatis, aut alterius à caritate. Tum quia: actus illarum poſſunt eſſe ſinè merito, imò compati cum demerito. Tum quia: per actus harum virtutum, etiam ſinè gratià, & caritate, poſſet eſſe meritum vitæ æternæ, contra Apoſtolum, 1. Cor. c. 13. v. 3. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

III. Sed dices. Satisfactio eſt quoddam meritum veniæ, & reconciliationis, quia tendit ad ipſam obtinendam: at ſatisfactio, quæ fit Deo pro offenſa, eſt actus ſpecialis virtutis, nempe juſtitiæ; ergo &c.

Rurſus meritum æqualitatem dicit, & eſt ad alterum: cum nemo mereatur ad ſe, ſicut nemo ſatisfacit ſibi; ergo

ergo eſt actus juſtitiæ, ſicut eſt ſatisfactio.

IV. Reſpondeo, neg. maj. Eſt enim differentia inter meritum, & ſatisfactionem, quòd ſatisfactio tendit ad faciendam æqualitatem, & ad inducendam amicitiam; unde non eſt meritoria veniæ, ſed potius activa veniæ, vel formaliter, vel diſpoſitivè. Meritum autem ſupponere debet æqualitatem, reconciliationem, & amicitiam cum Deo, per ſatisfactionem jam inductam.

Ad ſecundum dico pariter, meritum non tendere ad faciendam æqualitatem cum Deo; ſed eâ per ſatisfactionem ſuppoſitâ, ſicut & gratiâ, & caritate, tendere per actus, & objecta omnium virtutum ad operandum in obſequium Dei præmiantis. Quamvis autem inter meritum, & præmium requiratur æqualitas proportionis; hæc non reſpicitur à merente, ſed potiùs ab eo, qui præmium reddit: qui reddendo præmium: actum juſtitiæ exercet, ut dictum eſt.

V. Secunda pars Aſſerti expreſsè traditur à S. Thoma hâc *q.* 114. *a.* 4. cujus ratio eſt ſub hac forma. Ad eam virtutem principaliter ſpectat meritum, cujus actus eſt, ordinare hominem ad Deum, quo fruimur, propter ſeipſum, & cujus eſt, omnia in obſequium Dei. & propter Deum facere; cùm meritum ſit motus humani arbitrii in divinum bonum, quo fruemur in vita æternâ, propter ſeipſum: ſed hujuſmodi motus, ſeu tendentia in Deum, propter ſeipſum, ſeu ut ſummum bonum, eſt actus proprius caritatis: licèt enim etiam fides, & ſpes ferantur in Deum, & faciant, nos inhærere Deo; attamen, ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 17. *a.* 6. ſola *Caritas facit Deo inhærere, propter ſeipſum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris. Spes autem, & fides faciunt hominem inhærere Deo, ſicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis & cognitio veritatis* (& hoc modo fides facit, nos inhærere Deo, ut primo principio cognoſcendi veritatem) *& adeptio perfectæ bonitatis* (& hoc modo ſpes facit, nos inhærere Deo, quatenus *per ſpem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam*)

VI. Tertia verò pars traditur etiam à D. Thom. hâc *q.* 114 *a.* 4. citato his verbis: *Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni eſt proprius actus caritatis; per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, ſecundùm quòd aliæ virtutes imperantur à caritate. Et ideo meritum vitæ æternæ primò pertinet ad caritatem; ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quòd earum actus à caritate imperantur*: ideſt, ſecundùm quòd caritas efficit, ut cæteræ virtutes eliciant actus ſuos ex amore Dei, propter Deum, & in obſequium Dei, ut ſummi boni. Sic fortitudo ex ſpecie ſuâ eligit tolerare mortem, propter bonum fortitudinis. Si autem adveniat imperium caritatis, jam eligit, tolerare mortem propter Deum, ut ſummum bonum; ſicque elicit actum martyrii — Addo: quòd Scriptura meritum gloriæ tribuit ſpecialiter actibus earum virtutum, quæ caritatem involvunt. Ut Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum... Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.* Ubi ly *mihi* indicat actum miſericordiæ erga pauperes, factum ex amore erga Deum, eſſe meritum ad Regnum. Et Paulus meritum tribuit actibus beneficentiæ, & pacis, *Hebr.* 13. 16. dicens: *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.*

VII. Rationem autem meriti ſecundariò eſſe in actibus aliarum virtutum, ut imperatis tamen à caritate, oſtenditur. Nam ſi ſoli caritati tribueretur meritum, non verò cæteris virtutibus, ut ejus imperium includentibus; jam non exiſtente formaliter actu caritatis, non exiſteret formaliter actus meritorius: hoc autem falſum eſſe, infra oſtendemus. Ut enim actus formaliter ſit meritorius, ſufficit, ut

actus

actus caritatis virtualiter exiſtat, eſtò non formaliter: ex hoc enim ipſo, quòd cæteræ virtutes caritati conjunguntur, & ab eâ moventur, elevantur ad meritum: quia inferiora ex conjunctione ad ſuperiora elevantur ad perfectionem, quam ex ſeipſis habere non poſſent. Sicut cogitativa conjuncta rationi, aliquomodo conferre, & diſcurrere poteſt, quod ex ſeipſa non poſſet.

VIII. Addo: quòd ſi meritum in ſola caritate conſiſteret, jam non eſſet majoris meriti cum æquali caritate dare omnes facultates in eleemoſynam pauperibus, etſi maximas; quàm dare unum tantùm obolum; & pati martyrium, quàm pati leviſſimam perſecutionem: quod tamen non eſt dicendum.

IX. Neque dicas, præmium eſſentiale vitæ æternæ reſpondere ſoli caritati, Joann. 14. v. 21. *Qui autem diligit me .... & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum;* ergo ſoli caritati reſpondet meritum — Nam ſolùm evincit, caritati reſpondere præmium, & meritum principaliter, & ut imperanti; non verò ut unicæ elicienti meritorium actum. Unde Chriſtus citato loco exponens, quid ſit ipſum diligere, priùs dicit: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.*

§. II.

Ex Dictis Aliqua Inferuntur.

X. INfertur primò. Opera moralia virtutum acquiſitarum, etſi facta ab homine juſto, & exiſtente in gratia, ſi tamen non fiant ex imperio caritatis, ſed ex motivo, & auxilio merè naturali, non eſſe meritoria de condigno vitæ æternæ. Ratio eſt. Quia opera moralia procedentia à virtute acquiſitâ, & auxilio naturali ſunt purè naturalia, & improportionata prorſus cum præmio ſupernaturali, qualis eſt vita æterna.

XI. Neque dici poteſt, ejuſmodi opera accipere dignitatem ordinis ſupernaturalis ex perſona gratiâ ſanctificante ornatâ: adeo ut dignitas perſonæ ſanctæ, abſque ullo caritatis imperio, refundat in ea opera valorem, & æqualitatem proportionis cum vita æternâ, ſicut dignitas Perſonæ divinæ refundebat dignitatem in opera Chriſti.

XII. Nam ſola coexiſtentia habitus in ſubjecto non dignificat operationem, niſi interveniat influxus voluntatis illud applicantis ad uſum, juxta illum: *Habitibus utimur, cum volumus;* ergo niſi accedat influxus voluntatis utentis habitu caritatis ad tale opus, & facientis, ut gratia ſanctificans influat in illud, non dignificabitur, ut proportionem habeat cum vita æternâ.

Neque valet exemplum Perſonæ divinæ. Nam hæc utpote ſubſtantialiter infinitè digna communicabat ſuam dignitatem operibus Chriſti ſupernaturalibus, per modum formæ, & neceſſariò; quia ſcilicet erant operationes Perſonæ ſubſtantialiter infinitè dignæ. At perſona creata dignitatem ſupernaturalem non habet, niſi ratione gratiæ, quæ eſt habitus accidentaliter ipſi inhærens: & quia habitus non influunt neceſſariò, ſed ſolùm ex voluntatis imperio: ideo dignitas perſonæ in gratiâ conſtitutæ non refunditur in operationes, niſi accedat imperium, vel ordinatio caritatis.

XIII. Infertur ſecundò. Neque actus virtutum theologicarum, etſi intrinſecè ſupernaturales, eſſe meritorios de condigno vitæ æternæ, per ſolam coexiſtentiam gratiæ habitualis; niſi accedat influxus, & imperium caritatis, quo fiant in obſequium Dei ſummi boni ſupernaturalis.

Hoc indicavit Paulus, dum ad *Coloſſ.* 3. *v.* 17. poſtquam ad omnia pietatis opera eos fuerat adhortatus, concludit: *Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti.* Et ad *Gal.* 5. *v.* 6. dicit, quòd nihil valet, niſi *fides, quæ*

per

Digitized by Google

per dilectionem operatur. Ratio autem theologica eſt. Quia fides, & ſpes ex propria ſpecie, ut ſuperiùs dicebamus, eſtò reſpiciant immediatè Deum in ratione objecti, ſive nobis dicentis, ſive auxiliantis: niſi tamen accedat imperium caritatis, earum actus referentis, non reſpiciunt Deum, ut ſummum bonum in ſe, & ut ultimum finem in ordine ſupernaturali; quod requiritur, ut actus ſit meritorius vitæ æternæ.

§. III.

Quale ſit Imperium Caritatis ad Meritum Requiſitum.

XIV. Triplex poteſt diſtingui imperium, ſeu ordinatio actuum aliarum virtutum in finem, & objectum caritatis. Prima habitualis, quæ revera in ſe actu non eſt; ſed ſolùm habitu in ſubjecto operante, & actum ſolummodo materialiter comitatur. Secunda actualis, quæ ſcilicet actum expreſsè ordinat in Deum; de quo homo actu cogitat, & facit actum virtutis propter illum. Tertia virtualis, quia ſcilicet eſtò homo de Deo actu non cogitet, & proinde expreſsè non ordinet actum ad ipſum: attamen actus virtutis, quem facit, ordinatur in Deum virtute præcedentis actus, quo decrevit, omnia ſua referre in Deum; qui actus virtualiter manet, & participatur in actibus ſubſequentibus. His ſtantibus

XV. Dico ſecundò. Ad meritum non ſufficit ordinatio, ſeu imperium habituale caritatis. Conſtat ex dictis §. antecedente. Ordinatio enim purè habitualis caritatis in Deum dicit puram coexiſtentiam, & concomitantiam habitus caritatis in ſubjecto operante, abſque ullo influxu, ſive actuali, ſive virtuali in actum: ſed, ut vidimus, ſola concomitantia habitus caritatis non ſufficit ad faciendum opus meritorium; ergo &c. Hinc puto à S. Pio V. & Gregorio XIII. damnatam fuiſſe propoſitionem 15. Baii, *Dub. praecedente relat. §. 2. num. 7.* quæ dicebat: *Rationem meriti non conſiſtere in eo, quòd qui benè operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolùm, quòd obedit divinæ legi.* Putabat enim Bajus, rationem meriti non requirere influxum, ſed ſolam concomitantiam gratiæ, & habitus caritatis in operante.

XVI. Confirmo hanc veritatem à pari. Nam infidelitas, vel ſtatus peccati mortalis concomitans bona opera, non vitiat illa, neque facit eſſe demeritoria; niſi aliquomodo ea referat ad finem malum: unde non omnia opera Infidelium, & peccatorum eſſe peccata, ſuperiùs oſtendimus contra Janſenium, & Bajum; ergo neque ſtatus gratiæ, & caritatis habitualis merè concomitans omnia opera bona dignificabit & faciet meritoria vitæ æternæ.

XVII. Dico Tertiò. Ad meritum non requiritur actualis ordinatio caritatis. Et ratio eſt. — Primò: quia ut actus, vel medium ordinetur in finem ex influxu finis, non requiritur actualis intentio finis, ſed ſufficit virtualis. Cauſa enim non ſolùm quando actualiter exiſtit in ſe, ſed etiam quando manet in aliquo à ſe relicto cenſetur influere. — Secundò: quia cùm impoſſibile ſit moraliter, hominem, quando bene operatur, ſemper cogitare de Deo, & actu intendere finem caritatis, homo vix unquam meritoriè operaretur. — Tertiò denique: quia, ut quis apud humanum Regem mereatur, non eſt neceſſe, ut ſemper actu intendat obſequium illius; ergo neque, ut quis mereatur apud Deum. Quod conſtat etiam in confectione Sacramentorum, & recitatione divini Officii.

XVIII. Ex his ſequitur, requiri, & ſufficere ad actu merendum, ordinationem virtualem caritatis. Verùm quia ordinatio virtualis caritatis duplex eſſe poteſt; una proxima, & eſt, quando virtute alicuius intentionis proximè, & immediatè præce-

den-

dentis actus ordinatur in Deum : alia ſolùm remota, quando ſcilicet intentio remotè præceſſit, vel in principio vitæ, vel juſtificationis : ideo Dubium eſt : an ad actu merendum requiratur imperium, & ordinatio caritatis immediatè, vel ſaltem proximè præcedens : an verò ſufficiat remota, & generalis, etſi longo tempore præceſſerit; dummodo tamen per peccatum mortale non fuerit interrupta.

XIX. Dico quartò. Quamvis non ſit improbabile, ad meritum de condigno vitæ æternæ ſufficere ordinationem caritatis ex aliquo antiquo actu caritatis relictam, quoties per peccatum mortale non fuerit retractata : unde ſi quis in actu ſuæ juſtificationis proponat, ſe velle omnia ſua in Deum, ut ultimum finem, referre; omnia opera bona, quæ fecit, quamdiu manet in gratia, cenſentur meritoria vitæ æternæ, quia in omnibus illis ordinatio illa perſeverat : tutius tamen, & fortè probabilius cenſeo, quòd, ut actus ſequentes cenſeantur virtualiter à caritate procedere, & conſequenter eſſe meritoria, non ſufficere, ut ordinationem caritatis quomodocumque, etiam remotè, conſequantur; ſed requiri, ut aliquam connexionem mediatam, vel immediatam cum primo illo actu caritatis habeant : ita ut primus actus ſequens immediatè cum actu caritatis connectatur, ac cæteri inter ſe.

XX. Hoc declaro exemplo. Si quis ſtatuat ire Romam, cenſetur hunc finem intendere; & in ipſum omnes actus ſuos referre, eos nempè, qui ad illum finem conducunt. Unde quando conducit currum, parat ſarcinas, & alia itineri inſervientia &c. in iſtis actibus virtualiter manet illa prima intentio. Si verò aliquid aliud agat cum ea non connexum, putà comedere, bibere &c. non cenſetur, hos actus ex intentione eundi Romam facere. Quia ergo non omnes actus etiam virtuoſi hominis juſti, hanc connexionem habent cum illo primo actu, quo in principio vitæ, aut juſtificationis ſe, & omnia ſua retulit in Deum : ideo ille primus actus non ſufficit ad imprimendam virtualem ordinationem in Deum in omnibus actibus ſubſequentibus. Ad o : quòd ſi in omnibus iſtis perſeveraret primus actus caritatis virtualiter; jam homo juſtus toto tempore, quo exiſtit in gratia, in omni ſuo opere bono cenſeretur, Deum diligere, nec teneretur, expreſſum actum dilectionis facere. Quod tamen damnatum eſt ab Innocentio XI. 2. *Martii 1679. Propoſ.* 5. quæ talis erat : *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus*. Propoſ. 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis, per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.* Et Propoſ. 7. *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.*

XXI. Præterea à pari. Quamvis enim Idololatra habuerit actum, quo ſe, & omnia ſua ſtatuit in ſuum Idolum referre; non ſequitur, quòd omnes actus ſequentes, etiam poſt longum tempus, ſint ab illo actu imperati, & conſequenter demeritorii, & peccata : aliàs omnia opera Infidelium eſſent peccata; ergo neque in homine juſto intentio formalis habita referendi omnia in Deum, imperabit omnes actus ſequentes. Dicendum ergo tutiùs videtur; quòd ſicut intentio formalis recitandi Officium, & conficiendi Sacramentum facta, puta in principio menſis, non ſufficit ad recitandum Officium, & Sacramentum conficiendum in fine menſis; ſed requiritur intentio non multùm diſtans à recitatione &c. ita, ut quis cenſeatur, omnia opera ſua in Deum virtualiter referre, non ſufficit intentio longè diſtans. Quare tutiſſimum conſilium eſt, hanc intentionem initio, vel cujuſque diei, vel negotii repetere.

XXII. Scio, adverſæ opinionis Patronos pro ſe afferre S. Thomam, qui

in 2.

Digitized by Google

in 2. *ſent. diſt.* 28. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 4. ad hoc, ut actio aliqua virtualiter referatur in Deum ex caritate, dicit: *Oportet, quòd priùs fuerit cogitatio de fine, qui eſt caritas, vel Deus, & quòd ratio actiones ſequentes in hunc finem ordinaverit: ita quòd rectitudo illius ordinationis in actionibus ſequentibus ſalvetur, ut patet in exemplo, quod Avicenna ponit de artifice: quòd ſi dùm opus ſuum exerceret, ſemper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur; ſed ſicut prius excogitavit per regulas artis, ita poſtmodum operatur, & ſic in opere ejus rectitudo artis ſalvatur.*

XXIII. Sed S. Doctor præfatis verbis non aliud intendit, quàm quòd, *ut alicujus actionis finis ſit Deus, vel caritas, non oportet, quòd agendo illam actionem, aliquis de Deo, vel caritate cogitet: nec iterum ſufficit, quod aliquis in habitu tantùm Deum, vel caritatem habeat: quia ſic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falſum eſt.* Poſt quæ verba ſubjungit ea, quæ à Contrariis allata ſunt. Solùm igitur S. Tho. intendit ad hoc, ut opus caritate ordinetur in Deum, non requiri ordinationem actualem, habitualem non ſufficere, ſed ſatis eſſe virtualem, quâ prior ordinatio cenſetur manere adhuc in opere ſequenti: ſed non determinat, quòd maneat ſemper, & in quolibet bono opere, quouſque homo manet in gratia, etiamſi longo tempore præceſſerit, nec fuerit iterata. Imo locum timori relinquit, ne quotidianis, & venialibus peccatis, quibus ſubeſt homo in hac vita, illa prior ordinatio ſenſim adeo langueſcat; ut niſi iteretur, de virtuali tranſeat in habitualem tantùm, quæ certè non ſufficit.

DUBIUM V.

An ad Meritum Hominis coram Deo requiratur Divina Ordinatio, Promiſſio, & Pactum?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico. Communiùs, & omninò probabilior ſententia eſt, requiri pactum, & promiſſionem mercedis, ad hoc, ut Juſtorum opera veram, ac propriè dictam habeant rationem meriti de condigno: non ſic tamen, quaſi illa opera valorem, & dignitatem ſuam habeant ex hujuſmodi pacto; ſed quoniam ultra dignitatem, quam totam ex gratia habent, neceſſarium ſit pactum ſeu promiſſio de reddenda mercede, ut illi, qui ex gratia ſunt benè operati, jus habeant ad vitam æternam, tanquam ad mercedem, eorumque opera ſint ſtrictè talis vitæ meritoria. Aſſertio ita explicata duas habet partes.

II. Prima, quòd divinum pactum, ſeu promiſſio prærequiratur, ut operibus Juſtorum reſpondeat vita æterna, tanquam merces merito, videtur certa. Quia meritum obligat præmiantem ad reddendum præmium: Deus autem, ut ſæpè diximus cum S. Tho. hac q. 114. a. 1. ad 3. *non efficitur ſimpliciter debitor nobis, ſed ſibi ipſi, inquantum debitum eſt, ut ſua ordinatio impleatur*: quod dixerat in corpore ejuſdem art.

III. Prob. etiam primò ex Parabola, *Matth.* 20. ubi Pater familias, qui Deum ſignificat, conventionem feciſſe legitur cum operariis. Et ex Jacobi c. v. 12. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Quibus conformiter Paulus, *Hebr.* 6. *v.* 12. eos hortatur, ut ſint imitatores eorum, *qui fide, & patientiâ hæreditabunt promiſſiones.*

nes. Et cap. 6. v. 36. *Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem*. Idem exprimunt alia Scripturæ loca, quibus vita æterna promittitur mandata ſervantibus: modò corona juſtitiæ à Deo juſto Judice reddenda, ut 2. *Timoth.* 4. non enim debetur corona juſtitiæ, niſi fuerit promiſſa. Quapropter Tridentinum, *Seſs. 6. cap. 16.* ait: *Benè operantibus, uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna; & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa; & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda*. Ubi duplicem promiſſionem cognoſcit: unam de danda gloriâ, ut gratiâ per Jeſum Chriſtum: alteram de ea reddendâ, ut mercede pro meritis. Hæc tamen ſecunda includitur in prima.

IV. Probatur ſecundò. Si bona Juſtorum opera ex natura ſuâ, & non ex vi alicujus promiſſionis, eſſent apud Deum meritoria de condigno vitæ æternæ; Chriſtus non meruiſſet nobis vitam æternam directè, ſed ſolùm indirectè, quatenus gratiam, & in ea perſeverantiam ſolùm promeruit: certùm eſt autem, quòd Chriſtus non minùs directè meruit nobis gloriam, quàm gratiam; ut per ſe patet, & ex Trident. *Seſs. 6. Can. 26.* Aſſumptum prob. Quia ſi verum foret, quòd opera ex natura, & condignitate ipſorum, abſque pacto, vel promiſſione, quæ propter Chriſti merita facta ſit, gloriam mereantur; jam gloria, ſecluſo Chriſti merito quoad reſpectum illius, nihilominus reddenda eſſet propter naturam, & qualitatem operum, ſuppoſitâ gratiâ ea faciendi per ipſum obtentâ.

V. Probatur tertiò. Cùm opera ſint pluribus titulis Deo debita, nempe, creationis, conſervationis, redemtionis &c. ſequitur, quòd per nihil poſſumus ipſum obligare, niſi velit: quòd velit, non aliter ſcimus, quàm quia mercedem pro illis promiſit. Hinc fit, quòd opera ſancta animarum degentium in Purgatorio, & actus liberi Beatorum in caritate perfecti, nihil apud Deum merentur; quia licèt interno valore non careant, ea tamen ad præmium Deus non ordinavit: & merita Chriſti non merentur de facto Incarnationem æterni Patris, vel ſalutem Dæmonum, quia ad hæc ordinata non fuerunt.

VI. Confirmantur dicta. Si quis alienum agrum colat, vel alteri obſequium præſtet, nullo prorſus interveniente pacto, vel promiſſione mercedis, alter non tenetur ex juſtitia mercedem ei dare; ac per conſequens ipſam non eſt ex condigno meritus: præſertim ſi poneretur, quòd iſte operarius totum, quod fecit, aliquo alio titulo facere debuerit, quòdque tùm inſtrumenta, tum vires eſſent in proprietate, & dominio alterius; ergo ſimiliter quamvis Juſti opera bona faciant, & quidem talia, quòd ſecundum quòd fiunt per gratiam, habent condignitatem ad vitam æternam: ſi tamen nullum præceſſerit pactum, aut promiſſio mercedis, Deus non tenebitur eis dare præmium vitæ æternæ; quia aliis titulis ei debita, & vires, quibus facta ſunt, in ejus proprietate, ejuſque dona exiſtunt.

VII. Secunda verò pars Aſſerti, nempe, quòd ejuſmodi opera, ſuppoſito divino pacto, & promiſſione, habeant intrinſecam condignitatem cum gloria, videtur certa. Nam promiſſio, & ordinatio Dei, eſtò ſit quid neceſſariò præſuppoſitum, non eſt tamen ratio formalis conſtituens opera illa in ratione meritorii, & dans illis condignitatem ad gloriam; ſed hanc ſupponuntur habere à gratia ſanctificante, quæ eſt ejuſdem ordinis, & perfectionis cum gloria, eamque per modum ſeminis, ſeu radicis continet, juxta illud Pauli, Rom. 6. v. 23. *Gratia Dei vita æterna*. Præterea: ſi extrinſeca Dei ordinatio eſſet ratio conſtitutiva meriti de condigno, jam actus virtutum acquiſitarum ordinis naturalis, imò & actus indifferentes in

in individuo (quos Scotus in hoc contrarius admittit) poſſent eſſe merita verè, & propriè de condigno beatitudinis ſupernaturalis eodem, modo quo actus ſupernaturales: poſſet enim Deus tales actus, pro ſua libertate, ordinare ad beatitudinem ſupernaturalem, eamque promittere tales actus elicientibus: quo poſito, illi actus evaderent verè meritorii vitæ æternæ, cùm poſitâ ratione formali conſtitutivâ meriti, habeatur meritum. Hoc autem magis videtur abſurdum, quàm ſi diceretur, quòd ſi Rex promitteret filiam ſuam Regni hæredem ei, qui primò colligeret paleam; ruſticus eam primò colligens, filiam Regis, & Regnum ipſum de condigno mereretur: major enim eſt improportio inter opus naturale, & vitam æternam, quam inter actum quemcumque viliſſimum, & filiæ Regis, Regnique ipſius poſſeſſionem.

VIII. Hinc infero, ordinationem Dei extrinſecam in pacto, vel promiſſione ſitam, neque ingredi rationem meriti, ut complementum illius; ſed ad illud ſufficere ordinationem Dei intrinſecam, incluſam in voluntate dandi gratiam, ut principium merendi: eo enim ipſo, quòd Deus vult dare gratiam, ut principium merendi vitam æternam, ordinat opera procedentia ab illa, ut merita, ad vitam æternam, ut mercedem, & conſtituit ſe debitorem gloriæ, ut mercedis. Sicut enim Deus dicitur ordinare res naturales ad ſuos fines naturales, conferendo illis virtutes activas, quibus poſſint tales fines conſequi: ita naturam rationalem ordinat ad merendum de condigno finem ſupernaturalem vitæ æternæ, conferendo illi virtutem, & principia operandi ad talem finem. Ita S. Tho. hàc *q.* 114. *a.* 1. videndus.

§. II.

Solutio Objectionum.

IX. Objiciunt primò contra primam partem Aſſerti. Valor, ſeu condignitas operis ſufficit ad merendum præmium: ſed præciſâ promiſſione Dei, opera Juſtorum habent valorem, & condignitatem ad vitam æternam; ex quo ſunt ex gratia; ergo &c.

X. Reſpondeo, majorem eſſe veram, ſi illa condignitas operum non ſit debita præmianti aliis titulis; ſecus verò, ſi ſit debita, ut in caſu. Cùm enim ea poſſet exigere, ut ſibi debita pluribus aliis titulis, ut oſtenſum eſt; ideo, ut determinatè ſint meritoria præmii, requiritur Dei ordinatio conferentis gratiam, ut principium merendi.

XI. Objiciunt ſecundò contra eamdem. Peccata mortalia non egent ordinatione divinâ, ut ſint meritoria pœnæ æternæ, quia ex ſeipſis afferunt indignitatem; ergo à pari nec opera Juſtorum à gratia procedentia, quia ex ſe ipſis bona, & condignitatem habent, egebunt ordinatione divinâ, ut ſint meritoria vitæ æternæ.

XII. Reſpondeo, neg. conſ. Qui enim peccat, ex jure conſtituit ſe debitorem luendi pœnam; quia peccata ex natura ſuâ ſine ullo judicis auxilio, vel ordinatione digna ſunt pœnâ. Juſtus autem faciens bona opera ex gratia, non facit ſe creditorem vitæ æternæ; quia licèt ex natura ſuâ proportionem habeant cum re, quæ eſt vita æterna; quia tamen aliis titulis Deo debita, non proportionantur cum illa, ut meritum cum præmio, niſi ex Dei voluntate ordinantis illa, tanquam meritum, ad gloriam, ut præmium. Ubi noto, hanc propoſitionem: *Sicut opus malum ex natura ſuâ eſt mortis æternæ meritorium: ſic bonum opus ex natura ſuâ eſt vitæ æternæ meritorium*, eſſe ſecundam ex damnatis in Bajo à S. Pio V. & Gregorio XIII.

XIII. Dices: Opus eſſe meritorium eſt, illud eſſe condignum ad mercedem: ſed, ut diximus, pactum, & promiſſio non facit, opus eſſe condignum ad vitam æternam; ergo ad meritum non requiritur pactum &c.

XIV. Reſpondeo, neg. maj. Nam mereri propriè, ut docet S. Thomas *Qu. de Virtutibus in communi a. 1. ad 2.* eſt facere aliquam actionem, unde aliquis ſibi juſtè acquirat mercedem: poteſt autem actio habere proportionem, imò & condignitatem ad id, quod vocatur merces, etiamſi is, qui actionem illam facit, non acquirat ſibi juſtè illam mercedem: veluti ſi illa actio fuerit aliis titulis debita, vel non fuerit conductus, neque ulla mercedis promiſſio præceſſerit.

XV. Objiciunt tertiò contra eamdem. Eo ipſo, quòd Dominus præcipiat ſervo laborare in vinea, imò etſi non præcipiat, approbet tamen eius laborem, cenſetur, ſervus mereri juſtè mercedem; ergo eo ipſo, quòd præceperit Deus homini juſto facere opera condigna vitæ æternæ, & iſte faciat, cenſetur &c.

XVI. Reſpondeo, diſtinguendo ant. Vel enim Dominus vineæ dirigit præceptum ad eos, qui non ſunt ſervi, tenentur in vinea ejus laborare; & ſic nec Dominus vocans eos ad laborem, implicitè paciſcitur de mercede, & ex juſtitia tenetur eam reddere. Vel dirigit præceptum ad ſervum; & ſic non tenetur ei reddere ſtipendium pro labore, etiamſi illum approbet (fecit enim, quod debuit) quoniam & ſervus, & ſervi opera ſunt Domini. Cùm ergo omnes ſimus ſervi Dei, & ei tanquam Domino omnia opera debeamus; ſi ſolùm præciperet, ut in vinea ejus laboraremus, & neque pactum, promiſſionem, & legem faceret de reddenda mercede; nec ipſâ teneretur eam reddere, nec opera juſtorum eam de condigno mererentur.

XVII. Objectiones contra ſecundam partem omitto. Ea enim vel probant, ad actu merendum vitam æternam, requiri pactum, ordinationem, &, ſi velis, etiam promiſſionem Dei, quòd libenter concedimus: dummodo non dicantur requiri, ut rationem, ſive adæquatam, ſive inadæquatam conſtitutivam operis in ratione meritorii; ſed ſolum, ut determinationem illorum operum, quæ ex quo ſunt à gratia condignitatem habent ad merendum, ut de facto mereantur, & acceptentur ad tale præmium, & non ob alium titulum: & hanc ordinationem nil aliud eſſe, quàm voluntatem Dei conferendi gratiam, ut principium merendi vitam æternam, ut dictum eſt.

QUÆSTIO III.

De his, quæ cadunt ſub Merito.

PRæter vitam æternam, quam hactenus vidimus, cadere ſub merito de condigno, alia ſunt, de quibus dubitari poteſt. Nempe: an homo poſſit mereri primam gratiam auxiliantem, vel primam gratiam juſtificantem, & hoc tàm ſibi, quàm aliis: augmentum gratiæ, reparationem poſt lapſum, perſeverantiam finalem &c. de quibus omnibus in præſenti quæſtione ſermo erit.

DUBIUM I.

An Homo poſſit mereri Primam Gratiam ſive Auxiliantem, ſive Juſtificantem Sibi, vel Aliis.

§. I.

Reſolvitur de Gratia Actuali.

I. DIco primò. Nullus homo poteſt ſive de condigno, ſive de congruo ſibi mereri primam gratiam auxiliantem. Procedit hæc Aſſertio de prima gratiâ actuali, quæ aliam non ſupponit. Hoc fusè tractavimus in 1. *par.* contra Pelagium, & in *hâc* 1. 2. *Tract. de neceſ-*

ſitate

ſtate gratia contra eumdem. Alioquin ſequeretur, gratiam ſecundùm merita noſtra dari; & merita quidem ſolis naturæ, & arbitrii viribus facta: quod in horrore habuerunt Concilia Mlevitanum, Palæſtinum, & Arauſicanum II. Imò in Palæſtino Pelagius ipſe ejuravit, ne à Judicibus damnaretur, ut teſtatur S. Auguſtinus paſſim.

II. Ratio autem eſt. Quia omnia opera, quæ primam gratiam actualem præcedunt, ſunt opera merè naturalia, & fiunt ab homine in ſtatu peccati mortalis: ſed opera merè naturalia nullam habent adæquationem, vel æqualitatem, etiam proportionis, cum prima gratia actuali, quæ eſt ordinis ſupernaturalis; ergo eam mereri non poſſunt de condigno. Rurſus: homo in ſtatu peccati mortalis non eſt in ſtatu apto ad meritum, ut vidimus; ergo &c.

III. Quòd verò nec de congruo poſſit homo primam gratiam actualem mereri, certum eſt etiam de fide, contra Semipelagianos; qui, ut alibi diximus, Pelagianam hæreſim aliqualiter temperare volentes, aſſerebant, nos quidem non poſſe ſinè gratiâ præveniente aliqua opera bona facere: dicebant tamen, ex parte noſtrâ initia quædam fidei, & bonæ voluntatis præcedere, quorum intuitu movebatur Deus ad dandam primam gratiam actualem, puta vocationis ad fidem: ac ſubinde aliquod meritum, ſaltem de congruo, reſpectu primæ gratiæ admittebant. Hic autem error in variis Conciliis, & tandem à Tridentino excuſſus fuit, *Seſs. 6. cap. 5.* docente: *Exordium in adultis à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe; hoc eſt, ab eius vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Ubi ly *nullis* omne meritum, etiam de congruo, excludit; quod convenit cum dicto Apoſtoli Ephef. 1. v. 11. *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ejus.* Quæ omnia merita, & etiam congruitates excludunt: qui enim ſorte vocatur, & eligitur, & ſecundùm propoſitum, omnem præventionem excludit, ut acutè obſervat D. Tho. ibi *Lect.* 4. ſed de his, & de Pelagianorum, ac Semipelagianorum ratiunculis fusè actum eſt citatis locis.

§. II.

Reſolvitur de Prima Gratia Juſtificante.

IV. Dico ſecundò. Gratiam primò juſtificantem ſibi nullus mereri poteſt de condigno. Colligitur ex illo Roman. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius:* & ad Titum 3. v. 5. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Ex quibus patet, quod juſtificatio fit omnino gratuita. Et licèt per actus fidei, ſpei, pœnitentiæ homo ſe ſe diſponat ad juſtificationis gratiam; eam tamen illis actibus de condigno non meretur: quia opera quidem illa proficiſcuntur à Spiritu Sancto movente, at non à Spiritu Sancto inhabitante, ut docet Tridentinum, *Seſſ.* 14. *c.* 4. ac proinde non ſunt opera filii, & amici Dei, ſed tantùm aſpirantis ad filiationem, & amicitiam Dei: atque ita illis deeſt dignitas operantis.

V. Ratio autem Theologica eſt. Quia, quod eſt principium meriti, non poteſt cadere ſub merito, & eſſe effectus meriti; aliàs ſupponeret ſe ipſum, antequam eſſet: ſed gratia juſtificans eſt principium totius meriti de condigno; ergo &c. — Rurſus: non poteſt homo de condigno mereri, niſi ſit Deo gratus, ipſique amicus: ſed actus præcedentes juſtificationem non ſunt actus hominis Deo grati, & amici; quia homo fit Deo gratus, & amicus per gratiam habitualem, ut fusè oſtendimus.

VI.

Digitized by Google

VI. Sed dices primò. Si dicamus, hominem per diſpoſitiones ſupernaturales mereri de condigno gratiam juſtificantem, non convenimus cum Pelagio, qui aſſerebat, eam nos promereri ſolis naturæ viribus: nec contradicimus Paulo, qui negat quidem, juſtificationem fieri ex operibus naturalibus legis, ſed non operibus fidei, qualia ſunt opera ad juſtificationem diſponentia.

VII. Reſpondeo, nos ita loquendo non incidere quidem in errorem Pelagii, ſed in alium ab Eccleſia damnatum, præcipue in Tridentino. *Seſſ. 6. c. 8.* dicente: *Gratis autem juſtificari, ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur.* Ex quo fit, ut etiam reſiſtamus Apoſtolo; qui dum dicit, nos juſtificari gratis, excludit omne meritum de condigno præcedens juſtificationem: fides autem, quæ eam præcedit, eſt fides non adhuc formata, ſeu quæ per dilectionem operatur.

VIII. Dices ſecundò. Saltem contritioni nihil deficit, ut ſit meritoria de condigno gratiæ juſtificantis: ei enim eſt annexa gratia juſtificans, adeſt quoque pactum, & promiſſio de ea homini contrito conferendâ, Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me .... & convertar ad vos.*

IX. Reſpondeo, neg. ant. Contritio enim eſt connexa cum gratia juſtificante, ſicut ultima diſpoſitio cum forma, non ſicut meritum cum præmio. Ei enim deficit conditio ad rationem meriti de condigno, quòd, nempe, fiat ab homine grato, & habeat condignitatem perſonæ: quia procedit, vel à puro auxilio ſupernaturali, ut diximus: vel ſi à gratia habituali, ut aliqui volunt, ab ea tamen procedit ſub munere auxiliantis, ſed non adhuc juſtificantis.

Deus ergo promiſit veniam verè contritis corde, non ut mercedem, & coronam, quomodo promiſit gloriam; ſed ſolùm, ut donum liberale, promiſſione, quâ ſe obligavit ex ſua fidelitate, non ex vera, & ſtrictâ juſtitiâ.

X. Dices tertiò. Licèt prima gratia juſtificans ſit principium meriti, poteſt cadere ſub merito: ſicut Verbi Incarnatio eſt principium totius meriti tàm de condigno, quam de congruo: & tamen eam ſaltem de congruo SS. Patres meruerunt; ergo &c.

XI. Reſpondeo, neg. ant. Ad id, quod additur, diſt. maj. Verbi Incarnatio, ut in intentione, eſt &c. co. ant. Ut in executione, nego majorem. Et diſt. min. Meruerunt eam, ut in executione ponendam, co. min. Ut in intentione, nego min. Incarnatio igitur Verbi ſumi poteſt, ut in intentione; & ſic eſt primum principium meriti in genere cauſæ finalis, cujus proprium eſt, in intentione cauſare: & hoc modo non poteſt cadere ſub merito alicujus. Et ſumi poteſt, ut in executione: & ſic non eſt principium, ſed potiùs effectus meriti Sanctorum Patrum, qui illam de congruo meruerunt. Non repugnat autem, quòd Incarnatio, ut in intentione apprehenſa per fidem à Patribus, fuerit cauſa ſui ipſius, ut in executione ponendæ: ſicut ſanitas in intentione cauſat ſe ipſam in executione. At gratia juſtificans in re, & in executione eſt principium meriti: ſi autem caderet ſub merito, eſſet in eodem ordine executionis cauſa, & effectus meriti, quod repugnat.

XII. Dico tertiò. Eſtò in aliquo ſenſu dici poſſet, hominem per actus ſupernaturales, quibus ſe diſponit ad gratiam, mereri de congruo gratiam juſtificantem: in propria tamen locutione eam neque de congruo meretur. Hanc viam teneo, ut conciliem etiam Noſtrates inter ſe in hoc diviſos. Prior ergo pars probatur. Tùm quia: hoc videtur ſentire S. Tho. in 2. *diſt.* 27. *q.* 1. *a.* 4. *ad* 4. ubi docet, quòd *indignum* ſumi poteſt *negativè tantùm*: *& ſic Deus dat gratiam indignis, quia his, qui non ſunt ſuffi-*

cien-

cienter ad hoc digni; ſed tamen habent aliquam diſpoſitionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodammodo ex congruo gratiam mereri: nec ex hoc ſequitur, quòd ſit injuſtus, ſed liberalis.

XIII. Suaderi etiam poteſt. Quia actus fidei, ſpei, pœnitentiæ, & dilectionis, qui fiunt à Fideli, dum incipit à peccato converti ad Deum, ſunt legitimæ diſpoſitiones ad gratiam juſtificationis, & remiſſionis peccatorum: eos facit Fidelis in obſequium Dei, & gloriam ejus; ergo congruum videtur, quòd Deus tales actus acceptet ad finem, ob quem ab eo fiunt. Congruitate, inquam, non ratione operantis, ſed ratione operum; quia ex gratiæ auxilio fiunt, & tendunt cum aliquali proportione velut præparationes ad gratiam juſtificantem: ideo que dicunt quidam congruitatem ex parte operis. Quia videtur congruum, quòd Deus inveniens in homine diſpoſitiones ad gratiam, gratiam ipſam adjiciat.

XIV. Altera verò pars certior videtur. Nam ad meritum de congruo propriè tale debet congruitas ſe tenere etiam ex parte perſonæ operantis; quatenus congruum eſt, ut perſona digna exaudiatur, & erga eam Deus exerceat ſuam liberalitatem: hanc autem congruitatem diſpoſitiones, præcedentes gratiam juſtificationis, in operante nondum grato Deo, ſupponere nequeunt; ideoque dicendæ ſunt, gratiam impetrare potiùs, quàm etiam de congruo promereri. Et hoc magis cohæret Tridentino citato dicenti, quòd nullus gratiam juſtificationis promeretur per tales diſpoſitiones: & etiam indicavit S. Thomas citatus in 2. *ſent.* dum, eſtò dicat tales actus de congruo mereri gratiam, addit tamen particulam diminuentem *quodammodo*. Et S. Auguſtinus *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 7. dum ait, quòd fides *ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera.* Et *Epiſt.* 106. modò 186. *cap.* 3. ait: *Qui ergo habent fidem, qua impetrent juſtificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem juſtitiæ.* Et Epiſt. 105. modò 194. ad Sixtum cap. 2. *Nec ipſa* (inquit) *remiſſio peccatorum ſinè merito eſt, ſi fides hanc impetrat.* Quid autem diſtet inter meritum, & ſimplicem impetrationem, diximus ſupra. Nam impetratio innititur puræ miſericordiæ, quam Deus etiam erga hominem ſibi non gratum exercet: meritum autem etiam de congruo eſt quodammodo amicabile ſupponens perſonam gratam. Unde D. Tho. 2. 2. q. 83. a. 16. ad 2. *Peccator* (inquit) *non poteſt piè orare, quaſi ejus oratio ex habitu virtutis informetur: poteſt tamen ejus oratio eſſe pia, quantùm ad hoc, quòd petit aliquid ad pietatem pertinens: ſicut ille, qui non habet habitum juſtitiæ, poteſt aliquid juſtum velle... Et quamvis ejus oratio non ſit meritoria, poteſt tamen eſſe impetrativa: quia meritum innititur juſtitiæ; ſed impetratio innititur gratiæ.*

§. III.

Reſolvitur de Merito Primæ Gratiæ alteri.

XV. Dico quartò. Homo juſtus mereri non poteſt alteri primam gratiam, ſive actualem, ſive juſtificantem merito de condigno, benè tamen merito de congruo. Ita D. Tho. hîc *qu.* 114. *art.* 6.

Prima pars ejuſdem ratione probatur. Id homo poteſt de condigno mereri, ad quod divina motio illum movet per gratiam ſanctificantem: ſed homo per hoc donum gratiæ tantùm movetur, ut perveniat ipſe mediante augmento ad vitam æternam: nam per hoc, quòd ipſe per augmentum gratiæ perveniat ad vitam æternam, gratia illi data habet ſuum progreſſum, & terminum adæquatum, & merita ab ipſo comparata adæquatè ſunt remunerata; ergo &c.

Confirmatur. Solus Chriſtus hoc habuit, ut tanquam Caput Eccleſiæ aliis gratiam de condigno mereatur: ideſt

non

Digitized by Google

non ſolùm ut ipſe perveniret ad gloriam vitæ æternæ; ſed etiam, ut alios in eam adduceret, inquantùm eſt Caput Eccleſiæ, & Auctor ſalutis humanæ, ſecundùm illud ad Hebr. 2. Qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis &c. Unde Joan. 1. v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Et Act. 4. v. 12. *Non eſt aliud nomen ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat, nos ſalvos fieri.*

XVI. Imò: quamvis unus purus homo conſtitueretur à Deo caput aliorum, eique gratiam excellentiſſimam ad merendum pro omnibus conferret ad hunc finem; adhuc tamen non poſſet aliis mereri primam gratiam de condigno, ſed ſolùm de congruo: quia gratia illius hominis intrinſecè non contineret gratiam aliorum hominum, ſed ſolum extrinſecè ex ordinatione divinâ. Quòd enim gratia Chriſti gratiam omnibus de condigno promerita ſit; hoc habuit, quia infiniti valoris ex infinita dignitate Perſonæ divinæ merentis, quod non haberet purus homo juſtus, quantâcumque gratiâ exornatus: ideoque in *Tract. de Incarnat.* dicemus, quòd nec poſſet de condigno pro offenſa aliorum ſatisfacere. Et quamvis gratia unius hominis æqualitatem, & condignitatem habeat cum gratia alterius in eſſe entis, & phyſico; non tamen in eſſe morali meriti, & præmii: quia nec ex vi propriâ, neque ex dignitate perſonæ gratiam alterius moraliter contineret.

XVII. Secunda verò pars, quòd unus homo juſtus poſſit, alteri primam gratiam mereri de congruo, traditur etiam à S. Thoma hoc art. 6. *Quia cum homo in gratia conſtitutus implet Dei voluntatem, congruum eſt, ut Deus impleat hominis voluntatem in ſalvatione alterius; licèt quandoque poſſit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis Sanctus juſtificationem deſiderat.* Et ratio eſt: quia meritum, maximè de congruo, eſt quidem ſufficiens, non tamen efficax; cùm poſſit impediri ex parte ejus, cui applicatur. In quo ſenſu loquebatur Jeremias c. 15. v. 1. *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*

XVIII. Confirmatur teſtimoniis S. Scripturæ. Nam Matth. 9. v. 2. *Videns Jeſus fidem illorum* (qui offerebant paralyticum) *dixit paralytico: confide fili: remittuntur tibi peccata tua.* Jacobi 5. v. 16. monemur orare invicem, ut ſalvemur: *Orate pro invicem, ut ſalvemini.* Et ut intelligeremus, orationem iſtam eſſe aliquomodo meritoriam, ſubjungitur: *Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Huc etiam ſpectat illud 1. Joann. 5. v. 16. *Qui ſcit, fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Id quoque exempla confirmant. Sauli converſionem impetravit Stephanus, dicente Auguſtino Serm. 4. de Sanctis, nunc Serm. 382. *Si Martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet:* ſuamque converſionem, Monicam matrem ſuam precibus impetraſſe, teſtatur ipſe *l. 3. Confeſſ. c. 11.*

DUBIUM II.

An poſſit Homo ſibi Mereri, ut Reparetur poſt Lapſum?

§. I.

Reſolvitur quoad Meritum de Condigno.

SEnſus Dubii eſt: An eo tempore, quo homo eſt juſtus, poſſit à Deo mereri, ut ſi contingat, ipſum labi in peccatum mortale, donetur ei pœnitentia, & venia; ſicque reſtituatur in ſtatum gratiæ, in quo erat priùs.

I. Dico primò. Homo juſtus non poteſt de condigno mereri, ut ſi in peccatum labatur, detur ei venia, & reſtituatur in ſtatum gratiæ. Ita S. Th. hâc *q.* 114. *a.* 7. Et probat 1. ex illo Ezech.

Ezech. 18. v. 24. *Si autem averterit ſe Juſtus à juſtitia ſuâ, & fecerit iniquitatem.... omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Falſa autem foret hæc ſententia, ſi quo tempore juſtus eſt homo, de condigno ſibi mereretur reparationem poſt lapſum: quia ſic Deus teneretur dare illi ex juſtitia gratiam reparatricem, & favorabilem, ac magnam habere operum priùs factorum recordationem.

II. Probat autem S. Doct. hac ratione. Ratio meriti de condigno pendet ex motione divinæ gratiæ: ſed iſta motio interrumpitur, & amittitur per peccatum mortale ſequens; ergo non poteſt ſe extendere ad merendam de condigno ſui reſtitutionem poſt lapſum. Peccatum enim interpoſitum inter meritum, & præmium deſtruit in ſubjecto ordinationem ad præmium; facit enim ſubjectum tranſire de grato in ingratum, de digno in indignum: repugnat autem, ſubjectum indignum eſſe ſubjectum capax, & per ſe ordinari ad præmium. Etenim præmium bonorum operum non debetur homini, niſi quatenus eſt in ſtatu gratiæ, per quam ſit juſtus, & Dei amicus: atque dum ſtatum illum perdat per peccatum mortale, nihil præmii reſtat ei debitum.

III. Confirmatur. Nam alioquin ſequeretur, omnes, qui ſemel Juſti fuerunt, & benè per longum tempus operati fuiſſent, etiamſi poſtea in peccata, etiam enormia, lapſi fuiſſent; jus habere ad gratiam habitualem ſibi reſtituendam, ſaltem in fine vitæ: nec ullum eorum moriturum impœnitentem, & fore damnandum. Cùm ergo Concilium Tridentinum ex Scriptura dicat, juſtificationem impii eſſe gratuitam; ita ut nihil eorum, quæ ipſam præcedunt, de condigno illam mereatur (*Seſs. 6. c. 8.*) dici debet, nullum mereri de condigno, ut ſi peccaverit, poſtea iterum juſtificetur.

IV. Dices. Juſtus prædeſtinatus, etſi poſt meritum ſit lapſurus, de condigno meretur gloriam, & adhuc eſt ordinatus ad illam ſuo tempore ſibi dandam; ergo & Juſtus in peccatum lapſurus, mereri poterit reparationem poſt lapſum.

V. Reſpondeo, neg. conſ. Et diſparitas duplex eſt. Prima: quia gloria nunquam datur indigno, ſed ſemper datur digno, per reviviſcentiam gratiæ, & meritorum: ſicque poteſt intelligi meritum gloriæ, etſi motio gratiæ interrumpatur. Cæterum reparatio poſt lapſum danda eſt indigno: ideoque motio gratiæ ad illam nequit ſe extendere. — Secunda diſparitas eſt: quòd peccatum ſubſequens ponit quidem impedimentum actuali conſecutioni gloriæ; non tamen deſtruit ordinem præcedentium meritorum ad gloriam, cum jus meritorium gloriæ maneat in acceptatione divinâ. At peccatum ſubſequens tollit etiam jus aptitudinale ad gratiam, cùm tollat gratiam: atque adeo tollit omnem rationem meriti ad præmium.

§. II.

Reſolvitur de Merito Congrui.

VI. Dico ſecundò. Nec merito congrui poteſt homo mereri, ut reparetur poſt lapſum. Ita S. Thom. citatus, etſi aliqui ſentiant oppoſitum. Id tamen etiam evincit textus Ezechielis laudatus. Si enim poſt Juſti lapſum omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, apud Deum non recordabuntur; quomodo manere poterunt in ratione meriti, ut congruum ſit, hominem, qui ea fecerat, propter ea à lapſu reparari?

VII. Ratio D. Thomæ eſt. Meritum congrui, quo quis meretur alteri primam gratiam, impeditur, ne ſortiatur ſuum effectum, ſi ille, cui meretur, obicem ponat; ergo multò magis impedietur, ſi impedimentum ſit, & in eo, cui meretur, & in eo, qui meretur. Si autem quis de congruo mereretur ſibi, ut dum lapſus eſſet in peccatum, repararetur, jam impe-

Digitized by Google

impedimentum eſſet in eo, qui meretur, eſſet enim in peccato; & in eo, cui meretur, cum, ut ſupponitur, mereretur ſibi.

VIII. Confirm. Nemo meretur, ut tunc retributionem accipiat, quando erit indignus retributione; quod etiam de merito congrui verum eſt, quia fundatur in quadam dignitate perſonæ: ſed cùm Juſtus in peccatum mortale eſt lapſus, eſt indignus retributione; ergo nullo modo meretur, ut ſibi in peccatum mortale lapſo detur, tanquam retributio quædam, gratia, quâ reparetur.

IX. Adverto tamen: quòd cùm, ex ſæpè dictis, meritum congrui ſumi poſſit ſtrictè, & propriè; vel lato modo, ac impropriè, prout dicit puram & ſimplicem impetrationem fundatam in ſola munificentiâ, & liberalitate donantis: ſi hoc, & nihil aliud intendunt Adverſarii, libenter eis concedi poſſet, Juſtum mereri poſſe, ut repararetur poſt lapſum merito congrui, ſeu veriùs, hoc impetrare à miſericordia Dei. Sed ſi ſumant meritum congrui ſtricto modo, conſtanter negandum eſt. Nam hoc fundari debet in aliqua bonâ qualitate operis, habente proportionem congruitatis cum retributione; & inſuper debet eſſe talebous, ut ſit quoddam obſequium ita utile, & gratum ei, apud quem valet; ut ſi quid intuitu hujus operis datur, detur per modum alicujus recompenſæ, vel retributionis, ſaltem gratuitæ, & liberalis: ſic, ut Juſto in peccatum lapſo, per modum aliqualis retributionis, daretur gratia ad pœnitentiam, & tandem juſtificatio. At opera Juſtorum, etſi ſint bona, & in obſequium Dei facta, non habent tamen proportionem ad aliquam recompenſationem tunc recipiendam, quando ipſi fuerint omni retributione prorſus indigni; quales ſunt, dum in ſtatu peccati, & damnationis exiſtunt. — Nec valet, quòd eorum bona opera maneant in divina acceptatione: quia enim ſunt mortificata, non conſequentur mercedem, niſi ipſi ad juſtitiam reparentur, & ſic eorum opera vivificentur. Ut autem reparentur, cadere non poteſt ſub merito.

DUBIUM III.

An Homo Juſtus poſſit ſibi Mereri Augmentum Gratiæ, & Caritatis; & hoc de Condigno.

§. I.

Reſolutio Catholica.

I. Dico. Homo juſtus per bona opera, & obſervantiam mandatorum Dei, de condigno meretur augmentum gratiæ, & caritatis. Hoc docuit Tridentinum, *Seſſ. 6. c. 10.* Et *Can. 32.* ubi anathemate feritur, qui dixerit: *Juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum.* Quem Canonem ſtatuit contra Lutherum, qui cùm diceret, omnia opera hominis, etiam juſti, eſſe in ſe peccata, & ſolùm juſta apparere, quia juſtitiâ Chriſti extrinſecùs illis imputatâ veſtiuntur; Chriſti autem juſtitia incapax augmenti non ſit, conſequens erat, ut negaret, nedum omne meritum, ſed omne gratiæ augmentum. Eſtò autem Concilium non expreſsè ibi affirmet, hominem juſtum mereri augmentum gratiæ de condigno: id tamen ſe intendere ſatis indicat. Tum apponendo ly *verè*. Tum eodem modo loquendo de merito augmenti gratiæ, ac de merito vitæ æternæ; quod certum eſt, eſſe de condigno, juxta mentem Concilii. Tum quia: meritum de condigno illud erat, quod hæretici negabant.

II. Variis Scripturæ textibus hanc veritatem oſtendit Tridentinum, *Seſſ. 6. cap.*

6. *cap.* 10. Ut illud Apoc. ultimo v. 11. *Qui Juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Et Jacobi 2. v. 21. &c. *Abraham Pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum?* Ubi de augmento juſtificationis ſermo eſt: Abraham enim antea erat juſtus per fidem, quâ dicitur, Geneſ. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Et Roman. 4. v. 9. *Reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam.* Unde v. 22. Jacobus proſequitur: *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt?.... Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm?* Et Auguſtin. Epiſt. 106. modò 186. ad Paulinum cap. 3. *Ipſa* (inquit) *gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.*

III. Ratio autem S. Thomæ hâc *qu.* 114. *art.* 8. hæc eſt: Illud cadit ſub merito condigni, ad quod motio gratiæ ſe extendit: ſed motio gratiæ ſe extendit ad augmentum gratiæ; ergo &c. Min. prob. *Motio alicujus moventis non ſolùm ſe extendit ad ultimum terminum motus, ſed etiam ad totum progreſſum in motu. Terminus autem motus gratiæ eſt vita æterna. Progreſſus autem in hoc motu eſt ſecundùm augmentum caritatis, vel gratiæ, ſecundùm illud Proverb.* 4. Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem, *qui eſt dies gloriæ. Sic igitur augmentum gratiæ cadit ſub merito condigni.* Hæc S. Thom.

§. II.

Objectionum ſolutio.

IV. OBiicies primò. Uni merito non reſpondet duplex præmium: ſed merito gratiæ reſpondet gloria ut præmium; ergo non poteſt ei reſpondere augmentum gratiæ.

V. Reſpondeo, diſt. maj. Quorum utrumque ſit terminus meriti, conc. maj. Quorum unum ſit medium ad alterum, ut ad terminum, neg. maj. & diſt. min. nego conſ. *Præmium* (inquit S. Tho. hoc a. 8. ad 1.) *eſt terminus meriti. Eſt autem duplex terminus motus, ſcilicet, ultimus, & medius, qui eſt & principium, & terminus. Et talis terminus eſt merces augmenti.* Qui autem meretur augmentum gratiæ, illud ordinat ad augmentum gloriæ, ut ad terminum, & finem.

VI. Secundò reſpondeo cum eodem S. Tho. *in* 2. *diſt.* 27. *q.* 1. *a.* 5. *in c. & ad* 3. quòd duplex eſt præmium. Unum, quod conſequitur, & concomitatur naturam actus meritorii, quæ eſt, ut ſui exercitio augeat, & perficiat habitum. Alterum eſt, quod exteriùs redditur, ſecundùm proportionem actus. Hoc ſecundum excludit aliud præmium, non autem primum. Nam *ſicut per hoc, quòd aliquis delectationem ex actu virtutis ſentit, non amittit vitæ æternæ præmium, cùm non ſit eadem ratio præmii utrobique: ita etiam per hoc, quòd actum meritorium ſequitur augmentum gratiæ, non impeditur remuneratio, quæ conſiſtit in adeptione gloriæ.* Ita D. Tho. citato loco *ad* 5.

VII. Objicies ſecundò. Gratia prima, & ejus augmentum ſunt ejuſdem rationis: ſed gratiam primam nullus poteſt mereri de condigno, ut vidimus; ergo nec ejus augmentum.

Confirm. ex iiſdem principiis, ex quibus aliquid innaſcitur, & augmentatur: cum igitur principium gratiæ ſub merito non cadat, videtur, quòd nec augmentum ejus.

VIII. Reſpondeo, neg. conſ. Quamvis enim gratia, & ejus augmentum ſint ejuſdem rationis, ejuſdem tamen rationis, nec eſt eadem conditio ſubjecti. Nam is, qui meretur augmentum gratiæ, eſt Juſtus, & amicus Dei; ac proinde in ſtatu, in quo mereri poſſit de condigno. Qui autem ad primam gratiam ſe diſponit, in quantùm talis, nondum eſt Juſtus, nec Dei amicus; ſicque deeſt illi ſtatus, qui ad merendum de condigno eſt neceſſarius.

Digitized by Google

IX. Ad Confirm. eodem modo reſpondeo ex D. Tho. in 2. diſt 27. q. 1. a. 5. ad. 3. *Quod tàm augmentum gratiæ, quàm etiam ipſius infuſio eſt à Deo. Sed tamen aliter ſe habent actus noſtri ad infuſionem gratiæ, & augmentum ipſius. Quia ante infuſionem gratiæ homo nondum eſt particeps divini eſſe: unde actus ſui ſunt omnino improportionati ad merendum aliquod divinum, quod facultatem naturæ excedat. Sed per gratiam infuſam conſtituitur in eſſe divino: unde jam actus ſui proportionati efficiuntur ad promerendum augmentum, vel perfectionem gratiæ.* — Non quidem *quaſi ipſe gratiam ſibi augmentet, cùm augmentum gratiæ à Deo ſit. Sed quia homo poteſt per gratiam acceptam augmentum gratiæ mereri, diſponendo ſe, ut majoris gratiæ capacior fiat.* Ita S. Tho. ibi *ad* 4.

X. Objicies tertiò. Radix meriti eſt gratia, vel caritas: ſed efficacia merendi non poteſt excedere ſuam radicem; ergo nullus poteſt majorem gratiam, vel caritatem mereri, quam habeat.

XI. Reſpondeo primò, diſt. min. Excedere in virtute ſuam radicem, co. min. in quantitate, nego min. Ut enim docet D. Tho. hâc q. 114. a. 8. ad 2. *Augmentum gratiæ non eſt ſupra virtutem præexiſtentis gratiæ, licèt ſit ſupra quantitatem ipſius: ſicut arbor, etſi ſit ſupra quantitatem ſeminis, non eſt tamen ſupra virtutem ipſius.*

XII. Reſpondeo ſecundò cum eodem S. Tho. in 2. diſt. 27. q. 1. a. 5. ad 1. *Quamvis* enim *præmium, quod quis meretur, ſit majus, quàm gratia, quâ meretur; non tamen ſequitur, quòd ſit major efficacia merendi in actu, quàm exigat gratia informans actum. Conſtat enim, quòd per actum meritorium caritate informatum meretur quis caritatem perfectam, qualis eſt caritas Patriæ, quæ longè major eſt caritate viæ, eliciente actum meritorium. Cùm enim dicitur, quòd efficacia merendi in actu meritorio, reſpondet quantitati gratiæ; non intelligitur commenſuratio quantitatis præmii ad principium merendi ſecundùm æqualitatem, ſed proportionalitas quædam actus meritorii ad principium merendi: quia quantò caritas, & gratia major eſt, tantò contingit per actum meritorium majus præmium mereri.*

XIII. Nec tamen hinc inferas, cuilibet actui meritorio ſtatim reſpondere augmentum gratiæ. Nam (ut ait S. Tho. hâc q. 114. a. 8. ad 2.) *Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, ſicut & gratiæ conſummationem, quæ eſt vita æterna. Sed ſicut vita æterna non ſtatim redditur, ſed ſuo tempore: ita nec gratia ſtatim augetur, ſed ſuo tempore, cùm ſcilicet aliquis fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum.*

XIV. Neque etiam inferas, quemlibet actum eſſe de facto meritorium augmenti gratiæ. Nam, ut docet S. Tho. in 2. diſt. 27. qu. 1. a. 5. ad 2. *Quando actus meritorius ſe habet ad præmium, ſolùm in ratione meriti, tunc verum eſt: ſicut quis per unum actum ejuſdem rationis meretur præmium, ita & per alium. Secus autem eſt, quando actus meritorius ſe habet ad præmium, non ſolùm ut meritum, ſed quodammodo ut cauſa: & ſic ſe habet actus meritorius ad augmentum gratiæ. Unde non oportet, quòd quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur; quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu conſequitur augmentum habitus: ſed ſolùm in illo actu, quo quis utitur acceptâ gratiâ ſecundùm proportiones ſuarum virium, ut in nullo gratia Dei deſit per negligentiam.*

§. III.

Duo Quæſita reſolvuntur.

XV. Quæritur primò: An quò perſona eſt magis Deo grata, eò, cæteris paribus, majus præmium de condigno mereatur; ita ut, ſi duo faciant idem opus

per

per omnia æquale, unus tamen ſit altero dignior, ſeu ſanctior; ille magis mereatur, quia majorem habet dignitatem, ſeu ſanctitatem.

XVI. Reſpond. ſententiam affirmativam videri probabiliorem. Dummodo tamen in opere perſonæ dignioris concurrant cætera ad meritum requiſita, & præcipuè imperium caritatis, non purè habituale, ſed vel actuale, vel virtuale: ita ut ex duobus æquali caritatis influxu operantibus, ille, qui habitualiter Deo eſt magis gratus, & amicus, majus præmium à Deo mereatur, non ſolùm de congruo, ſed etiam de condigno.

XVII. Et quidem perſonam magis Deo gratam æquali caritatis influxu operante facilius impetrare, & magis, ſaltem de congruo, mereri, patet ex *Gen.* 20. de Abraham. *Exodi* 17. de Moyſe, & alibi. *Joſue* 10. de ipſomet. 1. *Reg.* 7. de Samuele. *Dan.* 3. de Abraham, Iſaac, & Jacob. Et ratio eſt: quia opera, & obſequia amicorum ſunt gratiora, quàm aliorum, & magis defertur petitionibus eorum, qui ſunt magis intimi.

XVIII. Quòd autem major dignitas perſonæ conducat etiam ad majus merendum de condigno, æquali opere, probatur. Tùm quia: ex dictis ſtatus gratiæ eſt una ex conditionibus ad meritum de condigno requiſitis; cùm dignitas filiorum Dei evehat opera, quæ per gratiam Dei operantur, ad condignitatem vitæ æternæ. Tum quia: cùm actiones ſint ſuppoſitorum, idest, non conſiderentur quaſi nudè, & per ſe, ſed ut profecta à ſuppoſitis, ſeu perſonis; eo ipſo, quòd perſona aliquam actionem facit in obſequium alterius, non tantùm offert ſuam actionem, ſed & quodammodo ſeipſam, & ſua obſequia dedicat. Qua ratione cùm dignitas Perſonæ in Chriſto eſſet infinita: & hanc in operibus Humanitatis Chriſtus exhiberet Patri, operationes Chriſti erant dignitatis infinitæ. Si ergo dignitas perſonæ confert ad dignitatem operis, non video, cur major perſonæ dignitas non conducat, cæteris paribus, ad majus meritum, etiam de condigno.

XIX. Nec valet opponere, quòd dignitas Perſonæ in Chriſto erat ſubſtantialis, in nobis eſt accidentalis — Nam hæc differentia non videtur obſtare, ſervatâ tamen proportione. Quia ſi dignitas ſubſtantialis Perſonæ influebat in actiones Humanitatis Chriſti finitas meritum infinitum; ergo dignitas perſonæ influit ad meritum; ergo quò major erit perſonæ dignitas, eò majus, cæteris paribus, erit meritum, etſi dignitas ſit accidentalis. Regia enim dignitas eſt quid accidentarium: & tamen nemo dubitat, quin Regis actiones pluris æſtimentur, quàm unius de infima plebe.

XX. Neque dicas: ſi peccatum, quod committitur à perſona viliore non meretur ex hoc majus ſupplicium; ergo nec bonum opus, quod fit à perſona digniori, meretur majus præmium. — Nam vilitas perſonæ non auget peccatum, nam ex hac nullam trahit circumſtantiam, quæ illud aggravat: illud tamen auget dignitas perſonæ peccantis, hæc enim, cæteris paribus, aliquid addit peccatum gravificans. Eâdem ergo ratione dignitas perſonæ dignificabit bonum opus, ut mereatur majus præmium: quia omnibus penſatis eſt melius, & gratius.

XXI. Nec obeſt, Deum reddere unicuique ſecundùm opera ſua — Nam hoc intelligitur de operibus ſecundùm omnes ſuas circumſtantias, inter quas una eſt perſonæ dignitas coram Deo. Hoc enim ipſo, quòd Deus promiſit præmium iis, qui fuerint in ſtatu gratiæ, & ita condignitatem habeant ad illud; rectè colligitur, promiſiſſe majus præmium habentibus per gratiam excellentiorem majorem condignitatem.

XXII. Quæritur ſecundò: An opus, quod homo juſtus facit ex gratia Chriſti, magis ſit meritorium, quàm eſſet, ſi æquale opus fieret ex gratia æqualis gradus, ſed non datâ ex Chriſti meritis?

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Reſpondeo, probabiliorem eſſe partem affirmativam. Tum quia: credibile eſt, Patrem æternum particulariter reſpicere ad merita Chriſti; ut ejus intuitu majorem nobis largiatur vim merendi, quàm ſinè eo dediſſet. Tum quia: Juſti modò operantur tanquam viva membra corporis hujus, cujus caput eſt Chriſtus; ideoque, ut Chriſto conjuncti, cenſentur majorem aliquam dignitatem participare, quam alioquin non haberent. Unde ait Paulus, *Rom.* 5. *v.* 20. & 1. *ad Tim.* 1. *v.* 14. quòd per Jeſum Chriſtum *Superabundavit gratia*.

XXIV. An verò dici poſſit, quòd cum meremur, benè operando, ipſe Chriſtus in nobis mereatur, ſicut Spiritus Sanctus dicitur loqui in nobis, *Matth.* 10. *v.* 20. & alibi. — Reſponſio ex modo explicandi pendet. Si enim fiat ſenſus, Juſtos non mereri, ſed ſolùm Chriſtum, ſenſus hæreticus eſt; quia, ut oſtendimus, fidei dogma eſt, Juſtos propriè mereri.

Si ſenſus ſit: quòd Chriſtus ſit cauſa principalis noſtrorum meritorum, quodque omne noſtrum meritum ex ipſo ſit, neque ullum meritum ſinè ejus gratiâ in nobis ſit, veriſſimè dicitur.

Similiter ſi dicatur, Chriſtus mereri in nobis: quia cum ſumus ejus viva membra, actiones membrorum, ut talium, tribuantur ipſi, ut capiti; ab aliquibus admittitur: rectius tamen diceretur, nos mereri in Chriſto.

Si tandem ſenſus fiat, Chriſtum mereri in nobis, quia ipſe, vel ſibi, vel nobis per noſtras actiones acquirat mercedem (quod eſt propriè mereri) ſic non meretur nobis, cùm ſit extra ſtatum merendi.

DUBIUM IV.
& Ultimum.

Utrum Homo poſſit Perſeverantiam Mereri.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. SErmo eſt de perſeverantia actuali, ſeu de magno illo perſeveran iæ dono, quo homo realiter, & cum effectu in gratia uſque ad finem vitæ perſiſtit, ſeu ſtatum gratiæ cum morte conjungit; de quo in *Tract. de Neceſſitate Gratiæ*, ſuperiùs actum eſt. Et ſermo eſt de perſeverantia viæ: nam de perſeverantia Patriæ docet S. Thom. hâc *q.* 114. *a.* 9. poſſe hominem eam mereri, etiam de condigno. Nam ultimus terminus divinæ motionis poteſt cadere ſub merito de condigno: ſed perſeverantia Patriæ ad illum pertinet; cùm de ratione beatitudinis, ac vitæ æternæ, quæ eſt ultimus terminus motionis divinæ, ſit perpetuitas, ut oſtendimus *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Ultimo Fine. Q.* 2. *Dub.* 7. ergo &c. Quare ſicut homo poteſt mereri de condigno vitam æternam, ita mereri poteſt perſeverantiam in illa. De perſeverantia ergo viæ

II. Dico. Perſeverantiam viæ nullus homo de condigno mereri poteſt. Ita S. Thom. *a.* 9. citato, & omnes Catholici. Probatur hoc diſcurſu S.Th. Illud non poteſt cadere ſub merito de condigno, quod comparatur ad motum liberi arbitrii, ut à Deo movente directi, tanquam principium; quia principium meriti non cadit ſub merito: atqui perſeverantia viæ comparata ad motum liberi arbitrii noſtri, tenet ſe ex parte principii: quia perſeverare includit continuum Dei auxilium, Juſtum in juſtitia conſervans, movens, ac dirigens ad continua pietatis opera, & maximè in ultimo vitæ;

tæ; ergo eam mereri non poteſt de condigno.

III. Confirmatur. Id, quod cadit ſub merito, eſt effectus meriti: ſed principium motus liberi arbitrii à Deo directi eſt cauſa meriti; nec poteſt unum, & idem ſimul eſſe cauſam, & effectum ejuſdem meriti.

IV. Probatur ſecundò, ex eodem S. Thom. ibi in *Arg. ſed contra.* Sic. Omne, quod quiſpiam apud Deum meretur de condigno, infallibiliter conſequitur, niſi ponat impedimentum peccati: ſed multi habent opera meritoria, qui non conſequuntur perſeverantiam; ergo &c. *Nec poteſt dici, quod hoc ſit propter impedimentum peccati: quia hoc ipſum, quod eſt peccare, opponitur perſeverantiæ; ita quòd ſi aliquis perſeverantiam mereretur, Deus non permitteret, illum cadere in peccatum.* Cum ergo viri totâ ferè vitâ multa, atque excellentiâ virtutis opera patrarunt, multaque pro Chriſto ſuſtinuerunt; in fine tamen donum perſeverantiæ non acceperint, ut conſtat in Origene, & aliis; dici debet, donum perſeverantiæ non cadere ſub merito de condigno.

V. Probatur tertiò. Nullus à Deo mercedem meretur de condigno, quam ipſe non promiſit: non invenitur autem, promiſiſſe uſquam, quòd benè operantibus dabit in hoc ſeculo perſeverantiam: quin potiùs monentur omnes: *Servite Domino in timore.* (Pſalm. 2. v. 11.) Et (1. Cor. 10. v. 12.) *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* Ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Et Chriſtus voluit, ut omnes, nemine excepto, orent, ac petant: *Et ne nos inducas in tentationem;* igitur &c.

VI. An verò poſſit quis donum perſeverantiæ mereri ſaltem de congruo: dico. quòd ſi meritum de congruo ſumatur ſtrictè, non poteſt illud mereri; cùm nemo, nec de congruo, poſſit mereri principium meriti, qualia ſunt principia ad actu perſeverandum. Si verò meritum de congruo ſumatur lato modo, pro ſimplici impetratione; ſic orando poteſt Juſtus à Dei miſericordia perſeverantiæ donum impetrare: ſicut ſupra diximus, poſſe hoc modo etiam gratiam juſtificantem à Deo impetrare, quia impetratio in ſola miſericordiâ fundatur.

VII. Adverto tamen: quòd ſi nomine perſeverantiæ ſumatur tota ſeries, & collectio auxiliorum ab initio primæ juſtificationis uſque ad mortem, ſic perſeverantia nequit cadere ſub merito, nec ſub impetratione; quia totum meritum, & impetratio eſt effectus alicujus auxilii in illa collectione contenti, quod eſt principium meriti, vel impetrationis: principium autem meriti, vel impetrationis nequit cadere ſub merito, vel impetratione proveniente à tali principio. Unde in præſenti locuti ſumus de perſeverantia, quatenus præciſè includit conjunctionem gratiæ cum morte; quam ſi non mereri neque de congruo poſſumus, poſſumus tamen, noſtris orationibus impetrare.

§. II.

Objectiones Solvuntur.

VIII. OBiicies primò. Juſtus poteſt de condigno mereri vitam æternam; ergo etiam illa, quæ ad eam conſequendam ſunt neceſſaria: inter quæ præcipuum eſt donum perſeverantiæ.

IX. Reſp. diſt. conſ. Etiam illa, quæ ſe tenent ex parte termini motus, con. conſ. Quæ ſe tenent ex parte principii motus, nego conſ. Perſeverantia ergo ſe tenet ex parte principii merendi ut dictum eſt: principium autem merendi nequit eſſe effectus meriti.

Sed præterea obſervo: quòd perſeverantia non eſt neceſſaria ad vitam æternam merendam, ſed tantùm ad vitam æternam conſequendam. Juſti autem, etſi abſolutè mereantur vitam æternam, vitæ tamen æternæ conſe-

cutio-

Digitized by Google

cutionem non merentur abſolutè, ſed *ſi in gratia deceſſerint*, ut ex Trident. *Seſs. 6. c. 16.* & *Can. 32.*

X. Objicies ſecundò. Poteſt Juſtus alteri mereri perſeverantiam; ergo & ſibi.

Reſpond. diſt. antec. Merito de condigno, & de congruo propriè tali, nego ant. Lato modo, nempe, impetrando, conc. antec. & conſ. Reſponſio eſt D. Thom. hoc *art. 9. ad 1.* his verbis: *Etiam ea, quæ non meremur, orando impetramus. Nam & peccatores Deus audit peccatorum veniam petentes, quam non merentur.... alioquin fruſtra dixiſſet Publicanus:* Deus propitius eſto mihi peccatori, *ut dicitur Lucæ 18. Et ſimiliter perſeverantiæ donum aliquis petendo à Deo impetrat, vel ſibi, vel alii, quamvis ſub merito non cadat.*

XI. Objicies tertiò. Juſtus poteſt ſibi mereri de condigno augmentum gratiæ, ut credimus; ergo etiam perſeverantiam in gratia.

Reſpondeo, conc. ant. neg. conſeq. Nam augmentum gratiæ, ſicut & perpetuitas, quæ eſt de ratione beatitudinis, habent ſe ad meritum, ut terminus; iſta quidem, ut ultimus, ſeu ut pertinens ad ultimum, illud autem ut proximus: & ideo poſſunt cadere ſub merito. Donum autem, quo Deus faciat, Juſtum continuè in bono perſeverare, pertinet ad cauſam, & principium meriti, & non eſt ejus terminus: cùm continuatio motus, & motio moventis, facientis ut motus continuetur, non ſit terminus motus, ſed ad ejus principium pertineat.

XII. Objicies quartò. Juſtus per unum, vel plura bona opera, poteſt mereri unum aliud opus bonum ſubſequens, ſeu auxilium efficax ad illud faciendum. Rurſus: per iſtud opus ſubſequens poteſt mereri auxilium efficax ad aliud; per iſtud aliud: & ſic uſque ad mortem; ergo poteſt mereri perſeverantiam.

XIII. Reſpondeo, neg. antec. Non enim poteſt juſtus per actum præteritum, ſive in præſenti factum, de condigno mereri aliquod auxilium efficax, ſequenti tempore dandum pro alio actu faciendo. Gratia enim, quam Deus ſolet in hoc ſeculo impertiri non habet vires ad merendum id, quod ſe tenet ex parte principii merendi: nec inter actus priores, ac poſteriores, vel inter auxilium priùs datum, & poſteriùs dandum, nec per ſe, nec ex divina promiſſione datur ordo meriti ad mercedem.

XIV. Objicies quintò. Peccator poteſt mereri obſtinationem in malo; ergo & Juſtus perſeverantiam in bono.

Reſpondeo, neg. conſ. Quamvis enim homo gratiam poſſit demereri, obſtaculum ei ponendo; eam tamen non poteſt accerſere, & mereri: ſicut homo poteſt quidem, à ſe avertere lumen Solis, illud tamen ad ſe advocare non poteſt. Deinde ad ant. dico, nullum in hac vitâ ſecundùm ordinariam providentiam eſſe omnino obſtinatum, ſic ut non poſſit à peccato recedere; quamvis mereatur, ut Deus illum in peccato relinquat: quia peccatum mortale ex natura ſuâ dignum eſt pœnâ æternâ.

XV. Objicies tandem. Juſtus poteſt mereri ſpiritum orandi, ſicut oportet, pro perſeverantia: ſed qui petierit, ſicut oportet, infallibiliter conſequetur, juxta illud: *Petite, & dabitur vobis*, Matt. 7. v. 7. ergo &c.

XVI. Reſpond. neg. maj. Non enim apparet, Juſtum mereri poſſe de condigno ſpiritum orandi, ſicut oportet, pro perſeverantia; cùm ad orandum, ſicut oportet, pro perſeverantia, neceſſaria ſit oratio perſeverans: orationis autem perſeverantia non eſt propoſita, ut merces propriè dicta præcedentium orationum, vel operum. Si tamen non ſit ſermo de merito condigni, ſed congrui latè ſumpti, ſeu de ſimplici impetratione; ſic, ut dictum eſt, Juſtus impetrare poteſt bonis operibus ſpiritum orandi pro perſeverantia, & orando perſeverantiam ipſam: & in hoc ſenſu dicit S. Aug.

l. de

Digitized by Google

I. de dono Perſever. c. 6. *Hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt*. Imò ad illud obtinendum, totam ferè orationem Dominicam tendere oſtenderat capitibus præcedentibus: ſed impetrare non eſt propriè mereri, etiam de congruo, eſt dictum ſæpè. Quapropter inceſſanter Deus à nobis orandus eſt, ut & ſpiritum orandi, ſicut oportet, pro perſeverantia nobis concedat, & perſeverantiam ipſam miſericorditer largiri dignetur: ut enim docet Auguſtinus citatus, cap. 1. *Utrum quiſque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum eſt*. His ergo præſenti Tractatui, ac univerſæ Primæ Secundæ Angelici noſtri Doctoris terminum figimus.

Finis Tomi Tertii, & Ultimi in Primam Secundæ, Ordine Noni.

INDEX

Eorum, quæ in hoc Tertio Tomo in Primam Secundæ, ordine Nono, viſa ſunt notatu digna.

A

Actio productiva gratiæ eſt præſtantiſſima, licet non ſit creatio. *pag.* 186.
Actus fidei, ſpei, timoris, & attritionis, quibus peccator incipit ſe diſponere ad juſtificationem, ſunt boni, & laudabiles. 31. — Actus humanus, ut ſit moraliter bonus, non requiritur, ut expreſsè referatur in Deum, ut ultimum finem. 35. — Actus merè naturalis non eſt impetratorius gratiæ. 94. — Actus contritionis, & caritatis non habent in ſe vim juſtificandi formaliter, ut vult Vaſquez. 213. Fundamenta ejuſdem ſoluta. 215. 216. Nec etiam eſt forma partialis noſtræ juſtificationis. 218. Actus contritionis, & caritatis nec de potentia Dei abſolutâ poſſunt hominem juſtificare formaliter. 218. 210. Sunt, ſecundum aliquos, forma deletiva peccati venialis. 223. — Actus noſtri præcedentes juſtificationem, & procedentes ex motione Spiritus Sancti, quomodo connectantur cum gratia juſtificante. 236. — Actus, ut ſit meritorius vitæ æternæ coram Deo, debet eſſe liber libertate indifferentiæ. 258. 269 Debet eſſe actus formalis, & poſitivus. 269. 270. Debet eſſe bonus, & laudabilis. 270. Debet fieri in obſequium Dei. 271.
Adoptare creaturam rationalem in filium Dei non eſt proprium alicujus Perſonæ divinæ, ut diſtinctæ ab aliis. 163. 164. Adoptari eſt proprium creaturæ rationalis. 165.
Adoptio quid ſit. 158. In filium Dei conceſſa per merita Chriſti etiam iis, qui juſtificabantur in lege veteri. 158. Fit, tamquam per formam, à gratia juſtificante. 159.
Æquilibrium virium ad libertatem indifferentiæ requiſitum à quibuſdam Recentioribus, rejicitur. 139. & ſeq. Cognitum fuit à S. Auguſtino, ut à Pelagio adinventum. 140.
Ambroſii Catharini opinio de certitudine, quam homo viator habere poteſt de propria juſtificatione. 188.
Amor Dei duplex, naturalis, & ſupernaturalis: efficax, & inefficax. 43. 44. Item amicitiæ, & concupiſcentiæ. 44. — Amor Dei ſuper omnia appretiativus, & efficax eſt actus omnium præſtantiſſimus. 46 — Amor naturalis Dei in Dæmonibus, & Pueris in Limbo, qualis ſit. 48. Amor Dei auctoris naturalis efficax, & ſuper omnia quale auxilium ſpeciale Dei requirat. 50. & ſeq. In homine lapſo, eſt incompatibilis cum peccato mortali indirectè. 52. — Amor divinus quomodo ſit prior dono gratiæ. 146.
Angeli ſunt quodammodo cauſa inſtrumentalis noſtræ gratiæ. 178.
Anima rationalis, ſecundùm eſſentiam, eſt ſubjectum immediatum gratiæ habitualis. 172. 173.
Animæ Purgatorii, probabilius eſt, quòd nec de congruo mereantur aliis. 272.
S. Auguſtinus, nomine gratiæ appellat quodcumque beneficium gratis, & liberaliter à Deo homini conceſſum. 1. Fatetur, ſe aliquando erraſſe, cum

cum cenſeret, ad credendum ſufficere externam prædicationem veritatis. 6. Suſtinet, etiam ad initium Fidei interius auxilium gratiæ per Chriſtum ſimpliciter, & abſolutè requiri. 8. 10. Aſſerit, gratiam juſtificationis eſſe gratiam per Chriſtum. 14. Omnia bona hominem habere à Deo. 15. Gratiam actualem ſpecialem per Chriſtum requiri ad omne opus bonum ſalutare. 25. Deum quandoque peccatores exaudire. 30. Homines infideles aliqua opera bona moralia facere. 33. 34. Continentiam Polemonis fuiſſe opus Dei. 34. Quo ſenſu dicat, fidem ad omne opus bonum deſiderari. 36. 37. Docet, non poſſe hominem lapſum Deum auctorem naturæ efficaciter ſuper omnia diligere, ſinè auxilio ſpecialis gratiæ. 49. Concupiſcentiam occaſionaliter augeri per legem. 55. Deum homini non præcipere impoſſibilia. 59. Dilectionem Dei præcedere obſervantiam mandatorum. 61. Hominem juſtificatum adhuc indigere gratiâ Dei auxiliante ſpeciali ad rectè vivendum. 62. Nullum eſſe præceptum, quod in hac vitâ non poſſit per gratiam Dei obſervari. 67. Tentationem non poſſe vinci, ex amore Dei, ſine Chriſti gratiâ. 69. Hominem poſſe vincere gravem tentationem ex motivo humano, pravo; imò & multa mala pati: ſecus ex motivo honeſto ſinè gratiâ. 73. Tradit, hominem in natura lapsâ, ſinè Dei ſpeciali privilegio, poſſe eſſe ſinè omni peccato etiam veniali. 81. 82. 85. 86. Hujuſmodi privilegium non peccandi venialiter ſoli B. Virgini concedit. 84. 85. Gratiam non dari ſecundum merita noſtra. 91. 95. Gratiam actualem ad ſingula opera bona dari. 96. 99. Hancque eſſe efficacem. 97. Excitantem, prævenientem, & adjuvantem. ibi. & 98. Opus bonum totum tribui gratiæ, & totum libero arbitrio. ibi. Docet, perſeverantiam finalem eſſe donum Dei. 102. Et quidem ſpeciale, & diſtinctum à gratia habituali, & communibus auxiliis. 103. 104. 105. 106. Voluntatem non velle perſeverare, niſi à Domino fuerit præparata. 106. Et quidem auxilio ſpeciali efficaciter faciente illam velle, & perſeverare. ibi. & 107. Non eſſe quærendum, cur Deus uni det finaliter perſeverare, alteri non. 108. Mortem volitam, ad obtinendam gloriam cœleſtem, eſſe effectum ſpecialem prædeſtinationis. 111. Sentit, Hominem in ſtatu innocentiæ indiguiſſe ſpeciali auxilio Dei, quo perſeveraret uſque in finem ſtatus viæ. 111. 112. 113. Tradit diviſionem gratiæ actualis in operantem, & cooperantem. 120. 121. Agnoſcit diviſionem gratiæ in prævenientem, & ſubſequentem. 124. In excitantem, & adjuvantem. 126. 127. Admittit gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtarum. 129. Negat, efficaciam gratiæ deſumi à conſenſu voluntatis creatæ. 135. 136. — Aſſerit, Deum non ſupponere, ſed facere in nobis congruitatem, ad gratiam ſuſcipiendam. 137. Gratiam ab intrinſeco efficacem non lædere, ſed facere noſtram libertatem. 139. Recenſet, & rejicit æquilibrium virium ad peccandum, & non peccandum, aſſertum à Pelagio. 140. 141. Docet, gratiam juſtificantem eſſe donum à Deo nobis proveniens intrinſecum. 145. 148. Neminem in hac vitâ poſſe eſſe omnino certum, ſe eſſe in gratia. 190. Nec ſe eſſe prædeſtinatum ad gloriam. 198. 199. Explicat, quid ſit hominem juſtificari. 202. Docet, omne peccatum verè tolli per Baptiſmum. 207. Quomodo dicatur Deus negare peccata. ibi. Adultum ſe diſponere ad gratiam juſtificationis, per motus liberi arbitrii à Deo moti, & excitati. 235. Fidem requiri ad juſtificationem. 238. Illamque eſſe aſſenſum intellectus rebus revelatis præſtitum. 241. Timorem

divinæ juſtitiæ requiri ad juſtificationem innoxii. 247. Fidem mereri de congruo gratiam bene operandi. 255. Opera Juſtorum mereri de condigno coram Deo. 256. 257. Quâ ratione vita æterna ſit merces, & gratia. 258. Qualiter Deus dicatur debitor nobis 259. Juſtum orando impetrare poſſe donum perſeverantiæ. 207.

Auxilium Dei ad operandum duplex, ideſt, generale, & ſpeciale. 11. Generale neceſſarium eſt homini, ut cognoſcat quamlibet veritatem etiam naturalem. 12. Poteſt peti à Deo, & obtento, quis poteſt gratias Deo agere. 16. Auxilium Dei generale ad aliquod opus bonum morale eſt debitum naturæ humanæ lapſæ, & quomodo. 40. 41. 42. Auxilium ſpeciale requiſitum ad diligendum efficaciter ſuper omnia Deum authorem naturæ in ſtatu lapſus, per ſe poteſt eſſe ordinis naturalis, per accidens debet eſſe ſupernaturale. 50. & ſeq. Auxilium ſupernaturale requiritur ad implenda præcepta ſupernaturalia. 65. 66. Item ad naturalia, ſi ordinentur ad ſalutem. ibi.

B

Bajus cenſuit, ad omne opus bonum morale requiri gratiam habitualem, & imperium caritatis. 24. Ejuſdem tres popoſitiones damnatæ à S. Pio V. 20. Rejicit diſtinctionem amoris naturalis, & ſupernaturalis Dei. 43. Senſit, Pelagium, non verò Auguſtinum, dixiſſe, Deum nil impoſſibile homini præcipere. 67. Ejuſdem quædam propoſitiones aliæ damnatæ. 70. 220. 246. 274. 283.

Beata Virgo Maria privilegium habuit, nunquam peccandi venialiter. 85. 89.

C

Calvinus ſenſit, omnia opera hominis, etiam juſtificati, eſſe peccata. 24. Ejus argumenta, ex Scripturis & PP depromta, ſolvuntur. 27. 28. Sentit, gratiam Dei juſtificantem nil aliud eſſe, quàm Dei favorem extrinſecum. 144. Docet, in juſtificatione peccata non vere tolli, ſed tegi. 204. Quomodo explicet, hominem juſtificari. 200. Ejus fundamenta ſoluta. 211. 212. Aſſerit, hominem, dum juſtificatur, nil agere, ſed merè paſſive ſe habere. 235. Fidem ſolam juſtificare. 238. 239. Opera Juſti non poſſe mereri de condigno coram Deo. 255.

Caritas realiter diſtinguitur à gratia habituali. 166. & ſeq. Objectiones in contrarium ſolutæ. 168. 169. 170. Caritas quomodo dicatur forma virtutum. 169. Poteſt realiter ſeparari à gratia. 176. Quomodo operiat multitudinem peccatorum. 208. Caritatis actus formaliter non juſtificat. 214. 215. Objectiones contra hoc ſolutæ. 215. & ſeq. Neque etiam, ut forma partialis. 218. Non poteſt etiam de abſoluta Dei potentiâ formaliter juſtificare. ibi.

Cauſa finalis totius gratiæ ultima eſt Deus, non ultima gloria Chriſti, & vita æterna Juſti. 177. Materialis eſt anima rationalis. ibi. Exemplaris primaria gratiæ noſtræ eſt Deus, ſecundaria Chriſtus. ibi. & 178. Meritoria eſt Chriſtus. 178. Efficiens inſtrumentalis eſt humanitas Chriſti, & Sacramenta. ibi.

Chriſtus habuit gratias gratis datas per modum habitus. Ut homo non poteſt principaliter phyſicè producere gratiam in nobis. 179. 183. 184. Quomodo dicatur factum fuiſſe peccatum pro nobis. 212. Chriſtus per quantam dilectionem meruit. 259. Non neceſſariò; ſed liberè mortuus eſt. ibi. Cur etiam dormiens merebatur. 271. Chriſtus ſolus habuit, ut aliis mereretur de condigno gratiam primam. 287.

Concilium Tridentinum definit, ad actum fidei, eur oportet, neceſſariò Dei auxilium gratiæ requiri. 6. Arauſican. II. decernit, etiam initium

tium

Digitized by Google

tium fidei, eſſe per gratiam interiorem Dei. 9. Tridentinum quo ſenſu dicat, fidem eſſe ſalutis initium. 10. Milevitanum, & Arauſicanum II. Quo ſenſu dicant, neceſſariam eſſe gratiam per Chriſtum ad cognoſcendas veritates morales naturales. 15. Tridentinum damnat dicentes, omnia opera ab homine facta ante juſtificationem eſſe peccata: imò & ab homine juſto. 25. Conſtantienſe damnat quoſdam errores Joan. Wicleff. & Joan. Hus. 29. Milevitanum, & Arauſicanum II. docent, omnem amorem Dei ſuper omnia, eſſe donum Dei. 46. Milevitanum, & Carthaginenſe I definit, hominem lapſum non poſſe ſine ſpeciali auxilio implere totam legem naturæ. 55. 56. Tridentinum definit, nullum eſſe præceptum, per Dei gratiam, impoſſibile obſervatu. 67.—Concilia quo ſenſu tribuant ſoli gratiæ divinæ victoriam tentationum. 71. Tridentinum ſtatuit, neminem etiam juſtum, poſſe ſinè ſpeciali Dei privilegio vitare, per totam vitam, omnia peccata etiam venialia. 82. Hujuſmodi privilegium ſoli B. V. Mariæ tribuit. ibi. Neminem ſinè auxilio gratiæ moventis poſſe ſe præparare, & conſequi gratiam juſtificationis. 91. Arauſican. II. Sanxit, neminem viribus naturæ ullo modo ſe diſponere ad primam gratiam. 92. Donum perſeverantiæ finalis ſemper eſſe implorandum à Deo. 103. Tridentinum ſentit, perſeverantiæ doni efficaciam, & indelebilitatem eſſe à divina omnipotentiâ, non à conſenſu voluntatis humanæ. 104. Deum paratum eſſe omnibus perſeverantiam conferre. 114. Admittit diviſionem gratiæ actualis in excitantem, & adjuvantem. 126. Definit, gratiam juſtificantem eſſe homini quid intrinſecum, & non tantùm extrinſecum favorem Dei. 144. Innuit, gratiam juſtificantem eſſe accidens. 149.—Concil. Viennenſe cenſet, probabilius eſſe conferri in Baptiſmo etiam parvulis gratiam informantem, & virtutes. 151. Tridentinum cenſet, Adultos liberè evehi in juſtificatione, ad filiationem adoptivam Dei. 158. Unicam cauſam formalem noſtræ juſtificationis eſſe gratiam juſtificantem. 159. Satisfactionem Chriſti eſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis. 160. Videtur ſentire, gratiam habitualem, & caritatem realiter inter ſe diſtingui. 166. Aſſerit, Cauſam finalem noſtræ juſtificationis eſſe gloriam Dei, Chriſti, & vitam æternam. 177. Cauſam meritoriam eſſe Chriſtum. 178. Efficientem principalem eſſe Deum. ibi. Neminem in hac vita poſſe certò credere, certitudine fidei divinæ, ſe eſſe in gratia, abſque ſpeciali revelatione. 198. Nec ſe eſſe prædeſtinatum ad gloriam. 199. Enumerat cauſas juſtificationis peccatoris. 201. Deſcribit noſtram juſtificationem. 203. Definit, per Baptiſmum omnia peccata verè tolli, nilque remanere damnationis in renatis. 205. Docet, juſtificationem non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem. 211. Formaliter eſſe per ſolam gratiam habitualem. 214. Definit contritionem. ibi. Statuit, hominem adultum diſponi ad juſtificationem per motus liberi arbitrii à Deo moti, & excitati. 235. Damnat eos, qui dicunt, ſolam fidem juſtificare. 244. Statuitque, alios actus requiri. ibi. & 247. 248. 249. Eoſque recenſet. ibi. Cenſet, ad juſtificationem impii requiri odium, ac deteſtationem peccati. 249. Propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum, vitæ emendandi, & ſervandi præcepta Dei. 250. Docet, opera Juſtorum mereri verè de condigno apud Deum etiam vitam æternam. 255. 256. 258.—Concilium Lateran. III. idem docet. 257. Item Florentinum. ibi. Tridentinum aſſerit, opera bona meritoria non dare

occaſionem ſuperbiendi, ſed humiliandi coram Deo. 267. Requirit ad meritum coram Deo gratiam juſtificantem in perſona merente. 273. Agnoſcit promiſſionem Dei de danda Juſtis gloriâ, ut mercede, pro meritis. 282. Definit, hominem non poſſe mereri ſibi primam gratiam actualem. 285. Juſtum mereri per bona opera augmentum gratiæ. 290.

Concupiſcentia augetur occaſionaliter per legem. 55.

Contritio actualis non eſt cauſa formalis noſtre juſtificationis. 214. 215. Quę opponuntur contraria ſolvuntur. 215. 216. 217. Nec poteſt eſſe etiam de potentia Dei abſolutâ. 218. — Contritio, quæ eſt ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, non procedit ab iſta efficienter. 251. Non eſt meritoria de condigno gratiâ juſtificante. 286.

Converſio ad Deum auctorem naturalem non poteſt baberi ab homine peccatore, ſinè auxilio ſpeciali ſupernaturali. 50.

Corpus cur capax animæ rationalis. 175.

Creatura irrationalis non eſt ſubjectum capax gratiæ habitualis. 175.

Cyrus qnare dicatur voluntatem Dei impleviſſe. 58.

D

Debitum reddendi gloriam ex juſtitia non lædit dominium Dei. 265.

Dæmones quomodo naturali amore diligant Deum. 48.

Deus aliter concurrit ad actus bonos, etiam ſolùm moraliter, quàm ad malos. 40. Amari poteſt & ut auctor naturæ, & ut auctor gratiæ. 43. Amore efficaci, vel inefficaci. ibi. Deus nil præcipit homini impoſſibile. 59. 67. 68. Non inivit pactum cum Chriſto (ut ſentit Molina) de non neganda gratiâ facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ. 92. 93. Objectiones contra hoc ſolutæ. 93. 94. 95. Deus quo ſenſu dicatur non deſerere, niſi deſeratur. 107. Paratus eſt conferre omnibus donum perſeverantiæ finalis. 114. Facit, non ſupponit, congruitatem, & circumſtantias ad ſuſcipiendam gratiam in nobis. 137. — Deus eſt omnino ſupernaturalis, & quomodo. 153. Deus habens filium naturalem, & qui numquam decidit, cur adoptet filios. 164. Proportionaliter perficit naturam in ordine ſupernaturali, ac in naturali. 167. Deus eſt cauſa finalis, exemplaris totius gratiæ. 177. Solus eſt, & eſſe poteſt cauſa efficiens principalis producens gratiam. 178. & ſeq. Quæ in contrarium opponuntur ſoluta. 180. & ſeq. Deus eſt cauſa gratiæ, non illam creando, ſed educendo de potentia obedientiali animæ. 184. & 186. Non poteſt remittere peccatum homini elevato ad finem ſupernaturalem, per ſolam condonationem extrinſecam, & abſque aliquo dono intrinſeco. 219. & ſeq. Dei potentiâ etiam abſolutâ nequit gratia habitualis ſimul eſſe cum peccato mortali in eodem ſubjecto. 230. 231. Objectiones contra hoc ſolutæ. 231. & ſeq. Deus de potentia abſolutâ poteſt hominem juſtificare, abſque ullâ hujus propriâ diſpoſitione. 237. Quomodo præmiet ſupra condignum. 260. Retribuit, pro meritis, Juſtis gloriam æternam, non ex fidelitate, non ex gratitudine. 262. Sed ex juſtitia diſtributivâ. ibi. & 263. Aliquomodo poteſt dici debitor erga Juſtos. 264. Cur non dicatur acceptor perſonarum. 275.

Dignitas perſonæ conducit ad majus merendum de condigno, opere æquali. 293.

Dilectio Dei inchoata requiritur ad juſtificationem impii. 248. 249.

Diſcretio ſpirituum gratia gratis data quid ſit. 118.

Diſpoſitio ultima ad juſtificationem, probabilius eſt, non eſſe effectivè à gratia habituali, ſed ab auxilio ſupernaturali. 250. 251. Non cauſat efficienter gratiam. 251.

Donum

Donum perſeverantiæ in quo conſiſtat. 113. Eſt diverſum à dono confirmationis in gratia. 114. Donum linguarum gratia gratis data quid ſit. 118.

E

ECcleſia cur poſſit à Deo poſtulare opera bona moralia. 30. Cur indubitatâ fide poſſit colere, ut Sanctum, illum, qui Martyrium paſſus eſt. 194.

Effectus præcipui gratiæ ſunt quinque. 124.

Efficacia gratiæ unde ſumatur ſecundùm Moliniſtas. 134. 135. Non deſumitur præciſè ex eventu, ſeu à conſenſu voluntatis creatæ. 135. 136. Nec ex attemperatione gratiæ cum humana voluntate, quæ ſubſit ſcientiæ mediæ. 136. & ſeq.

F

FIdes divina cur non ſit in hæretico. 5. Fidei actus nequit elici ſinè auxilio gratiæ interioris per Chriſtum. 6. 7. Item nec fidei initium. 8. 9. 10. Fides quomodo ſit primum Dei donum, & prima gratia 10. Remanet in peccatore non ut virtus ſupernaturalis, ſed in ratione habitus ſupernaturalis. 168. Fides quà ratione ſit proprietas gratiæ. 171. Non eſt, quo homo formaliter juſtificatur. 211. Fides requiritur ad juſtificationem. 237. Fides ad juſtificationem conducens, non eſt fiducia. 239. & ſeq. Non eſt notitia rerum propoſitarum per fidem. 241. Sed aſſenſus intellectus præſtitus rebus propoſitis, & revelatis. ibi. & 242. Fidei juſtificantis objectum non eſt ſola divina benevolentia, ſed quidquid à Deo revelatum eſt. 242. 243. Fides ſola, & ſinè aliis actibus non ducit homines ad juſtificationem. 244. 245. Objecta hæreticorum contra hoc ſoluta. ibi. 245.

Fides, gràtia gratis data, quid ſit. 118.

Fiducia non eſt illa fides, quæ conducit ad juſtificationem. 239. Sanctorum non oritur ex ſola fide, ſed ex bonis meritis per Chriſtum comparatis. 266.

Filiatio adoptiva Dei habetur à gratia habituali. 159. Non ſtat ſinè acceptatione ad hæreditatem. 162. Non fit per quamcumque aſſumtionem ad hæreditatem. 163.

G

GLoria quomodo ſit gratia conſummata 173 Quomodo correſpondeat gratiæ. ibi. & 174. Datur à Deo Juſtis, ut corona, ut merces, ut præmium &c. 256. & ſeq. Habet rationem hæreditatis, & mercedis. 261. Retribuitur pro meritis Juſtis, non ex fidelitate, non ex gratitudine. 262. Sed ex juſtitia diſtributivâ ibi. & 263.

Gratia variè accipitur. 1. 2. A quibus hæreticis oppugnata. 2. 3. 4.— Gratia actualis interior per Chriſtum requiritur ad actum fidei divinæ. 6. 7. Non ſolùm illuſtrans intellectum, ſed & movens voluntatem. 7. Item neceſſaria eſt ſimpliciter, & abſolutè ad initium fidei. ibi. & 8. 9. Gratia requiſita ad tollendam impotentiam hominis lapſi, reſpectu collectionis omnium veritatum naturalium, qualis eſſe deberet. 20. Gratia actualis ſpecialis per Chriſtum requiritur ad omne opus bonum ſalutare faciendum, & habendum. 24. 25.— Gratia ſanctificans non requiritur ad faciendum opus bonum morale. 29. & ſeq. Nec gratia fidei. 33. & ſeq. Gratia ſanans neceſſaria eſt in ſtatu naturæ lapſæ ad obſervantiam totius legis naturalis. 60. Gratia item ſpecialis auxilians. 61 Gratia ſpecialis dans expeditionem virtutis non requirebatur in ſtatu naturæ integræ ad obſervantiam totius legis naturalis. 63. 64. Gratia ſan-

ctifi-

Digitized by Google

ctificans ſanans hominem neceſſaria eſt ad diu vitanda omnia peccata mortalia contra legem naturæ. 75. 76. Gratia actualis auxilians neceſſaria eſt, ut homo ſanatus diu vitet mortalia. 76. 77. Objectiones contra hæc ſolutæ. 77. & ſeq Gratia ſpecialis extraordinaria requiritur, ut homo lapſus, non ſolum vitet, ſed etiam vitare poſſit per totam vitam, imò & diuturnum tempus, omnia venialia collectivè ſumpta. 81. & ſeq. Quæ objiciuntur ſoluta. 85. & ſeq. Hujuſmodi gratia licèt conceſſa fuerit, in aliqua determinatâ materiâ, aliquibus aliis, in omni tamen materia ſoli B. Virgini conceſſa eſt. 84. 85. — Gratia actualis ad ſingulos actus bonos datur. 95. 96. Objectiones in contrarium ſolutæ. 99. & ſeq. Gratia hæc eſt efficax. 97. Gratia excitans, præveniens, & adjuvans neceſſaria eſt ad ſingulos actus ſalutares. ibi. & 98. Gratia habitualis non datur ad agendum, ſed ad poſſe bene agere. 99. Sanat animam quantùm ad mentem, non quantùm ad carnem. 100. Gratia per Chriſtum neceſſaria eſt ad perſeverandum finaliter. 102. Hujuſmodi gratia eſt ſpeciale Dei donum diſtinctum à gratia habituali, & communibus auxiliis. 103. 104. 105. Objectiones contra hoc ſolutæ. 105. & ſeq. Gratia gratis data quid ſit. 115. Dividitur in novem ſpecies. 117. Gratia ſanitatum quid ſit. 118. Gratiæ gratis datæ aliæ non dantur, præter novem, ab Apoſtolo enumeratas. 119. Harum aliquæ ſunt in homine per modum habitus; aliquæ per modum motionis tranſeuntis. 119. 120. Gratia actualis dividitur in operantem, & cooperantem. 120. 121. Operans, quo ſenſu dicatur operari in nobis, ſinè nobis. 121. Cooperans non ſemper comitatur operantem. 122. Gratia actualis, alia increata, alia creata. ibi. Creata etiam dividitur in operantem, & cooperantem. 123. Actualis operans non eſt reſtringenda ad ſolam illam, quæ primam bonam voluntatem in nobis operatur. 124. Gratia dividitur in prævenientem, & ſubſequentem. 124. 125. Gratiæ effectus quinque. ibi. Gratia unde dicatur præveniens, & ſubſequens. 124. 125. Non eſt idem, ac Dei dilectio. 125. Gratia actualis dividi poteſt in excitantem, & adjuvantem. 125. 126. In quo utraque conſiſtat. 127. — Gratia dividitur in ſufficientem, & efficacem. ibi. Sufficiens in ſenſu Moliniſtarum rejicitur. 128. Sufficiens, quæ dicatur in ſenſu Thomiſtarum. ibi. & ſeq. Objecta contraria diluuntur. 130. & ſeq. Gratia ſufficiens diſtincta ab efficaci non è inutilis, noxia, nec pernicioſa. 133. Gratia unde dicatur efficax ſecundùm Moliniſtas. 134. 135. Non eſt efficax præcisè ex eventu, ſeu à conſenſu voluntatis creatæ. 135. 136. Gratiæ efficacia non debet repeti ex attemperatione gratiæ cum humana voluntate, quæ ſubſit ſcientiæ mediæ. 136. & ſeq. Gratia dicitur efficax per ſe, & ab intrinſeco. 138. Gratia habitualis, ſeu juſtificans, è donum intrinſecè à Deo homini collatum; non verò favor purè extrinſecus Dei. 144. & ſeq. Objectiones in contrarium ſolutæ. 146. & ſeq. Eſt accidens. 140. De ſpecie qualitatis, habens eſſe permanens, & modum habitus. 150. 151. 152. Non autem potentia, nec relatio. 153. Gratia juſtificans eſt ens ſupernaturale participativè. 154. Eſt formalis participatio divinæ naturæ non ſolum moralis, ſed in aliquo vero ſenſu phyſica. 155. 156. Eſt participatio formalis naturæ divinæ, non ſubjectivè, ſed objectivè. 156. Quæ contra hæc opponantur, ſolvuntur. 155. & ſeq. Gratia habitualis ex natura ſua, omnique pacto Dei ſecluſo, facit hominem filium Dei adoptivum. 159. Rationes in contrarium ſolutæ. 160. & ſeq.

& ſeq. Gratia habitualis realiter diſtinguitur ab habitu caritatis. 165. & ſeq. Objectiones contrariæ ſolutæ. 168. & ſeq. Gratia eſt radix virtutum, & quomodo. 170. 171. Eſt in eſſentia animæ rationalis, ut in ſubjecto immediato. 172. Objecta contraria ſoluta. 173. 174. Gratiæ cauſa finalis, & exemplaris quæ. 177. Meritoria, & efficiens inſtrumentalis. 178. Efficiens phyſica principalis eſt ſolus Deus. ibi. & 179. 180. Non poteſt eſſe homo, nec Chriſtus, ut homo. ibi. & ſeq. — Gratia non creatur à Deo, ſed educitur de potentia animæ obedientiali. 184. & ſeq. Objectiones contrariæ diluuntur. 185. 186. 187. Gratia primò Angelis collata, & primis Parentibus cur fuerit educta. 186. 187. Gratia ſola habitualis eſt cauſa formalis juſtificans, etiam extra Sacramentum. 214. Quâ ratione ſit forma deletiva peccati venialis. 223. Gratia habitualis ex natura rei phyſicè opponitur cum peccato mortali. 227. 228. Objectiones Scotiſtarum contrariæ ſolvuntur. 228. 229. Gratia habitualis quomodo demeritoriè expellatur à peccató actuali mortali. 229. Nec de potentia Dei abſolutâ poteſt ſimul eſſe in eodem ſubjecto cum peccato mortali. 230. 231. Objectiones contrariæ ſolutæ. 231. & ſeq. Gratiæ habitualis effectus primarius quinam ſit. 232.

H

Homo nullam poteſt veritatem actu cognoſcere abſque auxilio generali Dei. 12. In ſtatu naturæ lapſæ poteſt aliquas veritates naturales, etſi moveant ad bonum honeſtum, cognoſcere, abſque auxilio gratiæ per Chriſtum; imò ſinè auxilio ſpeciali gratiæ. 13. 14. 15. & ſeq. Poteſt ſinè gratiâ ſingulas veritates naturales ſpeculativas, & practicas cognoſcere, nequit autem omnes eaſdem collectivè. 17. 18. 19. Quæ in contrarium objiciuntur, ſoluta. 20. 21. 22. Contraria huic diluuntur. 22. 23. Homo in triplici ſtatu conſiderari poteſt. 23. Non poteſt facere ullum opus bonum ſalutare abſque gratiâ actuali ſpeciali per Chriſtum. 24. 25. Hominis juſti opera omnia non ſunt peccata. 25. & ſeq. Nec hominis peccatoris; qui poteſt aliquod bonum opus morale facere. 29. & ſeq. Nec Hominis infidelis. 33. & ſeq. Homo lapſus, ut faciat opus bonum morale ordinis naturalis, non indiget gratiâ theologicâ: 37. 38. Sed id poteſt cum ſolo concurſu generali Dei. 40. & ſeq. Homo in ſtatu naturæ integræ poterat naturæ viribus diligere Deum auctorem naturæ ſuper omnia, abſque ſpeciali auxilio Dei. 44. 45. Conditus in ſtatu naturæ puræ, potuiſſet cum ſolo concurſu generali Dei Deum auctorem naturæ diligere ſuper omnia, dilectione efficaci affectivè, ſaltem ad breve tempus. 45. In ſtatu naturæ corruptæ non poteſt ſolis viribus naturæ, & cum ſolo auxilio generali, diligere dilectione efficaci, tàm affectivè, quàm effectivè Deum auctorem naturæ ſuper omnia. 45. & ſeq. Ad id requirit auxilium ſpeciale, per ſe, ordinis naturalis; per accidens verò, ſupernaturale. 50. & ſeq. Homo habens gratiam ſanctificantem poteſt cum ſolo auxilio ſpeciali ordinis naturæ Deum diligere authorem naturæ ſuper omnia. 51. Nequit converti ad Deum auctorem naturæ, quin etiam convertatur ad ipſum authorem gratiæ. 52. Homo lapſus nequit ſinè ſpeciali gratiâ omnia mandata legis naturalis implere, nec quoad ſubſtantiam. 54. & ſeq. Quæ in contrarium opponuntur ſoluta. 56. 57. & ſeq. Cur dicatur poſſe id, quod non ſinè Dei gratiâ poteſt. 59. Poteſt impedire gratiam efficacem, quam non poteſt advocare. 60. —

Homo lapſus ad obſervantiam totius legis naturæ, ratione ſubjecti, indiget gratiâ ſanctificante. 60. Gratiâ item ſpeciali auxiliante. 61. In ſtatu naturæ integræ potuiſſet implere totam legem naturæ, abſque ſpeciali gratiâ dante expeditionem virtutis. 63. 64. Homo lapſus nequit ſervare ullum præceptum ſupernaturale, quoad ſubſtantiam, item nec ullum naturale, quoad modum, ſine auxilio gratiæ ſupernaturali. 64. 65. 66. Poteſt ſine ſpeciali gratiâ, & cum ſolo auxilio generali Dei moventis vincere aliquam levem tentationem. 69. & ſeq. Secus de gravi tentatione. 72. & ſeq. Homo in ſtatu integritatis potuiſſet ſinè gratiæ habitualis influxu vitare omnia peccata. 75. Non autem ad ſalutem pervenire. ibi. In ſtatu lapſus non poteſt, ſinè gratiâ ſanante, diu vitare peccata mortalia contra legem naturæ. ibi. & 76. Ad hoc, ut illa vitet, adhuc indiget gratiâ actuali auxiliante. 76. 77. Quæ objiciuntur contra hæc, ſoluta. 77. & ſeq. Homo innocens potuiſſet vitare omnia peccata venialia, etiam collectivè, ex vi auxiliorum, quæ conſona erant illi ſtatui. 80. Homo lapſus cum ſolis auxiliis ordinariis hujus ſtatus poteſt vitare omnia venialia diviſivè. ibi. Pro aliquo brevi tempore Juſtus poteſt eſſe abſque omni veniali. ibi. Homo lapſus indiget ſpeciali privilegio, ut poſſit omnia venialia collectivè ſumta vitare per totam vitam, aut per diuturnum tempus. 81. & ſeq. Se ipſum præparat ad gratiam juſtificantem, non per ſuas vires, ſed auxilio gratiæ moventis. 90. Homo non poteſt ſine auxilio gratiæ ſpecialis ſe præparare ad gratiam habitualem conſequendam, ut illam de condigno mereatur. 91. Nequit, ex viribus naturæ ullo modo, nec remotè, ſe diſponere ad primam gratiam, puta, vocationis ad fidem. 92. Omnis Homo qualem potentiam habeat ad finaliter perſeverandum. 109. Homo in ſtatu innocentiæ indigebat ſpeciali auxilio Dei, quo perſeveraret uſque in finem ſtatus viæ. 121. & ſeq. Homo juſtificatur per gratiam habitualem intrinſecè illi inhærentem. 144. & ſeq. Non eſt cauſa principalis producens habitus fidei, ſpei, & caritatis. 180. Cur juſtus poſſit eſſe cauſa efficiens principalis phyſica actus caritatis, & viſionis beatæ; non autem gratiæ. 181. — Homo tripliciter poteſt cognoſcere, ſe eſſe in gratia. 187. In hac vitâ poſitus, abſque ſpeciali revelatione ſibi factâ, non tenetur, nec poteſt certitudine fidei divinæ credere, aut ſcire, ſe habere gratiam coram Deo. 188. 189. 190. Hæreticorum argumenta contra hoc ſoluta. 191. & ſeq. Non propterea juſtus ſemper fluctuans erit de ſua conſcientiâ. 194. — Homo juſtus nequit eſſe certus de ſua juſtitiâ certitudine habitâ per diſcurſum ex una premiſſâ ſupernaturali, & aliâ naturali. 194. 195. Nec pariter tantâ certitudine, quantâ certus eſt Romam eſſe illi, qui numquam Romam vidit. 195. 196. Neque etiam ex ſignis ſupernaturalibus, quæ in ſeipſo experiatur, habere poteſt certitudinem moralem excludentem omnem formidinem, de ſua juſtitiâ. 196 Bene verò (ſecluſâ revelatione) habere poteſt cognitionem conjecturalem. ibi. 197. — Homo poteſt in hac vitâ eſſe certus, ſe habere fidem theologicam. 197. Probabiliter etiam idem dicitur de Spe. 198. Homo, abſque revelatione ſpeciali, nequit eſſe certus, certitudine abſolutâ, de ſua prædeſtinatione ad gloriam 198. 199. Hæreticorum objecta contra hoc ſoluta. ibi. & 200. Non juſtificatur formaliter per juſtitiam Chriſti fide apprehenſam, ac ſibi imputatam; ſed per juſtitiam ex meritis Chriſti in ſe derivatam, intrinſecè inhærentem. 209. 210. Se-

ctatio

ctariorum contra hoc fundamenta ſoluta 211 212. Homini elevato ad finem ſupernaturalem non poteſt, probabiliùs, remitti peccatum mortale, nec de potentia abſolutâ Dei, abſque dono aliquo intrinſeco. 219. 220. Objectiones contra hoc ſolvuntur. 220. & ſeq. Homo adultus rationis, & libertatis compos debet ſe diſponere ad gratiam juſtificationis, per motus liberi arbitrii divino auxilio moti. 234. & ſeq. Hæreticorum fundamenta contraria diluuntur. 236. 237. Homo juſtus per opera bona meretur de condigno apud Deum. 255. Etiam vitam æternam. ibi. & ſeq. Quæ contra hoc opponunt hæretici ſolvuntur. 259. & ſeq. Homo non poteſt nec de condigno, nec de congruo ſibi mereri primam gratiam auxiliantem. 284. 285. Nec de condigno gratiam primò juſtificantem. 285. 285. 287. Homo juſtus nequit de condigno mereri alteri primam gratiam, ſive actualem, ſive juſtificantem, benè tamen de congruo. 287. 288. Non poteſt de condigno mereri, ut ſi in peccatum labatur, detur ei venia, & reſtituatur ſtatus gratiæ. 288. 289. Nec de congruo. 289. 290. Meretur de condigno per opera bona augmentum gratiæ, & caritatis. 290. 291. Quæ obſtare videntur ſolvuntur. ibi. & 292. — Homo non poteſt mereri de condigno perſeverantiam finalem. 294. 295. Objectiones ſolutæ. 595. 296. Poteſt tamen mereri merito de congruo latè ſumto. 295.

I

Janſenius vult, gratiam fidei eſſe neceſſariam ad omne opus moraliter bonum. 24. Ejus fundamenta everſa. 34. 35. 36. Cenſet, aliqua præcepta in ſtatu lapſus, etiam Juſtis, eſſe impoſſibilia, nec dari gratiam, quâ poſſibilia fiant. 67.

Imperium caritatis non requiritur ad faciendum opus bonum morale. 31. Imperium caritatis in actus aliarum virtutum eſt triplex. 279. Habituale non ſufficit ad meritum. ibi. Non requiritur actuale. ibi. Virtuale ſufficit. ibi. Et quidem, probabilius, quòd ſit tale proximè. 280.

Impletio præceptorum legis fit dupliciter. 53.

Impotentia hominis lapſi ad cognoſcendum omnes veritates naturales collectivè, qualis ſit. 19.

Incarnatio Verbi quomodo poſſit cadere ſub merito creaturæ, & quomodo non. 286.

Infidelis opera omnia non ſunt peccata. 33. & ſeq.

Intellectus ex ſua inclinatione tendit ad verum ſibi proportionatum. 14.

Intentio efficax nequit dari de eo, cujus executio eſt impoſſibilis. 46. 48. Intentio ſufficiens ad recitationem Officii, & confectionem Sacramentorum, quæ ſit. 279. 280.

Interpretatio ſermonum, gratia gratis data, quid ſit. 118.

Jus hominis juſti ad gloriam æternam quale ſit. 264.

Juſtificatio multipliciter dicitur. 201. Sumi poteſt activè, & paſſivè. 203. Generaliter ſumta deſcribitur. ibi. Deſcribitur prout convenit nobis. ibi. Generaliter accepta juſtificatio non eſt remiſſio peccatorum, nec eam includit: hanc verò includit juſtificatio impii. 204. In juſtificatione impii peccata ita remittuntur, ut penitus auferantur; nec quidquam remaneat habens veram rationem culpæ mortalis. 205. & ſeq. Objecta hæreticorum contra hoc ſoluta. 206. 207. Juſtificatio quomodo à Luthero, & Calvino explicetur. 209. Fit formaliter per juſtitiam intrinſecè inhærentem, ex Chriſti juſtitiâ, & merito derivatam. 209. 210. Sectariorum contra hoc objectiones ſolutæ. 211. 212. — Juſtificatio adultorum, qui ſunt rationis, & libertatis compotes non fit ſinè motibus liberi arbitrii à Spi-

Spiritu Sancto moti, & excitati. 234. & ſeq. Juſtificatio quamnam dilectionem Dei requirat, extra Sacramentum obtinenda. 249. Quamnam requirat, ut ſufficientem, in Sacramento. ibi. Requirit odium, & deteſtationem peccati. 249. Propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi in Infideli; in baptizato, ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ: in omnibus vitæ emendandæ, & præcepta Dei obſervandi. 250. — Juſtificationis ultima diſpoſitio (probabilius) non eſt efficienter ab ipſa gratiâ, ſed ab auxilio ſupernaturali. 250. 251. Juſtificatio impii quo ſenſu dicatur opus maximum Dei, & miraculoſum. 252.

Juſtitiâ Dei, & Chriſti quomodo homo dicatur juſtus. 147. Juſtitia intrinſeca hominis non eſt injurioſa Chriſto. 148. Quâ formaliter juſtificamur, eſt capax intenſionis & remiſſionis. 210.

Juſtitia tripliciter dicitur. 202. Vera & propria triplex eſt, legalis, diſtributiva, & commutativa. 261. 262. Juſtia humana cur non reſpiciat affectum operantis, benè verò divina. 266.

Juſtus qualiter implere poſſit præceptum caritatis in hac vitâ. 208. Per opera bona verè meretur de condigno etiam vitam æternam. 255. & ſeq. Sectatiorum contraria diluuntur. 259. & ſeq. Cur coram Deo dicatur ſervus inutilis. ibi. Non poteſt mereri nec de condigno, nec de congruo ſibi, poſt lapſum, reparationem. 28. 289. 290. Meretur de condigno per opera bona augmentum gratiæ, & caritatis. 290. 291. Non poteſt mereri de condigno perſeverantiam finalem viæ. 294. 295. Benè verò de congruo lato modo. 295.

L

Libertas quæ requiratur ad meritum. 268. 270.

Lumen naturale intellectus attenuatum, ſed non extinctum eſt per peccatum originale. 13.

Lumen Gloriæ cur in Patria effluat à gratia. 172.

Lutherus aſſeruit, liberum arbitrium ad bonum in nobis nil agere, & merè paſſivè ſe habere. 3. Injuriam facere Redemptori, qui contenderet benè agere. 4. Omnia opera hominis, etiam juſtificati, eſſe in ſe peccata. & ſolùm ex meritis Chriſti non imputari. 24. Ejus argumenta ex Scripturis, & PP. depromta ſolvuntur. 27. 28. Docet, hominem, etſi à gratia excitatum, nil agere poſſe, quo ſe diſponat ad juſtificationem. 89. Gratiam juſtificantem nil aliud impetrare, quàm extrinſecum Dei favorem, & benevolentiam, quâ homo dicitur Deo gratus. 144. Docuit, hominem viatorem certâ fide cognoſcere, ſibi remiſſa eſſe peccata, & eſſe in gratia; imò quemlibet certò debere de ſeipſo hoc tenere, & credere. 188. In juſtificatione peccata non verè tolli, ſed tegi. 204. Quomodo juſtificationem peccatoris explicet. 209. Fundamenta ejus ſoluta. 211. 212. Docet, hominem dum juſtificatur, merè paſſivè ſe habere, & nil agere. 235. Solam fidem juſtificare. 238. 239.

M

Martyr, quando ab Eccleſia colatur ut Martyr. 194. Quando ſit indubitatè certus, habere gratiam. ibi.

Mercenarius præciſè reſpectu vitæ æternæ, quis dicatur. 267.

Meritum quid ſit. 253. Eſt duplex, ſcilicet, de condigno, & de congruo. 254. Utrumque explicatur. ibi. & 255. Meritum de condigno eſt in homine juſto ratione bonorum operum. 255. Etiam in ordine ad vitam æternam. ibi. & ſeq. Non eſt injurioſum meritis Chriſti. 260. Quamnam æqualitatem cum præmio requi-

requirat. ibi. Meritum inducit debitum legale. 256. Meritum vitæ æternæ quot, & quas conditiones requirat coram Deo. 258. Meritum coram Deo requirit, ut perſona merens ſit in gratia juſtificante. 273. 274. Contraria huic ſolvuntur. 275. 276. Meritum principaliter pertinet ad caritatem, ſecundariò verò ad alias virtutes, ut imperantur à caritate. 276. 277. Requirit pactum, & promiſſionem mercedis. pag. 281. 282.

Motus liberi arbitrii requiruntur ad juſtificationem in Adultis, qui rationis, & libertatis compotes ſunt. 234. Tanquam diſpoſitiones ad gratiam juſtificationis acquirendam. 235. 236. Objectiones hæreticorum contrariæ ſolvuntur. 236. & 237. Motus fidei ad juſtificationem requiritur. 237. Cujus fidei ſit talis motus. 239. & ſeq.

N

N*Atura* divina quomodo participetur à gratia juſtificante. 255. 256.

O

O*Bſervantia* totius legis naturalis nequit haberi ab homine lapſo ſine ſpeciali Dei auxilio. 54. & ſeq. Sinè gratiâ ſanante. 60. Et abſque gratiâ auxiliante. 61. 62.

Odium Dei cur nil ponat intrinſecum in peccatore. 147.

Omiſſio pura non ſufficit ad meritum. 269 270.

Operatio virtutum, gratia gratis datâ, quid ſit. 118.

Opus bonum aliud eſt tale ſolùm bonitate morali; aliud bonitate ad ſalutem. 24. Bonum bonitate ad ſalutem nequit fieri, vel haberi ſinè gratiâ actuali ſpeciali per Chriſtum. ibi. & 25. Opus omne Juſtorum non eſt peccatum. 25. 26. & ſeq. Item nec opus omne peccatoris. 29. & ſeq. Opus bonum morale, ut fiat, non requirit gratiam ſanctificantem, nec imperium caritatis. ibi. Nec gratiam fidei: unde opus omne Infidelium non eſt peccatum. 33. & ſeq. Opera quædam Infidelium à Deo remunerata. ibi. Opera moraliter bona Deum non movent ad dandam gratiam auxiliantem, nec de congruo. 92. Quæ objiciantur contra, ſoluta. 93. 94. 95. Opus bonum totum tribuitur gratiæ, & totum libero arbitrio. 98. Opera Juſtorum ſunt verè de condigno meritoria etiam vitæ æternæ. 255. & ſeq. Sectariorum fundamenta contra hoc ſoluta. 259. & ſeq. Opera bona meritoria non ſunt ſolùm neceſſaria ad vitam æternam conſequendam, ut conditio. 266. Non dant occaſionem ſuperbiendi, ſed humiliandi coram Deo. 267 Licitè operantur intuitu mercedis æternæ. ibi. Opus, ut ſit meritorium coram Deo, debet eſſe à perſona, quæ ſit in gratia. 273. 274. Opera bona facta pro defunctis quomodo, & quando ſint meritoria. 275. 276. Opera bona facta à Juſto, abſque imperio caritatis, non merentur de condigno vitam æternam. 278. Opus bonum Juſti factum ex gratia Chriſti magis eſt meritorium, quàm eſſet, ſi fieret ex gratia æqualis gradus, ſed non datâ ex meritis Chriſti. 293. 294.

Oratio peccatoris qualiter exaudiatur à Deo. 30. Oratio Juſti poteſt merito de congruo, latè ſumto, mereri donum perſeverantiæ. 295.

P

P*Actum* Dei cum Chriſto initum de non neganda gratiâ facienti quod in ſe eſt, ex viribus naturæ, quod docuit Molina, commentitium eſt. 91. 92. 93. Quæ in contrarium objiciantur, ſoluta. 93. 94. 95. Pactum Dei de danda mercede requiritur ad opera meritoria Juſti, ut verè ha-

Digitized by Google

beant rationem meriti de condigno. 281. 282. Objectiones in contrarium ſolutæ. 283. 284.
Patres quo ſenſu victoriam tentationum tribuant ſoli divinæ gratiæ. 71. Docent, neminem etiam juſtum, in ſtatu lapſus, vitare poſſe diu omnia venialia, ſinè ſpeciali gratiâ extraordinariâ. 81. 82. Neminem in hac vitâ, ſinè revelatione, poſſe certò credere, & ſcire, ſe eſſe in gratia. 190. Et eſſe prædeſtinatum ad gloriam. 198. 199.
Peccator in ſtatu peccati mortalis poteſt facere aliquod opus bonum morale. 29. & ſeq. Peccatoris orationes, aliaque opera moraliter bona, quomodo illi proſint. 30. Peccator per gratiam, intrinſecè inhærentem illi, juſtificatur. 145. Peccatore annihilato, annihilaretur etiam ſuum peccatum, etiam moraliter. 222.
Peccatum mortale in juſtificatione verè, & penitus tollitur. 205. 206. & ſeq. Peccatum mortale, cui magis opponatur, amori Dei, an gratiæ Dei. 218. Non poteſt remitti homini elevato ad finem ſupernaturalem, abſque dono aliquo intrinſeco. 219. 225. Objectiones contra hoc diluuntur. 220. 221. & ſeq. — Peccatum habituale non eſt ſolum actus peccati præteritus, & carentia condonationis divinæ. 220. Quomodo opponatur gratiæ. 221. Peccatum veniale remittitur per aliquam formam intrinſecam. Unum peccatum mortale nec divinitus remitti poteſt, non remiſſis omnibus, quæ ſunt in ſubjecto. 224. & ſeq. Objectiones in contrarium ſolutæ. 225. 226. Peccatum veniale poteſt remitti, alio veniali non remiſſo. 225. Ex peccatis mortalibus aliqua poſſunt remitti directè, aliis ſolùm indirectè remiſſis. ibi. Peccatum actuale mortale quomodo dicatur demeritoriè expellere gratiam habitualem. 220. Peccati remiſſio quâ ratione ſuperet in æſtimatione morali præſtantiam gratiæ habitualis. ibi. Peccatum mortale nec de potentia Dei abſolutâ poteſt ſimul eſſe cum gratia habituali in eodem ſubjecto. 230. 231. Objectiones ſolutæ. 231. & ſeq. Peccati odium, & deteſtatio requiritur ad juſtificationem. 249. Peccatum mortale non indiget ordinatione divinâ, ut ſit dignum pœnâ æternâ. 283.
Pelagius quomodo erraverit circa gratiam. 2. 3. Damnatur à variis Conciliis, & Pontificibus. ibi. Ex antecedente de fide inferebat conſequens hæreticum. Aſſerebat, hominem poſſe omnia divina mandata facere ſinè gratiâ. 53. Quo ſenſu diceret, Deum homini impoſſibilia non præcipere. 68. Hominem ſolis naturæ viribus poſſe ſe præparare ad gratiam. 90.
Perſeverantia multipliciter ſumitur. 101. 102. Quid ſit. ibi. Ad perſeverantiam finalem eſt neceſſaria gratia per Chriſtum. 102. Perſeverantia finalis reſpectu quorum ſit ſpeciale donum. 105. In quo conſiſtat. 113. Eſt diverſa à confirmatione in gratia. 114. Illam omnibus conferre paratus eſt Deus. ibi. Perſeverantia finalis viæ non cadit ſub merito de condigno ullius hominis. 294. 295. Quæ obſtent, ſoluta. 295. 296.
Perſona Deo magis grata, cæteris paribus, majus præmium de condigno meretur. 292. 293.
Perſonalitas Verbi cur poſſit formaliter ſanctificare humanitatem Chriſti. 219.
Philoſophi gentiles plures veritates naturales morales cognoverunt, abſque auxilio gratiæ per Chriſtum. 14. 15.
S. *Pius V.* Damnat propoſitiones Baii. 29. 67. Quoſdam articulos. 68. Aliam Baii. 70. Ejuſdem alteram. 220. 245. 274. 283.
Pœna Animarum in Purgatorio non eſt propriè ſatisfactio. 269.
Pœnitentia, quæ debet præcedere juſtificationem, qualis ſit. 249.
Potentia operativa in homine alia phyſica, alia moralis. 12.

Præcepta ſupernaturalia non poſſunt impleri ſine auxilio gratiæ ſupernaturali. 65. 66. Naturalia quoque, prout ordinantur ad ſalutem. ibi. Præceptum nullum eſt, quod non poſſit impleri per gratiam in hac vitâ. 57. 58. Præceptum de nunquam venialiter peccando, quomodo intelligendum. 88.
Prædicata divina quædam ſunt à creatura participabilia, quædam non. 153. 154. Habent duplicem infinitatem. 156.
Prædeſtinatio in quo ſenſu nil ponat intrinſecè in Prædeſtinato. 146.
Principium meriti non poteſt cadere ſub merito. 185.
Privilegium ſpeciale requiritur, ut homo lapſus vitet, imò & vitare poſſit per totam vitam, aut diuturnum tempus, omnia venialia collectivè ſumta. 81. & ſeq. Quæ in contrarium obſtent, ſoluta. 85. & ſeq. Privilegium hoc in omni materia ſoli B. Virgini conceſſum eſt: in aliqua autem determinatâ materiâ etiam aliquibus aliis. 84. 85. In quo conſiſtat hujuſmodi privilegium B. V. 85.
Prophetia gratia gratis data quid ſit. 118.
Propoſitio de gratia ſufficiente damnata ab Alexandro VIII. 133. Propoſitiones quædam de dilectione Dei damnatæ ab Innoc. XI.
Propoſitum de ſuſceptione Sacramenti, vitâ emendandâ, & obſervantiâ præceptorum Dei requiritur in juſtificatione impii. 250.

R

Recitatio divini Officii cum evagatione mentis voluntariâ eſt mala. 272.
Res inanimes quo ſenſu dicantur naſci, & generari ex Deo. 157.
Retributio gloriæ æternæ ex meritis eſt actus, non puræ fidelitatis, & gratitudinis, ſed veræ juſtitię. 262. Et quidem diſtributivæ, habens aliquem modum commutativæ. 263. Objecta contra hæc ſoluta. 264. & ſeq.

S

Satisfactio Chriſti eſt cauſa meritoria, non formalis, noſtræ juſtificationis. 160. Cur poſſit etiam dici cauſa formalis. ibi. & 161.
Scriptura quo ſenſu tribuat ſoli gratiæ divinæ victoriam tentationum. 71. In quo ſenſu dicat, homines eſſe juſtos per juſtitiam Chriſti; effici in Chriſto ipſam juſtitiam Dei, & non juſtificari coram Deo. 147. 148.
Semipelagiani unde orti. 3. Quid ſenſerint circa gratiam. ibi.
Sermo ſapientiæ, & ſcientiæ, gratia gratis data, quid ſit. 117.
Spes veniæ requiritur ad juſtificationem impii. 248. Et quidem ſimpliciter. ibi. Spes quomodo remaneat in peccatore. 168.
Status viatoris requiritur, ut conditio ad merendum, ex parte perſonæ merentis, coram Deo. 272.

T.

Tentatio quid ſit. 68. Quotuplex. ibi. & 69. Tripliciter vinci poteſt. ibi. Tentatio aliqua levis poteſt ab homine lapſo vinci ſinè auxilio ſpeciali gratiæ, & cum ſolo auxilio generali Dei moventis. 69. 70. & ſeq. Secus tentatio gravis. 72. & ſeq.
Timor Divinæ juſtitiæ ad juſtificationem impii requiritur &c. 247. Qualis debeat eſſe. ibi.
S. Thomas docet, ad eliciendum actum fidei ſupernaturalis neceſſariò requiri auxilium gratiæ. 7. Item ad initium fidei. ibi. & 8. Ad cognoſcendum quodcumque verum, hominem egere auxilio Dei generali. 11. In ſtatu lapſus non indigere ad cognoſcendum aliquas veritates naturales gratiâ per Chriſtum: imò nec ſpeciali auxilio gratiæ. 16.

Docet,

Docet, qualiter orationes peccatoris à Deo aliquando exaudiantur; quomodo etiam opus bonum morale ipſius poſſit à Deo acceptari. 30. Infidelem poſſe aliquod opus bonum morale facere. 35. 36. Hominem lapſum poſſe facere opus bonum morale ordinis naturalis, ſinè gratiâ theologicâ, cùm ſolo concurſu generali Dei. 39. Deum diverſimode concurrere ad actum, etiam ſolum moraliter bonum, quàm ad malum. 40. Tradit, hominem integrum non indiguiſſe ſpeciali auxilio ad diligendum Deum ſuper omnia naturaliter. 44. Benè verò indigere in ſtatu naturæ corruptæ. 46. Hominem non poſſe advocare, benè verò impedire gratiam efficacem. 60. Non poſſe hominem lapſum, ſinè gratiâ ſanctificante, diu vitare peccata mortalia. 74. Sanatum per gratiam indigere etiam gratiâ actuali auxiliante, ut diu vitet illa. 76. 77. 79. Docet, minimam gratiam reſiſtere poſſe cuilibet concupiſcentiæ. 79. Neminem poſſe abſtinere ab omni veniali collectivè. 83. 87. Hominem, non per ſeipſum, ſed auxilio gratiæ moventis, ſe præparare ad gratiam juſtificantem. 90. Ad gratiam actualem Dei moventem ad bonum, nullam præparationem requiri ex parte hominis. 93. Perſeverantiam tripliciter dici. 102. Finalem eſſe donum Dei ſpeciale, diſtinctum à gratia habituali. 104. Hominem non poſſe eſſe ſibi cauſam perſeverantiæ. 110. Accepiſſe in ſtatu innocentiæ donum, quo poſſet perſeverare, non ut perſeveraret. 111. 113. Oſtendit, gratiam actualem dividi in gratiam gratum facientem, & gratis datam. 115. 116. Gratis datam dividi in novem ſpecies, quas explicat. 117. 118. Prophetiam eſſe in homine per modum motionis tranſeuntis. 119. Gratiam actualem dividi in operantem, & cooperantem. 121. Hanc diviſionem poſſe tribui gratiæ habituali. 122. Gratiam dividi in prævenientem, & ſubſequentem. 124. 125. Docet, gratiam ſufficientem diſtinctam ab efficaci. 130. Gratiam juſtificantem eſſe donum Dei nobis intrinſecè collatum 145. Eſſe qualitatem ſupernaturalem. 151. Caritatem ſub una ratione eſſe perfectiorem animâ. 152. Gratiam habitualem ſecundùm ſe eſſe immobilem; & ſolùm mobilem ex conditione ſubjecti. 153. Eſſe formalem participationem non ſolùm moralem, ſed & phyſicam naturæ divinæ. 155. Dici ſemen Dei relatè ad viſionem beatam. 156. Adoptionem humanam ſupponere in adoptando naturam, divinam verò illam dare. 163. Adoptare in filium eſſe commune toti Trinitati. 153. 154. Docet, cur Deus adoptet ſibi filios. ibi. Adoptare eſſe proprium ſolius creaturæ rationalis. 164. 165. Gratiam habitualem realiter diſtingui à caritate. 167. 169. Caritatem alio modo, ac gratiam dici formam virtutum. ibi. Gratiam habitualem eſſe principium radicale, & mediatum operum meritoriorum. 171. Eſſe in eſſentia animæ, ut in ſubjecto immediato. 173. 175. Gratiam aliter eſſe in anima, aliter characterem. 176. 177. Habitus fidei, ſpei, & caritatis noſtris actibus augeri ſolùm diſpoſitivè, & meritoriè. 180. Docet, hominem non poſſe efficienter principaliter producere gratiam. 182. Quo modo Chriſtus, ut homo, illam faceret in nobis. 184. Virtutes infuſas educi de potentia obedientiali animæ rationalis. 185. Quo ſenſu poſſit dici, gratiam creari. ibi. Creari eſſe proprium rei ſubſiſtentis. 187. Hominem poſſe per revelationem ſibi factam certò ſcire, ſe eſſe in gratia. 187. 192. Non autem abſque tali revelatione. 195 Poſſe id noſcere ſolùm conjecturaliter. 197. Cognitionem prædeſtinationis non eſſe neceſſariam ad ſalutem. 200. Oſtendit, quo modo peccator juſtificetur. 203. Quâ ratione

tione idem ſit juſtificatio, ac peccatorum remiſſio. 204. Non poſſe etiam divinitus, hominem elevatum ad finem ſupernaturalem juſtificari, per ſolam condonationem Dei extrinſecam, abſque aliquo dono intrinſeco. 222. Peccatum veniale deleri per actum ſupernaturalem. 223. Unum peccatum mortale, etiam divinitus, remitti non poſſe, non remiſſis omnibus, quæ ſunt in peccatore. 224. 225. 226. Docet, peccata eſſe conexa ſecundùm averſionem à Deo, licèt non ſint ſecundum converſionem ad bonum creatum commutabile. 225. Gratiam habitualem expellere peccatum mortale. 233. Pueros juſtificari ſinè propriis diſpoſitionibus, adultos etiam furioſos, & amentes, qui unquam habuerunt uſum liberi arbitrii. 234. Secus eos, qui rationis, & libertatis ſunt compores. 235. Aſſerit, fiduciam pertinere ad ſpem. 239. Diſtinguit triplicem converſionem in Deum. 250. 251. Docet, contritionem eſſe à gratia habituali, ut ab informante. 251. Qualiter juſtificatio impii ſit opus maximum Dei, & miraculoſum. 252. Orationem peccatoris aliquando eſſe impetratoriam. 255. Quamnam æqualitatem habeat opus meritorium cum gloria. 258. Deum non fieri ſimpliciter debitorem nobis, ſed ſibi. 259. 261. Hominem, cur etſi faciat, quod debet, mereri apud Deum. ibi. & 260. Deum ex bonis noſtris non quærere utilitatem, ſed gloriam. 261. Æqualitatem proportionis eſſe inter Deum præmiantem, & creaturam. 253. Debitum attendi poſſe dupliciter in operatione divinâ. 264. 255. Ad merendum requiri libertatem à neceſſitate. 268. Pœnam, quam animæ ſuſtinent in Purgatorio, non eſſe propriè ſatisfactionem. 269. Evagationem voluntariam in oratione eſſe peccatum. 271. Statum viæ requiri ad merendum, & demerendum. 272. 273. Gratiam juſtificantem requiri in perſona merente coram Deo. ibi. Quomodo ſuffragia facta pro mortuis ſint meritoria. 275. Docet, meritum vitæ æternæ primùm ſpectare ad caritatem, ſecundariò ad alias virtutes, ut imperantur ab illa. 277. Quomodo oratio peccatoris poſſit eſſe pia. 287. Hominem juſtum poſſe alteri mereri de congruo primam gratiam. 288. Juſtum mereri per bona opera augmentum gratiæ, & caritatis de condigno. 291. 292. Nullum hominem poſſe ſibi mereri de condigno perſeverantiam finalem viæ. 295. Bene verò alteri, de congruo lato modo. 295.

V

Vaſquezii opinio circa cauſam formalem noſtræ juſtificationis. 213. Rejicitur. 214. Ejus fundamenta ſolvuntur. 215. & ſeq.

Verbum Divinum poteſt uniri cuilibet naturæ corporali.

Veritas dici poteſt tripliciter ſupernaturalis. 4. Ut cognoſcatur, duo requiruntur. 5. Veritas, eſtò in ſe ſupernaturalis, quando poſſit viribus naturæ attingi. 5. Veritas naturalis ſpeculativa quæ ſit, & quæ practica. 11. Naturalis dici poteſt tripliciter. ibi. Veritas nulla naturalis poteſt cognoſci ab homine ſinè auxilio generali Dei. 12. Veritas aliqua naturalis, etſi ad bonum honeſtum moveat, poteſt ab homine lapſo cognoſci ſinè ſpeciali auxilio gratiæ. 13. 14. 15. & ſeq. Omnis item ſive ſpeculativa, ſive practica poſt cognoſci diviſivè cum ſolo auxilio generali, non autem collectivè. 17. 18. 19. Veritas naturalis practica alia dirigit factionem; alia dirigit actiones humanas. 18. Quæ in contrarium afferuntur, ſoluta. *pag.* 20. 21. 22. 23.

Virtutes effluunt à gratia non ſolùm moraliter, ſed quodammodo phyſicè. 170. 171. Morales infuſæ, etſi ſpirituales, cur poſſint recipi in appetitu ſenſitivo. 276.

Virtutes

Downloaded by Google

Virtus alia reſpicit ſolùm medium rationis, alia ſolùm medium rei. 161.

Virtus Sacramentalis, licèt ſpiritualis, cur ſubjectetur in re corporeâ. 176.

Vita æterna quomodo debeatur operibus meritoriis Juſtorum. 255. & ſeq. Cur gratia vocetur à S. Paulo. 257. Habet rationem hæreditatis, & mercedis. 261.

Voluntas hominis lapſi nequit propriis viribus diligere Deum auctorem naturæ. 49. Adiuta auxilio ſufficiente, cur non exequatur bonum opus, ad quod per illud movetur. 133. Suo conſenſu non facit, gratiam eſſe efficacem. 135. 136.

LAUS DEO.

Digitized by Google